RESOLVTIONES

24

VARIAE

IVXTA THEOLOGIÆ MORALIS,

f 25 f

Et Canonum principia definitæ.

AD CONSCIENTIAE MAXIMÈ CASVS PERTINENTES,

AVCTORE

D. IOSEPHO DE IANVARIO

NEAPOLITANO

CONGREGATIONIS PIORVM OPERARIORVM.

Opus curiosorum genio, & veritatis sectatoribus non ingratum,

CVM DVPLICI INDICE, QVORVM ALTER RES OMNES SVMMATIM,

alter Conclusiones, quæ resoluuntur in hoc volumine; complectitur.

Mayor 42 C

Biblioteca del Colegio



EXPENSIS FRANCISCI BALSAMI.

NEAPOLI, Typis Honofrij Sauij, MDCLL.

Digitized by Google

11

SANCTISSIMO PATRI,
ET BEATISSIMO PRAESVLI
NICOLAO MAGNO.

DON IOSEPHVS DE IANVARIO.

AD te Sanctiſſime Nicolae ſponte ſua potius veniũt, quam mittuntur munuſcula mea. Volant ad te illis alata flammis, quibus iamdudũ piè æſtuat mens mea tibi. Quanquam, vt verius loquar, vanitate potius, quam excellentia ſublimè feruntur; & vt plumea, atque inania potius ſubleuantur, quam vt magna. Sed cœliti maximo quidnam terreſtre magnum? Sublimitas tua, qua inter innumeros Beatarum mentiũ choros, tanquam Sol radias inter minora ſidera, modicas efficit conditiones licet Attalicas. At in mare tuum refluit ingenij mei riuulus, vnde fas eſt mihi credere deriuaſſe. Potaui enim à puero nitidiſſimas aquas tuas, quibus affatim, ac perennè ſcatent oſſa tua; aquas certè ſapientiæ, quibus irrigatum pectus meum hos primitiuos protulit doctrinæ fructus. Nec poſſum mihi non ominari felicitatem, velificans per nectareum pelagus mannæ tuæ. Mirum profectò. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Sed quid mirũ? Nam vnde exeunt flumina reuertuntur. Verè tamen mirandũ mare tuum, quia manens ſemper inexhauſtum, imò perſæpe ſupereffluens, ac redundans, irreuocabilia emittit flumina. Iam diù fortaſſe aruiſſet mundus, niſi latice maderet tuo, quòcunque terrarum iam diffuſo. Qui nauigant mare, inquit Sapiens, narrant pericula: at qui in mari verſatur tuo, innumera habet, quæ narret miracula: imò qui pericula vult vitare, tuo mari ſe committat. Tranquilla ſemper vnda tua, in qua tempeſtatem inuenit ſtygius pyrata. In ea naufragatur ærumna, mergitur calamitas, ſuffocantur morbi, & ipſa mors viſa eſt aliquando perire. Vitale ſanè ſepulcrũ, venas pariens viuentis aquæ:

Digitized by Google

quod verè dicatur vrna, qua nobis largè propinas ſalutares potus. Scio equidem ad dulcia murmura erumpentis aquæ tuæ cœleſtes ludere charites,& tibi narranti victorias,epinicia modulari. Sed vt ſtylo ſcriberem candido, oportuit vt meus calamus lymphæ tuæ lamberet puritatem ; & vt dulce ſaperet delibanti, ambroſia imbutus eſt tua. Vt vera ſcriberem,& ſeria narrarem,æquum fuit,vt faſtidita fabuloſi Heliconis vnda,fideles biberem Nicolai aquas. Et ſi quæ ſordes irrepſere furtim,tuus abſtergat puriſſimus humor : Viuẽs fuiſti flammeus,mortuus factus es aqueus;ne ſcilicet totus aſcẽderes ſurſum;ſed dilabens,vt aqua ſuper terram,noſtram identidem extingueres ſitim. Prætefers ex duobus tantum conſtare elementis, ex igne ſcilicet,& aqua;quia profectò nihil in te fuit terreum, & abiectum;nihil aereum,& inane:Sed vel igneus amore Dei,vel limpidus puritate vitæ. Senſit te Arius vtrũque,& igneum, quando eius mala bene incaluit impacta alapa: & aqueum, quum hereſeos incẽdia extinxiſti. Tranſiuit infelix per ignem,& aquam, ſed abſque ſpe refrigerij,quia lacrimarum horruit vndas. Accipe ergò,Magne Prę-ſul,exiguum munus amoris eximij : & agnoſce tantum in eo meæ erga te monimenta pietatis,& agnoſcam ego perpetuò tui commoda patrocinij.

Digitized by Google



ILLVSTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO MERLINO PIGNATELLO,

Equiti Sancti Iacobi de Spata, In Sacro Supremo Iustitiæ Consilio Sanctæ Claræ Regio Consiliario, Regiæ Cameræ Summariæ Præsidenti, & Regni Secretario, Patrono meo Colendissimo.

FRANCISCVS BALSAMVS S. D.

Gratulaturus tibi, Illustrissime Domine, nuperrima munera ac recentes dignitates ab antiquissimo, & nunquam antiquando merito oriundas, hunc qui mihi cœlitus obtigit, librum fisto. Etenim si Cereri spicæ, si arma Marti, si oliua Minervæ, tanquam accommodata munera sacrabantur, tibi tanquam sapientiæ Numini doctæ paginæ dicandæ sunt. Eò enim te leuauit, & splendor generis, & doctrinæ præstantia, & in agendis prudentia, & suauitas morum, vt rarus sit qui aut non indigeat, aut non ambiat tui patrocinij vmbram: si tamen vel vmbræ nomen pariat luminare magnum vir-

Digitized by Google

virtutis tuæ, quod quæcumque tuetur, illustrat. Copulasti enim mirè gentilitio in stemmate & montes & aues, vnde Merlini cognomento gloriaris, vt variæ tuæ sublimitatis canoros haberes præcones: & fixas habens Neapoli radices, volaret quàcumq; famæ sonus. Coaceruasti montium manum, & altitudinum feciſti cumulum, non vt fatuo gygantum consilio cælum expugnares, sed vt cum cælo pugnares, & innocentia, & probitate. Sustulit ad sidera fortunæ rota veluti iot olympos, montes tuos, & tanta stabilitate firmauit, vt non posset amplius æquare solo, quos inseruit polo, nec humi sternere quos destinauit ad astra. Frustrà tenduntur doli retia ante tuorum oculos pennatorum, nam non capiuntur munerum laqueis habitantes volucres in sublimi. Spernunt auaritiæ sordes quæ nidificant in excelso; vbi saluberrimo fruentes cælo, sine incendio sint fœnices. Nullo vnquam seruitij iugo succubuere iuga tua, quibus liberrimæ incubant aues. Non sunt leues alites tui, qui à montibus mutuant pondus: nulli graues montes tui, qui leuitatem captant à plumis. Illæ aues dedere pennas, illi montes protulere papyros, vt legalia patrares volumina, quibus populi regerentur tanquam legibus è Sina latis. Benè audiunt apud omnes aues tuæ, quia benè canunt. Hæ nunquam aut humi repsere, aut iacuere; sed natiuo iure fuere semper celsorum culminum hospitales. Testes prodeant Maiores tui qui quam alta tenuere honorum fastigia, litterarum monimentis proditum est. Inter quos Gentilis de Merlinis, Ladislao Rege Neapolis, nostri Regni Protonotarius potuit inter cetera rerum memorias suorum rectè factorum tibi plurima testimonia legare. Viuit adhuc, & in posteritatis mente nunquam senescet Magnus ille Regni Seneschallus Nicolaus eius filius, qui Aulæ Regiæ Præfectus & fidem & integritatem suis Regibus testatam fecit. Is Gubernator Capuanæ Vrbis opposuit vt inuicta propugnacula irrumpentibus copijs montes suos, & suo periculo didicere hostes, quam durum esset pugnare cum saxis. Sed non est opus vt ab Atauis repetas gloriam, in nullo minor Maioribus tuis, æquans meritis, quos sequeris tantùm ætate: In quorum inclito patrimonio nepos legitimus non nepotaris. vsus es illorum pompa pro calcari, factus auitæ gloriæ non tam hæres quàm æmulus. Imo extraneos putas honores, quos à parentibus subis tantùm titulo hæreditatis. Sed procul à montibus tuis Iouis ignes: nam quæ in alios ministrat fulmina, tibi Regalis Aquila pandit alas. Hæc vnguium suarum suspendio librat aues tuas, tanquam ad solis probans radios, cognatos esse Aquilæ Merlinos, qui tanti Planetæ luci impauidos figunt obtutus. En Aquila ponderante cernimus, quod præter Aquilas vni Merlini admittuntur ad solis aspectum. Ergo pretium Aquilæ habent qui ad pondus Aquilæ trutinantur. Hæc tuæ virtutis miracula admirans Excellentissimus Castellæ Admiratus, Expectatissimus Regni Prorex illis te aut honoribus onerauit, aut honestauit oneribus, quibus sola Montium tuorum par est constantia. Hæc nullo potuit aduerso conamine labefactari, & stabit semper irruentibus inconcussa procellis, & si fractus collabatur orbis, impauidũ feriũt ruinæ. Impulit enim te aliquando peregrè importuno tempore imperium importunius, sub seriarum specie rerum; sed profuere tibi aduersa consilia, & non parum obsequuta est versutia persequens; quiquè te vexabas gratis,

gloriæ

gloriæ tuæ nesciens seruiebat. Enimverò qui Romam agebaris sub spe casus, Romam ibas vt in Capitolio victor de inuidia triumphares. Egit tecum in Vrbe quam humanissimè Hierarcha summus, excipiens te & ad sacrorum oscula pedum, & ad arcana consilia cordis; nec poterat integritas tua nisi amoris pati stimulos à Sanctissimo Rege Apum. Summos etiam tibi detulere honores Heroes illi purpurati, & gaudebant purpuræ suæ tuum candorem sociare. Voluisset, credo, Roma septem collibus suis quinque tuos copulare, vt supra duodecim sita collibus, & fieret maior, & Apostolico nixa numero sanctius se haberet ac firmius. Accipe ergo obsequentis animi mei qualecunque tributum, quod sanè tuos non augebit montes, sed in mõtibus augescet tuis. Vbi enim poteram altius meæ fidei commissum volumen collocare, quàm in tuorum montium supercilio, vt tanquam ciuitas supra montem posita extemplo toti pateret orbi? Cui vocaliori poteram famæ hoc opus committere promulgandum, quàm auibus tuis, quæ centum linguis ac lituis disertius clamant? Tutus erit in tanto asylo ab omni infortunio liber; & despondebit animum pallens inuidia, altissimum desperans ascensum ad montium vertices. Spero fore, vt magnum sumentes impetum huius libri salutares vndæ in procliuitate tuorum montium, & defluant ocyus & rigent vberius orbem terræ. Vale.

Digitized by Google

DON FRANCISCVS MERLINVS
PIGNATELLVS
REGIVS CONSILIARIVS

Anagramma purum.

NVLLVS PLVS FIDVS OMNI, AC CLARVS INSIGNIOR A SECRETIS REGNI.

Epigramma.

Hunc vbi conſpexit Siren mirata, locuta eſt.
Quod decus orbis habet, quàm viget Vrbis honor.
Hunc cerno populos, moderari legibus vrbes:
Et necis, & vitæ iam dare Iura Foro.
Qua fide, PLVS FIDVS NVLLVS ſic eminet OMNI
Mira fides ſemper, Faſque, Nefaſque regit.
Ad veram normam legum formaſſe videmus
Arcanum Regis contegit hic calamo.
Iure à SECRETIS REGNI eſt INSIGNIOR vnus,
AC CLARVS Regi charus, hic Vrbe potens.

V. I. D. Honofrius de Palma ſuo Mecænati, & Patrono

Dat Donat Dicat.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI BENEVOLO:

Iſte parumper, Amice Lector; paucis te volo in libri mei veſtibulo. Permiſi typis has lucubratiunculas, (quas vel mihi ipſi in ſecreto domicilij compoſui, vel expoſui doctor noſtratibus diſcipulis, quum moralem profiterer Theologiam; vel poſtulatus decidi nonnullis,) amicorum potius parens præcepto, quam acquieſcens conſilio; quia nequiui amplius obſurdeſcere, quin imperantibus audirem. Reſtiti quantum potui, & fortaſſe quantum non debui, ne modeſtia vergeret ad inurbanitatem. Nunc victus do manus, contentus aliquando pallere, ne erubeſcerem ſæpè. Palleo equidem à toto mundi theatro, ne præbeam ſpectaculum riſus potius, quam ſtuporis; neue plaudatur operi cachinno potius, quam laude. Et, vt vera fateamur, in ea ſumus ſæculi vbertate, quod & præteritorum temporum contineat ſcientiæ theſauros, & ſpem ſuſtulerit poſteris quærendi nouos. Nihil eſt vltrà, quod deſideretur. Quidquid additur hac in re, ſupereffluit inutile; & quidquid agitur, actũ agitur; & lõgè præſtat ſcriptorũ copia ſtudioſorũ diligẽtiæ. Et nihilominus quiſquis quid ſciuerit, de imprimẽdo ſtatim cogitet, tãquam noua, & inaudita inuecturus in mediũ; vt minus videatur eſſe pius, ſi fraudet mortales opere ſuo. Profectò hactenus irrigatus eſt orbis terræ ſapientiæ aquis: nulla in parte apparet arida; librorum abyſſi operuerunt eam. Fruſtrà expectant adhuc onagri in ſiti ſua; admoueant tantum ora, & bibant omnigenæ ſapientiæ inexhauſta flumina; niſi in tanta aquarum affluentia pereant ſiti, neſcientes vnum præ alio libare, ſtipati potibus æquè bonis; & ad cœnam dubiam hæreant incœnati. Perutiles ſunt telluri pluuiæ, non cataclyſmi; quia immodica nubium beneficia peſſundant omnia: niſi quod, quia quod pluuit pluit, nihil noui acquirit terra. Nam experimur eandem ſubleuari materiam, vt iterum cadet. Et vtinam ſubleuaretur, vtinam non caderet, nam perſæpè ſublimia ipſa, quum manu tractantur non dexterà, confuſa ruunt. Qua ergo animi alacritate prodeat mundo libellus meus, iam librorum abundantiam faſtidienti, & inter voluminum labyrinthos inuoluto? Ab vno tamen incommodo immunis ero, quòd minimæ iſtæ guttulæ meæ decidentes nullam parient ranam, madefacta iam ſatis humo. Sed Ariſtarchi, & Ariſtophanis quis euadat alumnos, aſſuetos aliorum doctrinam excipere probris, & inſectari conuicijs, quaſi alterius fruentes iniuria, & impatientes gloriæ? Et quia pro nihilo habent verbali iaculo, tanquam ſubitò euaneſcente telo ferire, niſi ſtabili noceant ictu, acri pungunt ſtylo, & acuto cruentant calamo innocuam aliorum doctrinam, mandantes typis fixa teſtimonia maledicæ mentis, & dum putant ſcriptorum labefactare fidem, perpetuant apud ingenuos, & illorum innocentiam, & ſuum ſcelus. Vtinam inter Chriſtianos eiuſmodi non eſſent

ſcripto-

Digitized by Google

ſcriptores,vtinam non legiſſem . Quod ſi quis aliqua in re videtur ſibi læſus,putat religionem eſſe , ſi amaram reperdat vicem ; & pro alteram maxillam præbendo,iuxta Chriſti monita, quæ præſeferunt profiteri;inuehuntur toto homine in æmulum. Stringunt calamos,ſtygio imbutos atramento; imo molliunt ad eloquentiæ lenimenta ſermones ſuos , vt magis penetrantia efficiant iacula . Aſſerunt licere,ſe ab irrogata iniuria vindicare; quam verius vindicant toto Marte; reddentes maledictum pro maledicto, inuicem comedentes,inuicem mordentes . Iſti ſunt , qui chariſmata meliora non æmulantes , pro mundiali pompa decertant ; & vſque ad ſacras aras,vſque ad ſancta ſanctorum,ſi fas eſt ita loqui,inuexere varietatem. Sed quid vlterius protraho triſtia ? Ferat forti animo ſapiens mores temporum:& abeant iſta,& à mente,& à calamo . Te alloquor, humane lector. Quæ benè habent in hoc opere,accipere ne graueris;quæ non ita bene habent,vel prorſus malè,habe tu tãquam ſubſtrata folia pulcris pomis;omnia poſſunt apud te habere locum,vel vtilitatis ſcilicet,vel ornatus.

Præmiſi autẽ has reſolutiones ſub titulo primæ partis;ſed partus ne vnigenitus,an primogenitus erit,à tuo pendebit affectu . Nec primæ partis officit titulus libro forte ſecundum non habituro , quum ſolemne ſit ſacræ paginæ primogenitũ pro vnigenito vſurpare. Habe igitur nunc hoc qualecumque munus,quod vel patere,vel fruere . Studui autem pro viribus facilitati , immorans fortaſſe plus æquo rerum explicationi , vt prodeſsem ingenijs non bene ſubactis ; & data opera craſſeſcere volui ad ſcholaſticas ſubtilitates non aſſuetis .

At ſ , erci plurimorum doctorum citationi,non ſtudio. Licet enim viderim plurimos,& promiſcuæ doctrinæ auctoribus operam dederim; ne operam ludam,adduco paucos,malens doctrinam doctrinis ſtabilire,quam doctoribus . Iuſtinianum ſequens,qui l. 1. §. ſed neque C. de vet. iu. ſic mandat A. Triboniano, *Sed neque ex multitudine auctorum,quod melius , & æquius eſt , iudicatote , quum poſſit vnius forſan , & deterioris ſententiæ & multos & maiores aliqua in parte ſuperare* . Ad quid doctorum exercitus , qui quandoque ab re citantur, coacti militare pro doctrina, quam oppugnant? Vincitur intellectus aſpectu dumtaxat veritatis.

Prænotaui autem ſingulis quæſtionibus lautiora ſummaria,vt tibi eſſent pro totius doctrinæ compendio . Sed quid de typographiæ dicam vitijs ? Nam repetitæ iterum , ac tertiò ad limam paginæ à ſubrepentibus furtim mendis non vindicantur . Tuæ ſit humanitatis ſi quid legenti occurrit diſſonum temperare . Vtinam potuiſſem tibi ſine vlla labe librum ſiſtere . Aufer tu ipſe callidus rubiginem ab argento , & egredietur vas puriſſimum Munda ſerimus frumenta; ſed incauta, non inimica manus typographi ſuperſeminat zizania . Tu prudens meſſor proiectis his legendo, collige illa in horreo mentis tuæ. Vale.

Digitized by Google

INDEX CONCLVSIONVM,

QVAE IN HOC OPERE RESOLVVNTVR.

RESOLVTIO PRIMA.

NEapolitanus obtinens gradum Doctoratus falsis testibus, ad Collegium admissus, potest in tuta conscientia regalia recipere, quæ alijs collegiantibus dantur.

II.

Beneficia, quæ vacant mense Iunij post expeditionem Bullarum, & ante possessionem Episcopatus, si post possessionem non sunt à Pontifice collata, possunt ab Episcopo conferri.

III.

Sacerdos, qui post commissum delictum in sua diœcesi, in alienam aufugit, si citetur per edictum, & excõmunicetur, excommunicatio est nulla, & potest hic talis tuta conscientia celebrare.

IV.

Irregularis ex homicidio voluntario, cui inscio subreptitia dispensatio est impetrata à Procuratore, si ordinetur cũ Breui Pontificio in tribus diebus festiuis, in quo sunt illa verba, *Teq; à quibusuis excommunicationis, suspensionis, &c.* potest in ordine suscepto ministrare, sine noua dispẽsatione.

V.

Sacerdos excommunicatus toleratus potest in tuta cõscientia ad petitionem amicorũ celebrare, etiã sine vlla necessitate celebrandi.

VI.

Cedula habitus Diui Iacobi potest emi, & vendi sine vitio simoniç.

VII.

Permutatio beneficij cum legato, & si Ecclesiæ facto, tamen non ad pias causas, & adhuc ab Ecclesia non obtento, est simoniaca. Verum si bona fide hoc fecit quis, & per trienniũ cum hac bona fide possedit, non tenetur beneficium resignare.

VIII.

Creditor posterior hypothecarius, qui dolo induxit creditorem anteriorem hypothecarium ad transigendum cum communi debitore ad hoc, vt ipse posterior totum suũ cre-

a di-

Digitized by Google

ditum recipiat, ad nullam tenetur reſtitutionem.

IX.

Reus conuictus in materia aſſaſſinij non poteſt excuſare complices, nec Confeſſarius poteſt talem nolentem dicere veritatem abſoluere.

X.

Qui damnũ infert alteri ſine culpa mortali, ad nullam tenetur reſtitutionem.

XI.

Qui ſcit pragmaticam fore promulgãdam de mutatione monetarũ, & mutuat alicui ignoranti, & mutuo petenti centũ e.g. & ſi talem non certiorauit de tali mutatione, poteſt in tuta conſcientia recipere illa cẽtum in melius redacta, imò mutuatarius tenetur centum tempore ſolutionis meliorata ſoluere.

XII.

Reus, qui in patibulo dicit falſitatem exculpando ſocios, non poteſt à Confeſſario clam, & ſub cappa, vt aiunt, abſolui.

XIII.

Infidelis baptizans filium fidelis, poſtquam venit ad fidem, cõtrahit veram affinitatem cum matre baptizati, & conſequenter nõ poteſt ipſam ducere in vxorem.

XIV.

Monialis admittens amaſium intra clauſtra ad malum finem, non incidit in excommunicationem motus proprij Gregorij XIII. incipientis *vbi gratia, & indulta, &c.*

XV.

Quando ceſſat finis legis tantum priuatiuè, non ceſſat obligatio legis.

XVI.

Qui matrimonium cõtrahit poſt ſecundam publicationem relicta tertia, ſine diſpenſatione, peccat mortaliter.

XVII.

Pueri non tenentur ad præceptũ communionis in Paſchate ſtatim, ac ad vſum rationis peruenerunt.

XVIII.

Impedimentum affinitatis ex copula illicita prouenit à natura, & non à iure Eccleſiaſtico.

XIX.

Pœnitens, qui habuit pro pœnitẽtia à Cõfeſſario, vt ſoluat decẽ e.g. pauperibus, poteſt illa tribuere patri ſuo pauperi, etſi tenetur huic alimẽta præſtare.

XX.

Nemo tenetur confiteri peccata dubiè commiſſa, vel certè cõmiſſa, ſed eſt ſub dubio, an ſint mortalia, vel venialia.

Et

Digitized by Google

XXI.

Et si teneatur quis cõfiteri omissiones de præcepto, tamen nõ potest per se cõfiteri omissiones de consilio, & si per accidens teneatur aliquando confiteri.

XXII.

Quod peccata semel confessa, & absoluta possint iterum confiteri, nulla ratione conuincẽti demostrari potest.

XXIII.

Peccatum originale, & actualia commissa ante baptismum nõ sunt materia Sacramenti pœnitentiæ.

XXIV.

Peccatum fictionis concomitans, & completum ante vltimum instãs completiuum Baptismi est materia ipsiusmet Baptismo, peccata verò completa in vltimo instanti cõpletiuo baptismi sunt materia Sacramenti pœnitentiæ.

XXV.

Actus pœnitẽtis prout sunt a pœnitente sunt materia remota, & non proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

XXVI.

Peccator attritus qui cognoscit se esse attritum, est verè dispositus ad Sacramentum Poenitentiæ, etiã in articulo mortis.

XXVII.

Contritio naturalis, & insufficiẽs quantumuis existimata supernaturalis, & sufficiens non sufficit pro materia Sacramenti poenitentiæ.

XXVIII.

Dolor habitualis, vel virtualiter perseuerans sufficit in Sacramento Poenitentiæ.

XXIX.

Dolor & si non præcedat Cõfessionem, vel non ordinetur à poenitente ad ipsã, sufficit pro materia Sacramẽti pœnitẽtiæ.

XXX.

Non tenetur pœnitẽs elicere nouum actum contritionis, si iterum confiteatur peccata alias ritè confessa, vel si confiteatur peccata oblita, de quibus sub motiuo generali habito in prima confessione doluit.

XXXI.

Non datur Sacramentum validũ, & informe ex defectu doloris.

XXXII.

Qui vult confiteri nutibus sine vlla necessitate, nõ peccat mortaliter.

XXXIII.

Confessio publica non vitiat Sacramentum Pœnitentiæ.

XXXIV.

Mendacium de re veniali in cõfessione prolatũ non vitiat cõfessionẽ ipsã.

Digitized by Google

XXXV.

Integritas materialis confessionis non est de essentia sacramenti poenitentiæ.

XXXVI.

Diuersitas specifica peccatorum desumitur ab obiecto per se volito à peccante: diuersitas verò numerica in peccatis externis desumitur ab obiectis etiam munero diuersis, vel ab actionibus peccaminosis vna post aliam factis: in peccatis verò internis diuersitas numerica habetur, si interrumpatur actus peccaminosus per actũ per se oppositum, siue physicè, siue moraliter. At si interrumpatur per actũ indifferentem, siue numero multiplicẽtur, siue nõ multiplicentur, talia peccata non sunt confitenda, sed sufficit explicare tempus, quo peccata illa durarunt.

XXXVII.

Circumstantiæ notabiliter aggrauantes peccata mortalia probabiliter non sunt aperiendæ in confessione.

XXXVIII.

Qui confitetur ob vanam gloriã, vel ob alium finem tantum venialiter malum, facit veram confessionem sacramẽta[illegible]

XXXIX.

Satisfactio Sacramentalis &, si sit pars Sacramenti pœnitentiæ, tamen non causat gratiam ex opere operato.

XL.

Satisfactio Sacramẽtalis remittit tantum ex opere operato pœnam temporalẽ debitã peccato remisso per absolutionẽ, & habet hunc suũ effectum etiã si in peccato à pœnitente fiat.

XLI.

Pœnitens non tenetur acceptare pœnitẽtiam satisfactoriã à Confessario impositam, & Confessarius tenetur huic absolutionem impendere.

LXII.

Gubernatores Ecclesiæ non possũt propria auctoritate missas reformare, seu moderare in alicuius hæreditate relictas, & si hæreditas sit reddita difficilis exactionis, & ferè decocta, sed hæc moderatio, seu reformatio spectat ad Summũ Pontificem.

XLIII.

In hoc nostro Regno Neapolitano emi non possunt chirographa exactionis Regiæ, quæ vulgo dicuntur, *polise d'arrendimento di corte*, quia vel talis emptio est manifesta iniustitia, vel palliata vsura.

XLIV.

Iustitia requisita in lege ad hoc,

vt

Digitized by Google

vt ſimpliciter obliget nõ debet eſſe dubia, vel opinabilis.

XLV.

Miles ſiue ſit ſubditus, siue non, dum dubitat de iuſtitia belli, & ſcit ſuum Principem etiam dubitare, non poteſt in tuta conſcientia militare, ſecus si ipſe tantum dubitat, non verò Princeps.

XLVI.

Subditus dubitãs de materia præcepti, si cognoſcit ſuperiorem indoctum, & imprudentem, tenetur nõ obedire cæco modo, ſed examinare præceptum. Secus verò si cognoſcit ſuperiorem doctũ, & prudentem, & non dubitare de materia præcepta.

XLVII.

Non poteſt Iudex, ſeu ſuperior punire ſubditum, qui in operando ſequutus eſt propriam opinionem probabilem cõtra probabilẽ opinionem ipsiuſmet ſuperioris.

XLVIII.

Pœnitens non tenetur ſequi opinionem Confeſſarij, imò Confeſſarius tenetur ſequi opinionem pœnitentis, etiam ſi talis opinio poenitẽtis exiſtimetur falſa à Confeſſario, dum modo tamen probabilis reputetur à Doctoribus.

XLIX.

Poenitens qui emiſit votum ſimplex obediendi Confeſſario, tenetur obedire in materia dubia.

L.

Tenetur pœnitẽs, qui emiſit votũ ſimplex obediendi Confeſſario, obedire, ſi materia præcepta ſit opinabilis.

LI.

Subditus nõ tenetur ſoluere gabellas opinabiliter, vel dubiè iuſtas.

LII.

Presbyter qui prima die longæ nauigationis breuiarium proijcit in mare, ſi confeſſus, vel contritus ſit de tali proiectione, non tenetur cõfiteri omiſſiones ſequentium dierum.

LIII.

Qui defatigatur, vel cibum nociuum ſumit, vt non ieiunet, nõ peccat contra præceptum ieiunij.

LIV.

Qui die ieiunij pharmacũ ſumpſit, vt non ieiunet, nullo modo peccat.

LV.

Perpetuò amentes poſtquam ad ſeptimum annum peruenerũt tenentur ad leges in actu primo.

Non

Digitized by Google

LVI.

Non est licitum ministrare carnes tempore quadragesimali puero, cui acceleratus est vsus rationis, scilicet ante septennium.

LVII.

Licitum, est infantibus, vel infidelibus opera seruilia diebus festiuis præcipere.

LVIII.

Qui mane fuit in loco exempto à præcepto ieiunij, & sine fractione illius peruenit ad locũ sui domicilij, vbi hoc præceptum vrget, tenetur reliqua parte diei ieiunium seruare.

LIX.

Qui in suo oppido satisfecit præcepto communionis, vel confessionis, si perueniat ad locum vbi præcepto huic adhuc satisfactum non sit, non tenetur iterum satisfacere; Qui verò præcepto ieiunij satisfecit in vno oppido, tenetur iterum satisfacere si ad locum peruenit, vbi huic præcepto satisfactum adhuc non est.

LX.

Qui scit se mane discessurum ab aliquo oppido, in quo præceptum ieiunij vrget, & peruenturum in propriam patriam, in qua præceptum ieiunij non vrget, non potest mane in tali oppido ientaculum sumere, vel ex professo comedere.

LXI.

Legatum relictum pauperibus potest impẽdi pro fabrica Ecclesiæ.

LXII.

Pueri quibus acceleratus est vsus rationis, si homicidium volũtarium committant, efficiuntur irregulares.

LXIII.

Qui dum est dies festus in propria Ciuitate egreditur ad locum vbi non est dies festus, non tenetur missam audire, si egreditur ante meridiem; & dum in sua Ciuitate sint plures missæ celebrandæ.

LXIV.

Peregrini tenentur legibus populi quà transeunt.

LXV.

Reus non tenetur ad pœnam priuatiuam, nisi post sententiam declaratoriam culpæ quantũuis in lege apponãtur illa verba, *ipso facto, & absq; alia declaratione.*

LXVI.

Clerici tenentur ad leges Principum secularium, si hæ bonum commune clericis, & laicis respiciunt, sed non quia sunt à Principibus secularibus, sed quia hæ vim habẽt à lege naturali.

Qui

Digitized by Google

LXVII.

Qui venatur, vel piſcatur in locis locatis pecunia alteri, ad nullam tenetur reſtitutionem, ſi ferę retinent naturalem libertatem.

LXVIII.

Princeps tenetur ſeruare proprias leges ſub pœna peccati mortalis, ſi materia præcepta ſit grauis.

LXIX.

Pater naturalis, qui non impedit abortum propriæ prolis, ex eo quia inuincibiliter ignorat teneri impedire, non eſt irregularis.

FINIS INDICIS CONCLVSIONVM.

Digitized by Google

INfraſcriptæ Reſolutiones Adm.Reu. Patris D. Ioſeph de Ianuario imprimi poſſunt, cum nil contra fidem,vel bonos mores contineant, ſi ita videbitur Adm. Illuſtr. & Reuerendiſſimo Domino Generali Vicario. Neap. die 25.Nouembris 1642.

Ioannes Vincencius Cimiliarca,& Canonicus Dep.

Theologus Rubeus videat.

GREGORIVS PECCERILLVS Vic. Gen. Neap.

D.S.Reuerendiſſima poteſt concedere IMPRIMATVR,quia regiſtrata fol.1.

Fr. Ioſeph de Rubeis Eminentiſſimi Theologus.

IMPRIMATVR. Gregorius Peccerillus Vic. Gen. Neap.

Don Antonius de Colellis Congregationis Piorum Operariorum Præpoſitus.

REſolutiones iſtas morales, &c. Don Ioſeph de Ianuario noſtræ Congregationis nonnullis è noſtris Theologis commiſimus perpendendas. Et quia luce dignas cenſuerunt, facultatem dedimus, vt fieret, niſi aliter ijs,ad quos pertinet,videatur. Neap.in Domo Sancti Georgij Maioris anno 1643.die 8. Maij.

Don Antonius de Colellis.

Illuſtriſsime,& Excellentiſsime Domine.

REſolutiones morales editas cum maxima conſideratione,& labore per Adm.Reuerendum D.Ioſephum de Ianuario Sacerdotem benemeritum Sacræ Cõgregationis Piorum Operariorum,de mandato Veſtræ Excellentiæ inſpexi,ac diligenter perlegi,& cum nil contineãt,quod iuri publico,ac bonis moribus repugnet,ſed potius publico commodo proficue,& vtiles ad commodum literariæ facultatis,exiſtimo eas, quam citius Prælo dari poſſe,adhærente tamen beneplacito Excellentiæ Veſtræ, cui in omnibus me ſubmitto.Dat.Neap.ex noſtris ædibus die 3.menſis Martij 1643.

Excellentiæ Suæ

Addictiſsimus ſeruulus

Ioannes Baptiſta de Thoro I.C.Neap.

Vidit Arias de Meſa Reg.Conſiliarius.

Viſa prædicta relatione IMPRIMATVR.

Brancia Reg. Zuſia Reg. Caſanate Reg.Sanfelicius Reg.Caracciolus Reg. Capycius Latro Reg. Salamanca Reg.

Prouiſum per Suam Excellentiam. Neap.die 17.Iunij 1644. Barrilius.

Digitized by Google

RESOLVTIONVM MORALIVM

D. Iosephi de Ianuario

PARS PRIMA.

SVMMARIVM

DOctrina requisita scholaribus doctorandis, & modus Doctorandi præscriptus à primo priuilegio Regina Iosuæ Secundæ sunt iam derogata, tum à secũdo priuilegio eiusdem Regina, tum à pragmatica 9. de scholaribus doctorandis. num. 1.

Doctoratus contra formã præscriptam à pragmatica, & si illicitè tamen verè est doctoratus. num. 2. idem est promotionem non esse, & esse nullam. eod. nu. pœna est imposita ad promotionem, non vero ad attentationem promouendi. eod. num.

Officium doctoratus consequitur ad gradum. num. 3. doctoratus est dignitas, & non officium, & est dignitas non habens annexam iurisdictionem. eod. num.

Qui non tenetur vti doctoratu in petiam est re vera doctor, si sit doctoratus. num. 4. Nec alij tenentur eum tenere vti non doctorem vsque ad sententiam declaratoriam culpæ eod. num.

Doctoratus falsis testibus circa doctrinam, & modum doctorandi potest in tuta conscientia accipere munuscula, quæ dantur aliis promotoribus num. 5.

Ad hoc, vt quis sit de Collegio Neap. sufficit si sit Doctor, de patria Neap. & quod adsit voluntas Cancellarij, & maioris partis Doctorum de collegio. num. 6.

Doctores Neap. malè promoti ad doctoratum amittunt potestatem aduocationis, & officii. num. 7.

Qui indignè est doctoratus, gaudet priuilegiis graduatorum. num. 8.

Doctoratus cõtra academiæ leges, etsi illicitè, tamen valide est doctoratus, dummodo leges illæ non irritent ipso facto promotionem. n. 9.

Malus modus tendendi ad doctoratum nõ priuat doctoratum priuilegijs, aliis doctoribus benè promotis concessis. num. 10.

Doctorati à Comite Palatino per constitutionẽ Rii V. sunt declarati nulliter doctorati. n. 11.

Pœna semper debet expectare sententiam declaratoriam culpæ. num. 12.

Simoniacus non tenetur deponere beneficium obtentum, nec fructus restituere, nisi post sententiam num. 13. & 18.

Filius familias clandestinè contrahens nõ tenetur deponere hereditatem patris, nisi post sententiam declaratiuam iudicis, nu. 14.

Doctor Neapolitanus, qui Doctoratur falsis testibus nullum facit præiudicium scholaribus doctorandis num. 15. vnde nec facit contra iustitiam commutatiuam; Nec promotores contra distributiuam. eod. n. Munuscula debentur doctoribus admissis ad Collegium, non Doctoribus, qui studuerunt. eod. num.

Doctor Neap. admittitur ad Collegium statim postquam est Doctoratus num. 8.

Admissio ad Collegium Neap. est facta Doctoribus, seu doctoratis, vt sic, non vero doctoribus, qui studuerunt. num. 17.

Intentio actualis destruit intentionem habitualem, seu virtualem. nu. 19.

Digitized by Google

RESOLVTIO PRIMA.

Quidam Neapolitanus gradum doctoratus assequutus falsis testibus probans, se curriculum quinquennale litterarium absoluisse, & singulis annis in publico studio audiuisse: An possit, postquam ad Collegium peruenerit, in tuta conscientia regalia recipere, quæ alijs collegiantibus dantur?

1 RRo Responsione suppono primò, constitutionē priuilegij Ioannæ Secundæ editam die quinto Mensis Maij 1428. quo ad scientiam, & modum doctorandi, omninò à Collegio Neapolitano ablatam esse, non solum per aliud Priuilegium editum eodem anno, in quo datur collegio omnimoda potestas doctorandi omnes, qui alias digni, & idonei reperiuntur; sed etiam per pragmaticam 9. de scholaribus doctorādis editam die vltimo mensis Septembris 1536. in qua desideratur cursus quinquennalis tantum studiorum, & non amplius, ita Regens Rouitus super rubricam de scholaribus doctorādis n. 8. pagina mihi 674.

2 Suppono secundò, quòd Doctoratus contra tenorem talis pragmaticæ, & si illicitè sit doctoratus, tamē verè est doctoratus, ita Azor. tom. 2. lib. 6. c. 6. q. 1. in fin. Sāchez in cōsilijs lib. 3. c. 1. dub. 57. n. 11. Ferdin. à Castrapalao tomo 2. tract. 13. disp. 4. puncto 6. nu. 20. Quod probo, tum quia pragmatica illa non inhabilitat promotores ad tales indoctos promouendos, sed tantum prohibet, ne promoueantur. Verba enim sunt. *In virtù della presente ordinatione ordinamo, &c. Che da hoggi auanti non debiate protedere à dar grado di dottorato à niuno, ò sia di medicina, ò di legge, che prima nō vi costi per informatione, e per la matricola, che s'è ordinato farsi, che colui, che si vuole dottorare in Legge habbia studiato, ò sia stato matricolato per cinque anni di continuo, sotto pena à nostro arbitrio riseruata, &c.* Cum ergo pœnam pro promotione imponit, supponit, promotionem esse veram. Nam idē esset promotionem non esse, & esse nullam. l. duo sunt Titij ff. de testamentaria tutela. Tum quia pœna est imposita ad promotionem verā; Nam si vellet promotionem esse nullam, non promotioni pœnam imponeret, sed attentationi promouendi, vtoptime obseruauit Ferdinādus à Castro palao in summa tom. 1. de lege pœnali tract. 3. disput. 2. puncto 15. num. 1. qui pro se citat Tiraquellum de retractationibus §. 1. glos. 2. num. 5. & 6. Seraphinum de priuilegijs iuramenti, priuileg. 11. in fin. Suarez de legibus lib. 5. c. 34. n. 13.

3 Nec ex eo, quia pragmatica statuit pœnam contra sic promotos, promotio est nulla: quia non priuat illos gradu doctoratus, sed tantum officio doctoratus, quod cōsequitur ad gradum. Pœna enim hæc est. *E quelli, che pigliarano il detto grado, non possano auocare, ne esercitare officij, ne siano stimati come dottori.* Sed Doctoratus est dignitas, & non officium, quod patet ex verbis ipsis Ioannæ Secundæ in priuilegio, Ad Doctoratus, inquit, gradum dignitatis nullus possit ascēdere excōmunicatus, infamis &c. Et quod sit dignitas non habens annexam iurisdictionem temporalem, expressè dicit Bonacina de excommunicatione, disputat. 2. q. 2. puncto 7. num. 4. vers. primò, collationem, &c. ergo sic promotus officio priuatur, non dignitate.

4 Nec ex eo, quia dicit; *Che non siano tenuti come Dottori.* Doctoratum annul-

nullat, nam si non tenentur vti Doctores, sunt re vera Doctores: teneri autē extrinsecè se habet ad doctoratum, & refertur ad alios, vt non habeant talē, vt Doctorem; non verò, quod ille Doctor non sit in se. Nec tenentur alij talem habere vti non Doctorem vsque ad sententiam declaratoriam culpæ, vt optimè Ferdinandus à Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 2. puncto 2 num. &. deducitur ex Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 53. num. 3. & 4. vers. deinde, &c. His positis

5 Respondeo ad quæsitum, quod hic sic promotus potest in tuta conscientia munuscula, quæ dantur alijs promotoribus, recipere.

6 Quod probo primò, nam ad hoc, vt aliquis sit de Collegio, sufficit, quod sit Doctor de Patria Neapolitana, & quod adsit voluntas cancellarij, & maioris partis Doctorum de Collegio ipsum admittendi ad Collegium, vt habetur expressè in priuilegio Ioannæ Secundæ his verbis: Qui possunt esse de Collegio, intendimus, & volumus, quod possint esse etiam alij Doctores, & de cætero esse, & sint de Collegio, qui accedente voluntate Cancellarij, suffragio ad minus medietatis adstantium ipsorum Doctorum de Collegio ad ipsum fuerint Collegium producti, qui oriundi, & Ciues nostræ Ciuitatis Neapolitanæ fuerint. Sed hic falsis testibus doctoratus, est verè Doctor, & habetur, vt talis vsque ad sententiam Iudicis, vt in secundo supposito, & est Neapolitanus, & habet voluntatem Cancellarij, & maioris partis illorum de Collegio, vt suppono: ergo si ad Collegium admittitur, admissio est valida, ergo potest suffragia dare, & munuscula recipere.

7 Confirmatur primò, quia pœna imposita contra sic malè promotos non est priuatio dandi suffragium doctorandis, sed tantum est priuatio aduocationis, & officij; ergo sic promotus admissus ad Collegium potest suffragium dare, & munuscula collata pro tali suffragio recipere. Pœnæ enim sunt restringendæ.

8 Confirmatur secundò. Nam qui indignè est doctoratus gaudet priuilegijs graduatorum, ita Garsias de beneficijs parte 8. cap. 7. num. 50. Ferdinandus à Castropalao tom. 2. tract. 13. disp. 4. puncto 4. num. 19. vers. nihilominus. Ergo hic, etsi indignè sit doctoratus, tamen debet gaudere hoc priuilegio à Ioanna Secunda concesso, de dando suffragio, & de munusculis recipiendis.

9 Probatur secundò, quia quando aliquis contra Academiæ leges est doctoratus, etsi illicitè sit promotus, tamen est verè doctoratus, dummodo leges illæ non irritent ipso facto promotionem illam, quamuis per sententiam Iudicis rescindi potuerit, vt optimè Azorius tomo 2. parte 2. lib. 6. quæsito primo in fine, Ferdinandus à Castropalao l. cit. Sanchez in Consilijs lib. 2. cap. 1. dubio 57. num. 11. sed in casu nostro promotio nō est ipso facto nulla, quamuis posset rescindi per sententiam Iudicis, vt in secundo supposito. ergo si talis ad Collegium admittitur, potest suffragium dare, & munuscula recipere.

10 Confirmatur primò, quia hic peccauit tantum in modo tendendi ad Doctoratum, non verò in Doctoratu ipso. Sed malus modus tendendi ad Doctoratum non priuat promotum priuilegijs concessis Doctoribus, vt Garsias, Ferdinandus, & Sanchez locis citatis; ergo hic gaudere debet hoc priuilegio de dando suffragio, & de munusculis recipiendis.

Dices, Modus ille tendendi ad doctoratum est de intrinseca ratione doctoratus, ergo doctoratus sine tali modo est nullus.

11 Sed contra est; nam si modus ille esset de intrinseca ratione, Pragmatica annullaret, seù nullum declararet talē doctoratum, & non pœnam imponeret pro tali doctoratu. Sicut de facto fecit PIVS V. contra Doctoratos à Comite

Digitized by Google

mite Palatino in constitutione incipiente: Quamuis à Sede Apostolica,&c. his verbis: Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus, &c. Cum ergo Pragmatica nostra hoc nõ statuit, sed pœnam imposuit, signum est nolle modum illum esse de intrinseca ratione doctoratus.

Probatur tertiò, nam si sic promotus esset priuatus à suffragio dando, & munusculis recipiendis, esset in pœnam pro tali mala promotione, cum promotio sit valida, vt dixi, sed pœna debet
12 expectare saltem sententiam declaratoriam culpæ, vt cum communi sententia tenet Ferdinandus à Castropalao tomo primo tract. 3. disput. 2. puncto 2. num. 8. ergo vsque dum declaretur à Iudice talis mala promotio, non tenetur talis malè promotus se abstinere à dando suffragio, & à munusculis recipiendis.

13 Confirmatur, quia simoniacus spoliatur ipso facto beneficijs obtentis ex Trid. sess. 24. de reformatione cap. 18. & ex constitutione Pij IV. aduersus committentes simoniam: & tamen nõ tenetur beneficium deponere, nec fructus restituere vsque ad sententiam declaratoriam culpæ, vt Sà verb. Lex num. 11. Ferdinand. l. cit.

14 Nec tenetur hæreditatem patris deponere filius, qui clandestinè contraxit matrimonium, vsque dum per sententiam Iudicis declaretur talis filius clandestinè contraxisse, vt Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 53. num. 4. vers. deinde, ergo à pari non tenetur talis Doctor munuscula non recipere vsque dum declaretur promotionem, sui doctoratus fuisse illicitam.

Dices. Taliter Doctoratus præiudicat alijs scholaribus Neapolitanis, qui secundum Pragmaticam ascendere volunt ad Doctoratum, & cum hoc sit in præiudicium tertij, fieri non potest in tuta conscientia; Imo tenetur talia munuscula recepta restituere.

16 Respondeo primò, quod nullum facit præiudicium scholaribus doctorandis hæc admissio ad Collegium; Nam scholares nullã habent potentiã proximã ad admissionem ad Collegiũ, sed tantũ ad doctoratum, ad Collegiũ verò habẽt tantũ potentiã remotam; & cum talis malè promotus sit verè doctor, etsi falso modo, habet potentiam proximam ad admissionem ad Collegium, & cum nemo alius habeat hanc potentiam proximam, nulli iniuriam facit, & sic non facit contra iustitiam commutatiuam talis malè promotus, nec promotores contra distributiuam, cum nemo alius sit, qui proximè dispositus concurrat ad hanc admissionem ad Collegium. Munuscula enim debentur, non doctoribus, qui studuerunt secundum pragmaticam, sed doctoribus admissis ad Collegium, vti est taliter promotus. Cum ergo admissio, doctoratum supponat, & non sit alius Doctor concurrens ad admissionem, talis admissio nemini præiudicium affert. Et

16 Nota quod Doctor admittitur ad Collegium, non quando sedet ad dãdum suffragium, & recipienda munuscula, sed immediatè post Doctoratũ, tunc enim locum illum occupat, quo tempore alij, qui post ipsum doctorantur, erant scholares, nec habebant potentiam proximam ad admissionem, sicut habebat hic, qui Doctor erat, & ideo illis scholaribus tunc temporis nullum præiudicium fuit factum.

17 Respondeo secundò, quod admissio ad Collegiũ non est facta Doctoribus, qui studuerunt secundum Pragmaticã tantum, & non alijs, sed est concessa Doctoribus, vt sic; Cum dicat Regina in præcitato priuilegio; Intendimus, & volumus, quod possint esse de Collegio alij Doctores, & de cœtero esse, & sint de Collegio, qui accedente voluntate Cancellarij, &c. vbi vide, quod nulla fit mentio de doctoribus, qui secundum constitutionem studuerunt. Cum ergo hic sit verus Doctor, & admis-

Digitized by Google

missus,illi verò non sint Doctores,neque admissi,huic debentur munuscula, & non illis.

18 Respondeo tertiò,quod quando aliquis ab aliquo beneficio cadit in pœnam alicuius delicti potest in tuta cõscientia fructus beneficij recipere,etiã si debeantur alteri post declarationem culpæ,vt in confirmatione tertij argumenti dixi cum Sanchez,Ferdinando, & alijs in hæreditate filij clandestinè contrahentis, & in simoniaco, qui fructus recipit ante sententiam Iudicis; ergo etiam si alteri præiudicialis esset hæc admissio(quod non credo)non per hoc taliter admissus teneretur munuscula recepta restituere,nec teneretur non recipere vsque ad sententiam Iudicis, & infra illud tempus posset pro suo voto, & labore munuscula recipere.

Dices,quod promotores,non intelligunt doctorare, nisi qui studuerit secundum Pragmaticam, ergo sic promotus non habet intẽtionem Cancellarij, & maioris partis Collegij.

19 Respondeo negando totum. Nam vota promotorum sunt absoluta, & nõ conditionata. Non enim dicunt Te Doctorem facimus, si studuisti secundum Pragmaticam, sed tantum te Doctorem facimus. Et si haberent intentionem habitualem,seù virtualem non doctorandi,nisi illos,qui studuerint secundum Pragmaticam, cum habeant intentionem actualem doctorandi hũc absolutè,per talem intẽtionem actualem destruitur omnis intentio habitualis, seù virtualis, cum illa sit nobilior istis;Sicut Episcopus,qui non vult ordinare,nisi suos subditos habitualiter,si accedat non subditus, & Episcopus habet intentionem actualẽ ordinãdi hunc, hic verè est ordinatus,vt omnes Doctores communiter.

Addo, quod ferè omnes promotores sunt in eadem damnatione,& rectè sciunt illum non studuisse, & vt talem, doctorem facjunt,& vt taliter doctoratum ad Collegium admittunt:ergo hic talis verè est doctoratus, & admissus.

Cum ergo res ita se habeat, manifestè apparet, doctoratum falsis testibus, posse in Collegio suffragia dare, & munuscula recipere.

SVMMARIVM.

COnceduntur Episcopis menses Iunii, & Decembris, vt possint beneficia conferre,non ex vi alternatiuę, sed iure ordinario nu. 1.

*Alternatiua deseruit ad remouendum obstaculum reseruationis.nu.*2.

*Mense Iunii, & Decembris nunquam fuit obstaculum reseruationis.nu.*3.

*Episcopus potest prouidere beneficia vacantia mense Iunii, & Decembris siue residuat, siue non.num.*4.

*Reseruatio recipit interpretationem à iure num.*5.

*In reseruatione beneficiorum à Põtifice facta est expressum in iure; quod quando apponitur terminus,transacto termino, omnia reducuntur ad ius commune. num.*6.

*Installatio, seu possessio non est de essentia, seu substantia iurisdictionis, sed tantum est solemnitas, vel executio ipsius.nu.*7.

Post sententiam definitiuam non est licitum capere possessionem de re sibi adiudicata, sed oportet, vt decernatur possessio à iudice eod. num.

Prælatus debet post confirmationem mitti in possessionem ad hoc, vt habeat liberum exercitium iurisdictionis. eod.num.

*Capitulum tribuit possessionem, non vero iurisdictionem Episcopo.nu.*8.

*Collatio facta ab Episcopo post captam possessionem beneficii vacantis mense Iunij post expeditionem bullarum, & ante captam possessionem valet.num.*9.

Ius conferendi beneficium est apud Episcopum antequam capiat possessionẽ etsi sit impeditum,& impedimentum prouenit à possessione non capta. num. 10.

*Ius administrandi bona ecclesiastica Episcopo est interdictum vsque ad expeditionem bullarum.num.*11.

Capitulum non cognoscit Episcopum nisi post possessionem. eod.num.

Ces-

Cessante reseruatione quilibet Episcopus potest omnia beneficia conferre, vacantia in sua diœcesi. nn.12.

Reseruatio beneficiorum in secunda regula Cancellariæ expressa, est reseruatio cum termino nu.14.

Posi expeditionem bullarum antequam capiatur possessio beneficia non dicuntur vacare. num.13.

Transacto termino reseruationis beneficiarũ, beneficia redeunt ad dispositionem iuris communis. nu. 15.

Prouisio beneficiorum vacantium mensæ Iunij fit ab Episcopo non ex vi alternatiuæ, sed de iure. nu.16.

Collatio beneficii vacantis à Pontifice facta antequam Episcopus capiat possessionem, & post expeditionem bullarũ Episcopatus est valida ratione præuentionis. n.17.

Collatio beneficii parochialis sine concursu est nulla. num.18.

RESOLVTIO II.

Dum Illustrissimus, ac Reuerendissimus Episcopus N. N. expeditis bullis sui Episcopatus, ad capiendam possessionẽ sui Episcopatũ petebat, mense Iunij vnus ex suis Canonicis vita functus est. Illustrissimus Dominus postquã ad suam peruenit Cathedralem, ostensis Capitulo bullis, & possessione capta, Canonicatum contulit in personam N. N. Quæritur an talis collatio valeat stante vacatione beneficij ante pacificam possessionem sui Episcopatus?

1 PRo responsione suppono Primò mensem Iunij, & Decembris non concedi Episcopis ex vi alternatiuæ, esto ibi apponantur, nam ibi apponuntur quasi per accidens, & gratia solum demonstrationis, non vero gratia nouæ concessionis, cum iam Episcopis tales menses fuerint concessi iure ordinario; Nequè obligationem residendi per alternatiuam petitam impositam esse in istis mensibus; quia hæc obligatio solum annectitur mensibus per alternatiuam de nouo concessis, non illis qui iure ordinario competunt, ita Garsias 5.par.de beneficijs §.10.cap.1.nu. 506. Ferdinandus à Castro palao tom. 2.tract.13.de beneficijs disput.2.punt. 23.§.1.nu.3.vers.contrarium, &c.

2 Et ratio est, quia alternatiua deseruit tantum ad remouendum obstaculum reseruationis, Cassador. decis. 8. num.6.& 10.de præbend. & decis.3.n. 2.& 4.& decis.4.num.2.de priuilegijs, Put.decis.205.215.& 222.lib.1.& decis.492.num.1. & 2.lib.2. & decis.93. sub num.2.& decis.140.in fine, & dec. 163.& 190.num.3.& decis.226.num.2 lib.3. Crescentius dec.11.de priuileg. Mandos.in reg.11.nu.2.3.& 4. Gonsalez super reg.8.Cancell.glos.42.num. 13.Garf.& à Castr.loc.cit.

3 Sed in illis duobus mensibus nunquam fuit obstaculum reseruationis, cum Episcopo debeantur de iure communi, ergo non habet quid remouere possit, ergò illi duo menses non intrant in alternatiuam concessionem, sed tantum de iure Episcopis conceduntur, vt optimè Ferdinandus à Castro palao l. c. Barbosa de potest. Episcop. 3. par. allegat.53.nu.44.

4 Potest igirur Episcopus prouidere beneficia vacantia mense Iunij, & Decembris siuè resideat, siuè non; nam tunc non prouidet vigore alternatiuæ, sed ex iure ordinario per alternatiuam non derogato, cum possit vtroq; iure vti, nec cogitur ad vnum, & non ad alterũ arg.tex. in cap.licet in corrigendis de officio Iudicis ordinarij, & cap.cum aliquibus de rescriptis in 6.

5 Suppono secundò reseruationem recipere interpretationem à iure, Bart. in l. vxorem §. testamento de legat.3. Ruin.cons.49.in 4.Rota nouissima decis.96. 1.par.nu.1.

6 Et in iure esse expressum, quod quãdo in reseruatione beneficiorum à Põtifice apponitur terminus, transacto ter-

Digitized by Google

termino, omnia reducuntur ad ius cõmune, cap. statutum, de præbendis in 6. Quæ regula extendenda est ad omnẽ casum reseruationis, cum sit fauorabilis, glo. ibidem vers. Numerãdum, &c. his verbis. Item per hanc reditur ad ius commune, extendenda igitur, vt de facili ad suam naturam redeat, 35. dist. ab exordio ff. de pact. l. si vnus &c. & in postilla: Extẽdenda idẽ Gemin. Phil. & omnes hic. Felin. cap. accessissent col. 2. de cõstit. Alex. cons. 755. nu. 5. Ludouic. Gomes. cap. 1. n. 71 supra cap. de constitutionibus. hæc ibi. Et in alia postilla: Largè capiunt DD. hic, habet enim locum in omni casu, quo præcedens, facit §. fin. in auth. de filian. inst. dot. nat. Font. hæc ibi, & optimè probat Couarr. variarum lib. 3. c. 6. num. 4. qui nonnullos citat.

7 Suppono tertiò, installationem, seù possessionem non esse de essentia, seù substantia iurisdictionis, sed tantum spectare, vel ad solemnitatem ipsius iurisdictionis, vt putat Abbas, & Felyn. in cap. cum I. & A. de re iudicata; vel est tantum executio sententiæ definitiuæ; confirmatio enim habet vim sententiæ definitiuæ, cap. fin. de elect. in 6. & sicut post sententiam definitiuam non est licitum propria auctoritate capere rem sibi per Iudicem adiudicatã, sed oportet, vt per istum Iudicem decernatur illi possessio, cap. in litteris, & cap. quærenti de officio deleg. & cap. cum nostris de concessione præbend. & l. qui restituere ff. de rei vend. & l. nõ est singulis ff. de re iud. facit clement. Quamuis de foro compet. Ita & Prælatus debet post confirmationem mitti in possessionẽm ad hoc, vt habeat liberum exercitium iurisdictiouis, ita sentit Archid. in cap. eum qui de præben. in 6.

8 Non est igitur possessio de essentia iurisdictionis, sed tantum, vel solemnitas, vel executio ipsius; Capitulum enim non tribuit iurisdictionem Episcopo, sed Pontifex, & tamen capitulũ tribuit possessionem Episcopo. Hæc opinio est omnium, non solum eorum, qui tenent, post confirmationem Episcopum habere liberam administrationem iurisdictionis, vti Suarez tom. 4. in 3. par. disput. 55. sect. 3. num. 19. Couar. lib. 3. variarum cap. 16. num. 6. sed etiam hoc dicunt illi, qui tenent, Episcopum post confirmationem non habere liberam administrationem, sed post possessionem: hi enim non dubitant de iurisdictione, quod sit apud Episcopum, sed tantum dubitant de libera administratione, sic Garsias de benef. lib. 5. cap. 4. §. 2. num. 249. & alij apud ipsum. His positis.

9 Respondeo talem collationem ab Illustrissimo Episcopo N. N. factam validam esse, ita Rota nouissima par. 2. decis. 182. coram Lancellotto in Burgensi Canonicatu num. 3. quæ citat Abb. & DD. in cap. nouit, de officio leg. Siluam de benef. par. 3. q. 40. Petrum de Biasi de electione par. 3. c. 44. num. 4. ita etiam Rebuf. in sua prac. de benef. tit. de simon. in resignat. nu. 26.

10 Probatur primò, nam beneficium vacauit tempore, quo ius etsi impedirum, erat tamen apud Episcopum, & impedimentum erat tantum possessio, vt ex tertio suppositro, & fuit prouisum post acceptam possessionem, & consequenter sublato impedimento, ergo collatio valida. Confirmatur ex extrauag. Iniunctæ de electione, vbi prohi-
11 betur Episcopis administratio bonorum Ecclesiasticorum vsque ad expeditionem bullarum, & nomine bonorũ Ecclesiasticorum etiam beneficia veniunt cap. 1. de præbendis, Rebuff. in sua practica de benef. titul. de simoniz in resignatione num. 31. ergo post expeditionem bullarum potest Episcopus liberè administrare beneficia. Nec obstat in casu nostro, quod ibi prohibeatur capitulo, ne cognoscat vti Episcopum aliquem, nisi post ostensionem bullarum.

Quia Illustrissimus Episcopus N. N. prius possessionem accepit, & bullas Capitulo ostendit, & postea ca-

no-

Digitized by Google

nonicatum contulit.

12 Probatur secundò, quia cessante reseruatione potest quilibet Episcopus omnia beneficia conferre in sua Diœcesi vacantia cap. omnes Basilicæ, &c. nullum 16. q. 7. cap. conquerente de officio ordin. cap. ex frequentibus de instit. cap. cum ex iniuncto in fine de hæreticis, & tradunt pluribus relatis, Flaminius de resign. lib. 1. q. 10. à nu. 49. & lib. 7. q. 14. num. 2. Nicolaus Garsias 4. par. de benef. cap. 1. num. 52. Gõsalez ad reg. 8. Cancell. §. primo proœmii. num. 21. & 22. & gl. 11. num. 38. Augustin. Barbosa de potest. Episcopi 3. par. alleg. 57. num. 1. Ferdinandus à Castro Palao tom. 2. summæ tract. 13. disp. 2. punt. 15. nu. 1.

Sed in casu nostro cessat omnis reseruatio. Nam si qua extaret, esset illa expressa in secunda regula Cancellariæ.

13 At hæc non obstat, tum quia ibi reseruantur beneficia vacantia, sed beneficia non dicuntur vacare, postquam Episcopus expediuit bullas, & antequam in possessionem immittatur, Seraphin. in vna Toletana Parochiali decis. 1148. nu. 2.

14 Tum quia ibi reseruatio est cum termino, nempè vsquè ad pacificam possessionem. Verba enim regulæ Cãcellariæ hæc sunt. Ac etiam reseruauit dignitates, & beneficia omnia ad collationem, & quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporũ, Abbatũ, ac aliorũ, & aliarum quorumcumque collatorũ, & collatricum sæcularium, & regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiã ad alterius præsentationem, vel electionem) pertinentia, quæ post illorũ obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum suarum dignitatũ dimissionem, seu amissionem, vel priuationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vocauerint vsque ad prouisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria vel dignitates apostolica authoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam eorum possessionem, quomodocumque vacauerint, vel vacabunt in futurum, &c. Hæc ibi. vide ergò quod postquam posuit terminum reseruationis, subdit vacationem quomodocunque.

15 Sed transacto termino reseruationis beneficia redeunt ad dispositionem iuris communis, vt ex secundo supposito, ergò post pacificã possessionẽ collatio spectat ad quẽ ante reseruationẽ spectabat de iure cõi, sed de iure cõi quisito beneficiorũ vacãtiũ post expeditionem bullarum, seù confirmationem spectat ad Episcopum cap. nostri, &c. transmissam de electione; ergò collatio facta ab Illustrissimo Episcopo est valida.

Nec obstat, quod Episcopus non fuit in residentia tempore vacationis.

16 Quia prouisio beneficiorum vacantium mense Iunij fit ab Episcopo non ex vi alternatiuæ, sed de iure, vt in primo supposito, & sic non indiget residentia.

Nec obstat decisio Seraphini 1144. in Canonicatu Toletano.

17 Quia ibi fuit declarata nulla collatio Episcopi ratione præuẽtionis factæ à Pontifice; concludit, n. nõ rõne reseruationis his verbis. Verũ quia prior rõ præuentionis erat clara, & sufficiẽs ad decisionẽ præsẽtis negotij, omissa fuit discussio capitis reseruationis, tanquã minus necessaria, & in qua plures se offerebant difficultates, &c. hæc ibi. At in casu nostro non est præuentio Pontificis, ergo, &c.

Nec obstat decisio eiusdem Auctoris 1148. in Toletana Parochiali.

18 Quia ibi non ratione reseruationis regulæ Cancellariæ, vt se explicarunt Domini de Rota in numero secundo eiusdem decisionis, sed ob collationem parochialis sine concursu dicebatur nulla collatio Episcopi, vt patet legenti.

Patet ergo apertis iuribus, & rationibus

nibus collationem factam ab Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino in personam N.N. fuisse validam.

SVMMARIVM.

Sacerdos, qui post commissum delictum in sua diœcesi aufugit extra illam ante citationē, etiam si postea per edictum citetur, & excommunicetur, excommunicatio non valet, & consequenter si celebrat non est irregularis. nu. 1.

Delictum, vt delictum non tribuit potestatem Episcopo excommunicandi non subditum delinquētem in propria ipsius Episcopi diœcesi, nisi sit delinquens intra limites suæ iurisdictionis num. 2.

Subditus ratione originis, vel domicilii dum est extra diœcesim non potest compelli ab Episcopo ad comparendum, nisi ad residendum ratione beneficii, ad interueniendum synodo, si sit simpliciter necessarius ad suæ diœcesis gubernationem, vel ob aliam causam concernentem bonum commune. nu. 3.

Reus non tenetur respondere Iudici interroganti, etiam si delictum sit semiplenè probatum. num. 4.

Nemo potest condemnari in auditus. nu. 5.

Reus etiam subditus citari non potest extra diœcesim ratione delicti, neq; verbaliter, neque personaliter. eod. num.

Absentes à propria patria non tenentur ad præcepta edita, seu promulgata in propria patria. nu. 6.

Extra territorium ius dicenti non paretur impunè, siue subditis, siue non subditis eod. nu.

Idem est, non esse, & esse nullum. eod. num.

Iudicium latum contra absentem, & iure diuino, & humano est nullum num. 7.

Si delinquens egreditur fines iurisdictionis loci, vbi delictum commisit, statim Principis, seu Episcopi illius loci cessat potestas, seu iurisdictio contra talem delinquentem. num. 8.

Ad hoc, vt reus possit puniri ab Episcopo, seu Principe, requiritur delictum, & permanentia tempore citationis intra suam iurisdictionem eod. num.

Clericus beneficiatus, qui residere tenetur, potest ab Episcopo beneficii excommunicari, si non resideat, etiam si talis clericus sit extra diœcesim. num. 9.

Reus ibi videtur delinquere, vbi præsens esse debet. nu. 10.

Clericus beneficiatus obligatus ad residentiā, si non residet, ibi delinquere videtur, vbi residere tenetur nu. 11.

Beneficiatus, qui non residet, cum residere tenetur, semper actu delinquit, vsque dum residere incipit eod. num.

Qui furatur in diœcesi, vbi furtum est prohibitum sub pœna excommunicationis, etsi subditus non sit, est excommunicatus. nu. 12.

Potestas Episcopi non dicitur imbecillis ex eo, quia non potest excommunicare subditum, delinquentem, & fugientem ante citationē extra diœcesim. num. 13.

Reus, qui fugit à loco delicti, non potest puniri ab Episcopi loci, ad quem se contulit. n. 14.

Delictum aliquando remanet impunitum per accidens, & hoc inconueniens non est. num. 15.

RESOLVTIO III.

Quidam Sacerdos ciuitatis delictum commisit in sua Ciuitate, & antequā citaretur aufugit extra diœcesim, & citatus per edictum ab Episcopo suo fuit excommunicatus. Quæritur, an hæc excommunicatio sit valida, & an, si talis Sacerdos celebret, sit irregularis.

1 REspondeo talem sacerdotem excommunicatum non esse, & cōsequenter si celebret non esse irregularem. Ita Gabriel. in 4. dist. 18. q. 2. concl. 4. Basilius Pontius de matrimonio lib. 4. cap. 7. §. 2. num. 20. inclinat Diana par. 5. trac. 9. res. 34. vers. Respōdetur, & par. 3. trac. 5. miscell. res. 74. vers. Notandum est.

2 Probatur primò, nam delictum, vt delictum non est ratio formalis potestatem tribuens Episcopo condemnandi delinquentem, seu delictum vt de-

lictum non potest tribuere potestatem Episcopo excommunicandi non subditum delinquentem in propria Diœcesi, nisi delinquens non subditus, sit adhuc intra limites suæ iurisdictionis; vel sit citatus intra illam. Ita Coninch disput. 13. de censuris dub. 6. nu. 56. & 57. Auila 2. par. cap. 3. disp. 2. à dub. 3. & communiter omnes Doctores: ergo neque poterit delictum, dare potestatem Episcopo excommunicandi subditum, ratione originis, vel domicilij, si sit extra Diœcesim: Antecedēs est omniū; & patet ex cap. vt animarum de cōstitutionibus in 6. vbi habetur, quod extra territorium ius dicenti, non paretur impunè. Consequentia probatur. 3 Nam quod delinquēs sit subditus; ratione originis, vel domicilij, nihil aliud addit supra delinquentem, nisi quod possit compelli ab Episcopo ad comparendum; sed non potest compelli; nisi ad residendum in propria Diœcesi ratione beneficij ad interueniendum Synodo; si sit simpliciter necessarius ad suæ Diœcesis gubernationem; vel ob aliam causam concernentem bonum commune, vt optimè probat Auila 2. par. disp. 2. dub. 2. concl. 3. circa finem pag. 29. ergo non tenetur reus citatus venire ad suā Diœcesim, ad hoc, vt puniatur, ergo non potest Episcopus ipsum excommunicare, si 4 non compareat. Quod confirmatur. Nā si non tenetur reus subditus respondere Iudici interroganti ad finem puniendi; etiam si delictum sit semiplenè probatum; & hoc ideo, quia hoc præceptum est nimis durum, & supra vires naturales; vt cum communissima sententia modernorum tenet Ioannes Sanchez in select. disp. 43. per totam, Rodriquez tomo 1. quæstionum regularium q. 18. art 3. folio mihi 83. & in summa tractatu de ordine iudiciorum cap. 10. num. . Layman tomo primo fere in fine fol. 286. Reginaldus 2. tom. praxis lib. 4. nu. 37. Scotus in 4. dist. 15. q. 4. in 3. membro, Fillucius to. 2. trac. 40. num. 226. ergo à fortiori, neque tenebitur reus obedire suo Episcopo citanti ipsum extra Diœcesim ad finem puniendi.

5 Probatur secundò, quia nemo potest condemnari inauditus; cap. primo de causa possess. & purg. vbi Gregorius Magnus hæc habet. Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire, &c. Vbi vide, quod ibi Pontifex negat habere potestatem definiendi per verbum possumus, sed subditus, reus citari non potest legitimè extra Diœcesim ratione delicti, neque realiter, neque verbaliter, Clem. Pastoralis de sententia, & re iudicata, & ibi glos. vers. innotabilitas post casum Not. 3. Salicetus, & Bartholus in l. omnes §. executoriæ C. de Episcopis, & Clericis, nisi illa duo territoria sint sub dominio vnius Principis, quod non est in casu nostro Auila 2. parte cap. 3. disput. 2. dub. 2. conclus. 4 pag. 29. ergo neque potest excommunicari.

Dices, quod hic fuit citatus per edictum, & consequenter non fuit inauditus.

6 Sed contra est. Nam tempore edicti hic erat absens à sua Patria, & consequenter non tenebatur ad leges, neque ad præcepta edita in propria Patria, nam extrà territorium ius dicenti non paretur impunè cap. 2. de sententia excommunicationis, & glo. subdit. siue sint subditi, siuè non, & consequenter citatio fuit nulla, & idem est citationem non esse, & esse nullam. l. duo sunt Titij ff. de testamentaria tutela, ergo inauditus.

7 Confirmatur, quia iudicium latum contra absentem est nullum iure diuino, ac humano, can. absens vers. tertio quæst. 9. vbi Zephirinus Pontifex hæc habet. Absens verò nemo iudicetur, quia, & Diuinæ, & humanæ hæc prohibent leges &c. l. inauditum ff. ad legem Corneliam de Sicarijs, & l. prima ff. de inquirendis reis, vbi hæc habes. Diui Seueri, & Antonini Magni rescriptum est, ne quis absens puniatur, &c. & hoc vtimur, ne absentes dam-

damnetur,&c. Nec enim inaudita causa quemquam damnari æquitatis ratio patitur &c. ergò excommunicatio hæc contra talem absentem,& nõ legitimè citatum,etiam est nulla.

8 Probatur tertiò ex Clementina Pastoralis de sententia, & re iudicata, ex illis verbis. Quod si punitio criminis inter districtum Imperialem commissi ad Imperatorem forsan pertinuisse asseratur, Verum est quidem si in eodem districtu fuisset inuentus delinquens, vel ad illum de more remissus. Quare si eius fines egrediatur, cessat potestas,&c. Hæc ibi. Vbi vide, quod quando delinquens egreditur fines iurisdictionis loci Principis, seu Episcopi potestas talis Principis, vel Episcopi cessat, etiam post commissum delictum, (sic enim erat casus propositus in Clementina) ergo delictum tantum non sufficit, vt tribuat potestatem Principi, vel Episcopo ad puniendum, vel ad excommunicandum subditum, sed requiritur delictum, & permanentia; ergo si excommunicetur tempore, quo non permanet in Diœcesi, nec fuit præuētus per citationem in ipsa Diœcesi, excommunicatio erit nulla, quia fuit lata à non habente potestatem circa talem reum.

9 Dices. Potest Episcopus excommunicare Clericum existentẽ extra Diœcesim, si non resideat in propria Ecclesia, si residere tenetur, cap. ex tuæ de Clericis non residentibus,& hoc ideo, quia tunc moraliter delinquit in propria Diœcesi, vt communiter omnes; Nam ibi videtur delinquere, vbi præsens esse debet, l. qui non facit ff. de regulis iuris,& colligitur ex cap. 1. de vsuris in 6. iuncta glosa, & cap. primo, vt lite non contestata, &c. ergo à fortiori potest excommunicare delinquentem physicè in propria Diœcesi, etiam si sit extra illam.

11 Sed contra est, nam negatur paritas, & disparitas est manifesta, nam qui actum omittit, quem tenetur facere, ibi delinquit, vbi actum tenetur ponere, & sic qui non residet in Ecclesia, in qua tenetur residere, ibi delinquit, vbi residere tenetur, vt optimè probat Suarez tomo 5. in tertiam partem disput. 5. sect. 4. num. 8. Salas de legibus q. 69. tract. 15. disp. 14. sect. 5. nu. 71. Et quia non residẽtia perseuerat, ideo delictũ etiam perseuerans est,& consequenter perseuerat reus in delinquendo in tali ciuitate, seu Diœcesi,& ideo potest Episcopus ipsi præcipere, vt desistat à tali delicto, quod actu patratur in propria Diœcesi. At qui post delictum statim aufugit, non perseuerat in delinquendo in tali Diœcesi,& sic delictum tunc actuale non est. Vnde, etsi perseueret, & sit præsens moraliter in vulnere, seu in facinore patrato, tamen nõ est actu delinquens, seu non perseuerat post patratum delictum, mortaliter in delinquendo; Et quia non est delinquens actu, sicut est, qui non residet in propria ecclesia, ideo puniri potest non residens,& non potest excommunicari, qui statim post delictum aufugit.

12 Sicut potest Episcopus excommunicare aliquem, qui ab aliqua ditione venit ad furandum in sua Diœcesi, si post primam vicem publicet excommunicationem ipso facto incurrẽdam in sua Diœcesi contra furantem; Si enim ille venit sciens hanc excommunicationem,& furatus, verè est excommunicatus, sic etiam qui non residet tempore, quo tenetur residere.

Dices cum Ferdinando à Castropalao tomo primo tract. 3. de lege in cõmuni disput. 1. puncto 24. §. 5. num. 13. quia existens in alieno territorio potest delinquere in territorio (Verba sunt Ferdinandi) ergo potest à Iudice territorij puniri eius delictũ, si enim Iudex potestatem non habet hæc puniendi, plenam potestatem non habet præcauendi sibi noxia. Ne ergo dicamus imbecillem, & ineffacem potestatem esse, affirmare debemus posse subditum existentem extra territoriũ, delinquentem tamen in illo, punire.

Digitized by Google

Hæc à Castro Palao,

13 Sed contra est. Nam, & si verum sit antecedens, falsa est consequentia, nec ex eo, quia potestatem non habet hæc puniendi dici potest, quod non habeat potestatem præcauendi sibi noxia: Quia potest in futurum talia delicta in sua Diœcesi præcauere, si sub pœna excommunicationis ipso facto prohibeat, ne in posterum talia delicta in sua Diœcesi patrentur, & sic non solum subditi, sed etiam non subditi excommunicati erunt, si scienter talia delicta committũt in sua Diœcesi. Nec ex eo, quia non potest excommunicare proprios subditos pro delictis patratis ratione fugæ, dicitur inefficax, & imbecillis potestas Episcopi. Nam sicut nõ dicitur potestas imbecillis ex eo quia non potest excommunicare non subditos in sua Diœcesi delinquentes, si non existant intra illam, vt in clementina Pastoralis, & ex cap. 2. de sententia excommunicationis in 6. Ita nec dicitur imbecillis potestas, si ratione fugæ ipsum subditum excommunicare non possit. Nec dicitur imbecillis potestas iudicis si non possit punire reum fugientem ad Ecclesiam, nec ex eo, quia delictum probari non potest; Tunc enim esset potestas imbecillis, quando esset in loco suæ iurisdictionis, & punire non posset.

Dices, ergo delictum huius Sacerdotis remanet impunitum, nam non potest puniri à proprio Episcopo, nec ab Episcopo loci, ad quem confugit.

14 Respondet Basilius loco citato num. 18. quod potest puniri ab Episcopo loci ad quem secessit.

At hæc responsio Basilij nõ probatur; quia Episcopus illius loci, tunc incipit habere iurisdictionem in talem sacerdotem, quando talis Sacerdos incipit esse subditus; sed incipit esse subditus post fugam, ergo post fugam incipit iurisdictio Episcopi loci in ipsum Sacerdotem: ergo ante non fuit subditus, sed est nunc subditus, ergo secundum nunc potest iudicari, quod secundum nunc est simpliciter innocens; ergo non potest pro tali delicto ab Episcopo loci, in quo est condemnari.

Addo, quod talis Sacerdos nullo modo offendit iurisdictionem Episcopi loci, in quo est; ergo neque potest Episcopus vindictam publicam pro tali delicto sumere, & consequenter illi pœnam infligere.

Vrget magis, quod sic dicendum erit de delicto patrato à Christiano inter Turcas, posset enim à Iudice, vel Episcopo loci, ad quem peruenit, puniri, quod nemo dixit.

15 Respondeo igitur, quod delictum remanet impunitum per accidens, nẽpè ex defectu iurisdictionis, hoc enim inconueniens non est: Nam vidimus, quod etiam in veteri lege hoc fuit practicatum, quia delinquentes fugientes ad Ciuitates refugij, quæ sex erãt, Deuteronomij 4. num. 41. & cap. 19. nu. 8, & Iosuè 22. & Numerorum 35. num. 11. etiam puniti non erant de propriis delictis. Sic etiam in dies videmus confugientes ad Ecclesiam punitionem euadere, l. præsens C. de ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt, & cap. inter alia de immunitate Ecclesiastica. Sicut enim non punire tales, inconueniens non est, ita nec erit inconueniens non punire nostrum Sacerdotem, etsi delinquentem. Ità Ferdinandus prima parte suæ praxis num. 30. Carlenal de iudicijs lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 7. sect. 2. nu. 848. & multi alij apud ipsos.

Cum ergo talis Sacerdos excommunicatus non sit, nam excommunicatio est nulla, consequenter potest absque nota irregularitatis celebrare, ita Auila par. 7. disput. 9. sect. 2. dub. 2. concluſ. vltima pagina mihi 408.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

Verba omnia priuilegij aliarũque debent operari. n. 1. & 6. 17

Priuilegium est lex priuata. eod. num.

In decretis, & legibus supposititijs semper est vitiosum. eod. num.

Que-

Qualibet syllaba, & dictio legis non debet esse sine aliquo effectu. eod. num.

Irregularitas ex homicidio, vel est pœna, vel est firma, & indubitata responsio iuris, quæ sententia dicitur. num. 2.

Irregularitas non supponitur, nisi sit expressa in iure. eod. num.

Intentio semper præsumitur, quando sumus certi de aliqua actione, & dubitamus tantum de intentione faciendi illam. num. 3.

Qui est certus de promissione voti, vel de promissione matrimonij, & dubitat tantum de intentione se obligandi, intentio præsupponitur adfuisse, & sic tenetur ad votū, & ad matrimonium. eod. num.

Verba sunt signa intentionis. eod. num.

Nemo præsupponitur dicere, quod in corde non habet. eod. num.

Probato facto, iam præsumitur interuenisse omnia ad factum requisita. nu. 4.

Dubius de aliqua re, facta morali diligentia amplius non dicitur dubius, sed laborans ignorantia inuincibili. num. 5.

Dispensatio facta à Pontifice in genere, dispensat salutem irregularitatibus à supplicante non cognitis. nu. 6.

Dispensatio est odiosa, & ideo recipit strictā interpretationem. eod. num.

Pœna magis latè patet, quam censura, omnis censura sit pœna, & non è contra. nu. 7.

Pœna imposita à confessario, non inhabilitat pœnitentem ad ordines suscipiendos. nu. 8.

Multæ pœnæ canonum retulerunt ab aula. num. 9.

Quando Pontifex non intelligit dispensare irregularitatibus per verba illa generica, Teq; à quibuslibet excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, &c. semper explicat suam intentionem. nu. 10.

Actus legitimè factus ab initio, non est dissoluendus, & casus possit euenire, à quo non potuit incipere. nu. 11.

Irregularis ordinatus in bona fide, est legitimè ordinatus. eod. num.

Irregularitas est pœna, vel sententia impediēs, & ligans habentem illam, ne exerceat officia ecclesiastica. num. 12.

Verbum Dispenso, adaptatum ad irregularitatis verbum, dissolua, adaptatur tam irregularitati, quam censuris. eod. num.

Sub nomine pœnæ, vel sententia includitur irregularitas. eod. num.

Irregularitati ex homicidio nunquam intelligitur dispensatum, nisi exprimatur. eod. num. Quod est intelligendum de irregularitate ex homicidio cognita à supplicante, secus verò de non cognita. nu. 13. Et iste est stylus curiæ. eod. num.

Impedimentum à supplicante non cognitum, & ideo non expressum fingitur à Pontifice fuisse expressum, & hoc ad conualidandum actum ab eodem Pontifice gestum. eod. nu.

In iure nullam habemus determinatam formam dispensandi irregularitati. nu. 14. & ideo sufficit tantum signum externum significans voluntatem dispensantis. eod. nu.

Si illegitimus ignorans inuincibiliter suam irregularitatem sacros ordines suscipiat, & postea aduertit esse illegitimus, non indiget dispensatione pontificia ad hoc, vt in susceptis ordinibus ministret. nu. 15.

Qui dispensationem ad cautelam quærit, si post ordinationem aduertit vere indiguisse tali dispensatione, non indiget noua dispensatione. nu. 16.

Quando sub verbis generalibus dispensantibus comprehenditur aliquis casus specialis, & dubitatur tantum de intentione dispensātis, tūc possessio stat pro dispēsatione. n. 17

Subreptio non committa ab eo, cui rescriptum impetretur, sed à solicitatore, nec rescriptū, nec dispensationem facit subreptitiam. nu. 18. & 24.

Verum nō expressum, vel falsum expressum, per quod Pontifex moueatur ad facilius, non vero ad simpliciter dispensandum, non vitiat dispensationem. nu. 19.

Pontifex difficillimè dispensat irregularibus ex homicidio degentibus in congregationibus secularium, etiā approbatis a Sede Apostolica. eod. num.

Qui dubitat, an sit irregularis, post factam diligentiam, præsertim de consilio viri docti, potest practicè deponere dubium, & se gerere vt non irregularem. nu. 20.

Qui habet opinionem pro se, quod non sit irregularis, potest istam opinionem sequi, etsi opposita opinio sit etiam probabilis. nu. 21.

Quando dubitamus de validitate dispensationis,

nis, dispensatio semper est valida. nu. 22.
An dispensationis valorem, non requiratur mandatum supplicantis nu. 23.
Susceptio ordinis sacri est actus irretractabilis. nu. 24.
Dispensatio ad ordines sacros, est etiam dispensatio ad exercitium ordinis. nu. 25.

RESOLVTIO IV.

Quidam irregularis ex homicidio, ingressus quādam congregationem c. clericorum secularium à Sede Apostolica approbatam, rogauit amicum, vt dispensationem à Pontifice impetraret, qui cum hac conditione impetrauit, dummodo in eadem congregatione professionem emiserit. De hac particula consuluit viros doctissimos, & versatos in hac materia, & omnes vnanimiter dixerunt particulam illam esse intelligendam de voto perpetuo permanendi in eadem Congregatione: Supplicās verò inuincibiliter ignorabat aliā diligentiam fore præmittendam, & voto perpetuo emisso, iterum supplicat Pontificem, vt dispensaret secum ad sacros ordines suscipiendos in tribus diebus festiuis, & dispensatione obtenta cū illis particulis. Teque à quibuscumque excōmunicationis, suspēsionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sētētijs, cēsuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie, absoluentes, vel absolutum fore censentes, &c. *se promoueri fecit. Deinde supplicans nimis scrupulizando certiorauit quod posset videre in Regestro secretariæ supplicationem ab amico Pontifici porrectam & decretum originale, inuenit in supplicatione hæc verba.* E perche vuole seruire à Dio nella Congregatione N.N. & in essa fare la professione, *& in decreto hæc alia verba.* Ad effectū ingrediendi præfatā Religionē, quatenus sit approbata, quod videatur, an sit Religio approbata *&c. Vnde aduertit supplicationem fuisse subreptitiam.*

Quæritur an possit talis sacerdos sic ordinatus in tuta conscientia in posterum celebrare sine noua dispensatione.

PRo responsione suppono primò, omnia verba priuilegij aliquid operari debere, cap. Abbatem de verb. signif. vers. contra quos facit ibi: cum priuilegium sit lex priuata, nec esset priuata, nisi aliquid specialiter intelligeret. Et superfluitas in decretis, & legibus euitanda est, cap. si Papa de priuil. in 6. ibi. Cum verba aliquid operari debeant, & l. 3. in princ. ibi nec frustra adijcitur ff. de iure iurando, l. si cū & ibi glos. in verbo frustra ff. de leg. 1. l. item veniunt §. aptanda ff. de petit. her. l. 1. ff. ad Municipal. Bal. in cons. 51 generali statuto in fin. lib. 5. Megala. resol. 139. nu. 7. Quod adeo verum est, vt non solum verbum, & quælibet dictio non debeat esse sine effectu operandi, sed etiam quælibet syllaba, vt bene docet glos. cap. solitæ verb. tanquam de minorit. & obed. Staph. de literis gratiæ tit. de vi, & effectu clausulæ §. 1. num. 6. Simon de Pretis de interpretat. vltimarum voluntatum lib. 2. interpret. 3. dub. 2. solut. 5, Quæ incipit, Quinto generaliter. Sāchez lib. 3. de matrim. disput. 11. nu. 26.

2 Suppono secundò irregularitatem ex homicidio esse inhabilitatem ad ordines, vel in pœnam delicti; Nam ita vocatur in extrauag. 1. de priuileg. à Tridentino sess. 24. de reform. cap. 6. colligitur manifestè ex cap. quæsitum de pœnit. & remiss. ita sentit Scotus in 4. dist.

Digitized by Google

4.dist.33.q.2. dum agit de bigamia sentit Gabriel lectura 9. in can. Angelus tit. de interdictis in fine, Castro 1.de leg.pœnali cap.3.Gerson Dialogo de potest.ligand.& soluend.2.par.alphab. 33.lit.S. Caiet.Siluester, Tabien.verb. irregularitas in principio, tenet Nauarrus cap.26.num.195. in fine,& omnes DD. docentes per baptismũ tolli irregularitatem ex homicidio voluntario, non tamen ex iusta occisione; Vel saltem esse firmam,& indubitatam responsionem iuris; quæ sententia est. §. responsa prudentum Instit. de iure naturali, gentium & ciu. Irregularitas enim nunquam præsupponitur,nisi sit expressa per sententiam iuris cap. Is qui in primo responso de sententia excommunic. in 6. & tradit Tiraquell. in l. vnquam Verbo Reuertatur num. 251.C.de reuocand. donat. Nauarrus in manuali latino cap.27.nu.194. Couarru. in clem. si furiosus in principio primæ par.de homicidio,Guttier.lib.1 cap.16. nu.9.

3 Suppono tertio, quod quãdo sumus certi per verba de aliqua actione, & dubitamus tantum de intentione faciendi talem actionem, semper intentio præsupponitur adfuisse.Sic qui certus est de promissione voti, aut matrimonij, & dubitat tantum de animo se obligandi, tenetur ad votum, & ad matrimonium, quia intentio præsupponitur adfuisse. Quod patet tum quia verba exterius prolata,sunt signa intentionis,& nemo præsupponitur dicere,quod in corde non habet.l.labeo 7.§. idem ff.de supellect.legat.ibi Non arbitror quemquam dicere, quod non sentit. Et tenet multis citatis Tiraquell.l.si vmquam verb. libertis num. 17. & sequent. C. de reuocand. donation. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt.35.num.2.& sequent.& lib. 1.q.22.nu.1.& lib.3.præsumpt.1.num. 36. & 37. Vbi addit esse violentam præsumptionem, quam facit lex præsumens id esse in corde, quod loquitur lingua.

4 Tum quia probato facto præsumitur Interuenisse omnia ad factum requisita, vt docet Panormit. cap. 1. de his quæ vi nu. 9. per cap. in præsentia de probat. Tum quia possessio stat pro voto,& matrim. cum simus certi de voto & promissione matrimonij, & dubitamus tantũ de intentione,ita Sanchez lib. 1.de matrim.disputatione 9.n. 13. & lib. 3. disput. 15. a n. 9. & alij apud ipsum.

5 Suppono 4. quando quis dubitat de aliqua re, & præmittit sufficientem diligentiam, non amplius remanere dubium de illa re,sed laborare ignorantia inuincibili,licet veritas non innotescat,ita Io. Sanchez disp. 24.n.3. vers. similiter, Thom. San. lib. 2. de matrim.disp.41.n.46.vers.secũdò protur;& ratio est, quia ignorantia inuincibilis illa est,quæ nulla diligentia vinci potest, sed qui præmisit diligentiam moralem sufficientem circa aliquod factum nihil aliud remanet moraliter faciendum.Ergo, & cet. His positis.

Respondeo talẽ non indigere noua dispensatione in foro conscientiæ, sed posse ministrare in ordine suscepto, Quod

Probo primò, nam Pontifex per secundam dispensationem habilitauit
6 talem ad ordines suscipiendos, cum dicat, *Teque à quibusuis, &c. aliq; que Ecclesiasticis, sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, &c. ad effectum præsentium, &c. absoluentes, &c.* ergo hic non indiget alia dispensatione. Antecedens probatur quia verba priuilegij debẽt aliquid operari quum non otiosè sint posita à Dispensante,vt in primo supposito. Ergo si soluunt hunc supplicantem à pœnis,sententijs &c. ad finem habilitandi ad ordines, saltem debent soluere,à pœnis, & sententijs,à supplicante non cognitis:quia cum dispensatio sit odiosa, & esorbitet à iure cõmuni, strictè est interpretanda cap. quæ à Iure de regulis Iuris in 6. sed strictior interpretatio dari non potest ad illa verba,quàm quod intelligan-

ligantur de pœnis,& censuris à supponente non cognitis,ergo saltem ab istis solutus remanere debet; sed irregularitas hæc in casu nostro,siue sit pœna, siue sententia Iuris,vt in secundo supposito,supplicãti incognita est,nam dubitans post factam moralem diligentiam,exiuit de dubio, licet veritas non innotuit, & factus est inuincibiliter ignorans, vt ex 4. supposito. Ergo huic irregularitati dispensatum fuit per secundã dispensationem, etiam si prima ei non suffragaretur, ergo non indiget alia.

Nec satisfacis, si dicas cum Auila parte 7. disp. 10. dub. 4. vers. si petas &c. quod verbum illud, à pœnis &c. sit declaratio prioris particulæ, à censuris.

7 Nam contra est,quia pœna magis se latè patet, quam censura, cum omnis censura sit pœna,& non è contra:Ratio enim generica nunquam declarat rationem specificam, sed potius declaratur à ratione specifica.

Nec satisfacis si dices cũ Henriquez lib. 14. C. . . . quod verba illa sint intelligenda de suspensione posita à confessario,ne in tantum tempus celebret, vel communicet,quæ pœna non est propriè censura, etiam quod intelligantur de illa pœna, quam ipse pœnitens promisit subire,si intra illud tempus celebrasset,vel communicasset.

8 Nam contra est,quia dispensatio loquitur de pœna,siue ab homine, siue à Iure, At hæc esset ab homine priuata auctoritate imposita. Insuper loquitur de pœna inhabilitante ad illum effectũ, nempe ad ordines suscipiendos. At pœna à Confessario imposita, vel à se ipso non inhabilitat talem ad ordines suscipiendos; Nam, etsi illicitè talis ordines susciperet, tamen validè, ita quod posset in ipsis ministrare, ergò non potest loqui de pœna à Confessario,vel à se ipso imposita.

Nec valet dicere cum ijsdem DD. quòd intelligitur de illa pœna qua Canones aliquot pœnitentiale mandant per aliquod tempus aliquem non admitti ad communionem.

9 Quia pœnæ illæ non indigent aliqua dispensatione,cum iam recesserint ab aula,nec aliquo modo inhabilitent talem ad ordines,vt patet.

Insuper, & si verbum illud nempè pœna &c. explicetur de his pœnis, tamen verbo illi, sententijs, quomodo possunt adaptari illæ explicationes?

10 Confirmatur primò, quia quando in concessione adsunt illa verba *Teque à quibusuis, &c.* & Pontifex non intelligit dispensare in irregularitate,se explicat, vt est videre in Bullis Iubilei, quod Pontifex mittere solet post viginti quinque annos, vbi adsunt illa verba; *Teque à quibusuis &c.* & tamen subdit Pontifex: *Propter præsentes autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta non intendimus dispensare*, ita Auila. loc. cit. vers. conclusio &c. Henriquez loc. cit. num. 6. in glo. lit. B. secunda Ergo quum non se explicet signum est, quod per illa verba intelligit dispensare saltem in irregularitatibus à supplicante non cognitis, cum simus in odiosis, sed intrà dispensationẽ fuerunt apposita illa verba,& Pontifex non se explicauit, ergo signum est,quod habilitauit ad ordines, & habilitando dispensauit.

11 Confirmatur secundò quia quando ab initio aliquid legitimè factum est,est expressum in Iure, quod non sit dissoluendum,si casus postea eueniat,à quo non potuit incipere cap. factum legitime de Regul. Iur. in 6. & hoc quando factum est irretractabile,vt in cap. vltimo de eo, qui cognouit consanguin. vxoris suæ,sed hic in casu nostro quum sit ordinatus in bona fide, est legitimè ordinatus Megala resol. 131. n. 2. circa medium, & factum est irretractabile, ergo sicut non est eius ordo dissoluendus, ita nec suspendendus,quia idem Ius esse debet de parte, ac de toto l. quæ de toto ff. de rei vendicat. cap. Pastoralis §. item si totum

de

de offic. delegat. ergo hic non eget alia dispensatione.

Probatur secundò quia hic est certus, quod sua irregularitas comprehendatur sub illis verbis, pœnis, & sententijs, &c. quia irregularitas, vel pœna, vel sententia Iuris est, vt ex secundo supposito.

Nec obstat dicere, quod verbũ, absoluo, non adaptatur irregularitati, sed verbum, dispenso.

12 Quia contra est, nam vt optime Megala obseruat, resol. 139. n. 8. cum irregularitas sit pœna, vel sententia, impedit, & ligat habentem, ne possit ecclesiastica officia exercere, & sic per absolutionem liberatur ille, qui talibus pœnis est irretitus, vnde verbum, dispenso, adaptatur tantum irregularitati, vt verbum absoluo adaptatur tam irregularitati, quam censuris. Si ergo sub nomine pœnæ, & sententiæ includitur irregularitas, dubitatur tantum de voluntate Pontificis an sit extensa cum illis verbis ad dispensandum, sed quando sumus certi de alia qua actione, & dubitamus de intentione facientis, intentio semper præsumitur, vt ex tertio supposito, ergo in casu nostro intentio Pontificis præsupponitur in illis verbis.

Nec obstat dicere, quod nunquam intelligitur dispensatum irregularitati ex homicidio, nisi exprimatur, teste Herriquez lib. 7. cap. 13. nu. 6. & quod hic sit stylus Curiæ, qui facit ius.

13 Quia contra est, nam stylus Curiæ procedit in irregularitatibus à supplicante cognitis, non verò de incognitis; cum enim per illas clausulas generales, Pontifex intelligat habilitare supplicantem ad gratiam petitam, & iste est stylus Curiæ, teste Corduba in summa cap. 41. in fine primi responsi, Megala resol. 99. nu. 3. & si aliquantulum dubitet, Sanchez in consil. p. lib. 2. cap. 2. dub. 14. num. 5. Igitur impedimenta a supplicante non cognita, potest Pontifex fingere esse expressa ad finem conualidandi ordinem susceptum, Papa enim ad validitatem actus à se gesti potest fingere expressum, quod non est expressum cap. illa de elect. Bart. in l. si quis in principio testamenti ff. de legatis 3. Bald. in cap. super literis de rescriptis, & Domini de Rota in tit. de rescriptis decis. 21. in nouis, Bartolom. Soccin. consilio 297. nu. 6. lit. B.

14 Confirmatur primò, quia nullam in iure habemus formam determinatam dispensandi irregularitati, vt communiter patet, sed sufficit signum externũ significans voluntatem dispensantis, sed per illa verba generalia, & sine limitatione habemus signum huius voluntatis; nam cum sint generalia, omnia comprehendunt, & cum sint indistincta, & nihil excipiant, nec nos excipere debemus. cap. quod si dormierint 31. quæst. 1. cap. consuluisti 2. q. 5. capisi romanorum 12. dist. Ergo per illa verba generalia verè fuit huic irregularitati ignoratæ dispensatum.

15 Confirmatur secundò, quia si illegitimus, ignorans inuincibiliter ordinetur in sacris, & postea aduertit esse illegitimus, non indiget amplius dispensatione Pontificia, vt in fuis susceptis ordinibus ministret. Layman. lib. 2. tract. 10 petitione 1. cap. 5. num. 2. Herriquez lib. 14. cap. 8. nu. 10. litera H. Auila in 3. disput. 3. dub. [illegible]. notabili 6. sed sufficit dispensatio Episcopi, ergo à fortiori, si irregularis ex homicidio suscipiat sacros ordines cum ignorantia inuincibili, postquam recepit dispensationem sub verbis generalibus, non indiget alia dispensatione. Nam maiorem vim habent verba illa generalia Pontificis ad dispensandum, quam dispensatio Episcopi: Dispensatio enim propriè spectat ad Pontificem.

16 Confirmatur tertiò, quia, qui dispensationem de irregularitate petit ad cautelam, si postea aduertit irregularitatem contraxisse ante talem dispensationem, non indiget alia dispensatione. Ita Ioannes de Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 7. num. 85. qui communem sententiam appellat, ergo cui Pontifex dispen-

spensauit ad cautelam, si postea aduertit indigere dispensatione, huic dispensatum venit per illam dispensationem ad cautelam, sed in casu nostro dispensatum fuit à Pontifice ad cautelam, ergo quãdo aduertit supplicans re vera indigere dispensatione, non indiget alia.

17 Confirmatur quartò, quia possessio stat pro dispensatione; nam fumus certi de dispensatione, quum verba illa sint generalia, & dubitemus tantum de intentione ad dispensandum, ergo hic est tutus in cõscientia, cum melior sit conditio possidentis.

Probatur tertiò ex doctrina Felini in cap. super literis num. 7. vers. Demum circa predicta, de rescriptis in tomo 1. folio 113. à tergo, quam doctrinam Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 21. num. 57. tribuit etiam Bartolom. Socino tomo 2. cons. 170. quem non se-

18 quitur; Quia quando subreptio non est commissa ab eo, qui rescriptum impetratur, quia veritatem narrauit, sed ab alio nempè à solliciatore, qui, vel falsum expressit, vel veritatẽ sibi propositam conticuit cũ ignorantia partis impetrantis, excusatur, ne rescriptum sit subreptitium, & refert Rotam dixisse sic decisum esse ab Vrbano Papa de rescriptis sit 68. S. Dominus Vrbanus in antiquis etiam vbi alias Princeps non concessisset, vide Felin. supra, sed ita est impetratio prima facta in casu nostro, ergo valida, ergo non indigebat alia dispensatione.

19 Confirmatur primò, quia quando exprimitur falsum, propter quod concedens concedit, quod difficilius bene concessum cum expressione veri, talis expressio falsi non videtur vitiare gratiam, ita concludunt Dom. de Rota decis. 129. in viti de prebendis in antiquioribus, Socin. loco cit. cons. 206.

8 num. 8. sentit Sanchez lib. 8. cit. disput. 21. nu. 74. loquens de causa impulsiua, sed solliciator expressit in supplicatione supplicanti impetrare in quadam Congregatione, in qua ille debat professionem emittere, cum in illa nulla emittitur professio, etsi in eadem congregatione, alij eadem irregularitate irretiti dispensationem obtinuerunt cum clausula suspentionis ab exercitio ordinum, nisi in ea permanserint, ergo illa conditio emissionis professionis fecit tantum, vt facilius Pontifex dispensasset, & si expressisset, difficilius impetrasset, ergo dispensatio non fuit subreptitia, ergo non indiget alia dispensatione.

Nec dicas primò, quod in dubio an quis sit irregularis, censendus est, quod sit irregularis, nam hæc est tutior pars. Quia contra est primò. Nam

20 qui dubitat, an sit irregularis post factam diligentiam præsertim de consilio viri docti, & experti, potest practicè deponere dubium, quod non sit irregularis, ita Herriquez lib. 14. cap. 3. n. 4 litera A. Ar in casu nostro ita fuit, ergo potuit deponere conscientiam, & iudicare se non esse irregularem.

21 Contra est secundò, quia in dubio an quis sit irregularis censendus est irregularis, quando scilicet verè dubium est; At quando probabiliter opinatur aliquam partem minus tutam, tuta potest hanc amplecti in tuta conscientia, ita D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. col. 7. vers. pro cuius enucleatione Angelus verbo opinio num. 1. Siluest. eod. verbo quæsito primo in fine. Nauar. cap. consideret in principio de pœnitent. dist. 5. n. 38. Gutierez quæst. canonicarum lib. 1. cap. 31. nu. 41. Herriquez alios referens lib. 14. cap. 3. nu. 4. in fine, qui nonnullos citat, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 4. num. 9. At in casu nostro hic consulit viros doctissimos, & expertos, qui faciebant opinionem probabilem, ergo nõ fuit amplius in dubio tempore ordinis, sed in opinione probabili, ergo fuit tutus in conscientia, suscipiendo ordines de consilio illorum Doctorum.

Nec dicas secundò, quod quando dubitatur de validitate dispẽsationis, tunc dispensatio est inualida.

Quia

Digitized by Google

22 Quia contra est primò. Nam Sanchez lib.8. de matrimonio disput. 21. num. 25. Salas de legibus disput. 20. sect. 15. Bonacin de legib. disp. 1. q. 2. punct. 6. in fine, & alij apud ipsos mordicus defendunt quando dubitatur de validitate dispensationis, dispensationem esse validam; loquor de prima dispensatione.

Contra est secundò. Nam in casu nostro non dubitamus de validitate dispensationis, quasi quod esset, vel non esset subreptitia (loquor de secunda dispensatione) sed sumus certi de dispensatione. Nam cum verba illa sint generalia necessariò comprehendunt irregularitatem à supplicāte non cognitam, dubitamus tantum de intentione dispensantis, quæ etiam manifestè colligitur, & præsupponitur ex verbis ipsis, vt supra dixi in 3. suppositō, & consequenter nihil verti potest in dubium in casu nostro.

Nec dicas tertiò, quod in secunda supplicatione nullum fuit mandatum supplicantis absentis de irregularitate, quum illam ignorabat, nec fuit facta causa cognita ergo nulla:

23 Quia contra est, nam ad valorem dispensationis non requiritur mandatum supplicantis, sed ipsi ignoranti concedi potest, quia nullibi habetur necessarium esse mandatum, nec causæ cognitionem, vt optimè Sanchez lib. 8. disp. 26. nu. 4. Basilius Pontius lib. 8. cap. 15. num. 3. Acastro Palao tomo 1. tract. 3. disp. 6. punct. 11. num. 2. Nec requiritur causę cognitio. Sanchez loc.cit.disp.17.n. 24.Basilius Pontius. loc.cit. puncto 13. num. 2.

Nec dicas quartò quod illi irregularitati non fuit dispensatum per primam dispensationem, quia fuit subreptitia, non per secundam, quia non fuit expressa, ergo simpliciter non fuit dispensatum.

24 Quia contra est nam huic irregularirati fuit dispensatum per primam, & per secundam dispensationem; per primā, stante opinione Felini, & Soccini, quod malitia procuratoris non nocet supplicāti in gratijs obtinendis, vt dixi in tertia probatione, & stante, quod falsitas expressa, fuit causa, vt facilius impetraret, & sic mentitus est in causa impulsiua, & non finali vt ex Soccino, & Sanchez in confirmatione ipsius secundæ probationis. Per secundam, quia tempore quo Pontifex dispēsauit, iam irregularitas illa reddita erat simpliciter incognita, & laborabat supplicans ignorantia inuincibili de illa, & consequenter, vt irregularitati incognitæ fuit per secundam dispensationē dispensatum. Quando postea supplicās aduertit primam dispēsationem fuisse subreptitiam (quod non credo ex dictis) iam cognoscit per secundam fuisse illi dispensatum, & quum ordines sint suscepti, actus est iam redditus irretractabilis, & sic simpliciter validus.

25 Nec dici potest quod remaneat suspensus. Quia non habet vnde talis suspentio oriatur, cum sic ordinatus non sit amplius irregularis, nam stante validitate dispensationis ad ordines, consequenter dispensatum fuit ad exercitium ipsorum.

Quum ergo res ita se habeat, manifestè apparet talem irregularem cum his dispensationibus ordinatum, nulla alia dispensatione indigere.

SVMMARIVM.

Sacerdos excommunicatus toleratus si ad petitionem amici non excommunicati celebret, ex vi talis celebrationis nec est irregularis, nec peccat mortaliter. nu. 1.

Postulatio est actio indifferens, quæ specificationem recipit ab obiecto, vnde dicitur bona si obiectum est bonum, dicitur mala si obiectum est malum. nu. 2.

Licitum est interesse sacro sacerdotis excommunicati tolerati sine vlla necessitate. nu. 3

Quando non licet sacerdoti celebrare, qui eum inducit ad celebrandum semper peccat. num. 4.

Ab vsurario parato licitum est constituto in

Digitized by Google

necessitate ad vsuram accipere. n. 5. & 11.

Idem est dicere, quod sit licitum accipere ad vsuras ab vsurario parato, ac dicere licitũ esse petere mutuum ab aliquo à quo certò scio ratione talis mutui, inferendã esse mihi aliquam iniustitiam. nu. 6.

Mutuatio non est actio mala, & correspondet petitioni ad mutuum. nu 7.

Malitia vsurae tota est ex parte mutuantis, & nullo modo ex parte mutuatarii, cum sit iniusta petitio vsurarii à mutuatario eod. num.

Vsura est iniustus effectus mutui proueniens ex praua voluntate mutuantis. nu. 8.

Vsura promittitur tempore mutui. nu: 9.

Mutuatarius dum promittit, & soluit vsuras correspondet petitioni vsurarii, non verò vsurarius petitioni mutuatarii. eod. nu.

Licitum est interesse sacro, quod sit ab excommunicato tolerat. nu. 10.

Quando aliquid licitum est per se, & non per accidens, licita est petitio illius, etiam à nõ parato. num. 11.

Licitum est vxori petere debitum à viro qui emisit votum castitatis, etiam si non sit paratus restituere. eod. num.

Licitum est petere ad vsuram à parato, secus verò à non parato. eod. num.

Si Sacerdos excommunicatus toleratus rogatus, non posset licitè celebrare, neque possemus ab eodem sacramenta sumere tempore necessitatis, etiam si esset paratus illa ministrare. num. 12.

Quando malitia operis nõ refunditur ad prauam voluntatem operantis, sed non potest nisi illicitè opus illud praestari, tunc nemini licet concurrere ad opus illud, etiam si talis paratus sit opus illud illicitum praestare. Secus verò quando tota malitia operis refunditur ad prauam voluntatem operantis. num 13. & 19.

Non licet ebrio parato se inebriare vinum subministrare. Nec in die veneris subministrare carnes etiam parato illas edere. eod. num.

Necessitas postulandi aliquod illicitum, tunc excusat, quando tota malitia refunditur ad prauam intentionem operantis. nu. 14.

Tota malitia vsurae refunditur ad prauam voluntatem vsurarie. eod. num.

Omnis communicatio licita est cum excommunicato tolerato. nu. 15.

Petitio, & correspondentia, quadam communicatio est. eodem num.

Extrauagans Martini V. non tollit excommunicationem ab excommunicato sacerdote tolerato. nu. 16. sed suspendit eius effectum. eod. num.

Ab extrauagante Martini V. & à Concilio Constantiensi, non recipit fauorem sacerdos excommunicatus toleratus, ex eo quia potest ad petitionem aliorum celebrare, sed potius recipit onus nu. 17.

Excommunicatus Sacerdos toleratus fit irregularis si celebret ex propria voluntate, non verò ad petitionem alterius. nu. 18.

Excommunicatus toleratus ab extrauaganti Martini Quinti & Concilio Constantiense non recipit facultatem communicandi cum alijs, sed alij recipiunt fauorem communicandi cum ipso excommunicato. eod. num.

Excommunicatus licitè admittit alios non excommunicatos ad communicandum cum ipso. eod. num.

Si Sacerdos habeat praeceptum de non celebrando, & quis inducat ipsum ad celebrandum peccat contra charitatem, num. 19. & lex positiua non potest huic legi derogare. eod. num.

Quãdo sacerdos excõmunicatus toleratus sese ingerit ad celebrandum, tunc possum licitè interesse eius sacro. eod. num.

Excommunicatus toleratus ante denunciationem non amittit iurisdictionem, sed tantum impeditur, & ea vti potest ad petitionem fidelium. num. 20.

RESOLVTIO V.

Quidam Sacerdos excommunicatus toleratus, rogatus fuit ab amicis, vt sacrificaret, tempore quo erant alij Sacerdotes non excommunicati, qui celebrare poterant; celebrauit iste excõmunicatus. Queritur an peccauerit mortaliter, & factus sit irregularis?

Re-

Digitized by Google

1 REspondeo talem Sacerdotem nõ peccasse ex vi excommunicationis. Nec esse irregularem. Ita Fagũdez primi Ecclesiæ præcepti lib. 2. c. 5. nu. 19. his verbis. Secunda opinio verior, & probabilior docet non esse prohibitum Christi fidelibus ex vi solius censuræ, dummodo nullum aliud detur impedimentum peccati in ipsis excommunicatis petere, & accipere sacramenta ab eiusmodi excommunicatis toleratis, etiam non parochis paratis, vel imparatis, quandiù tolerati sũt, illorumque missas audire, & illas ab eisdem petere, etiam si alij sacerdotes præsentes sint, qui nullam habent excommunicationem, ita docet Suarez loquendo in proprijs terminis de missa tomo 5. de censuris disp. 11. sect. 4. num. 18. pag. 214. col. 1. Loquẽdo verò de petitione, & acceptatione sacramẽtorum, ita docet Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 22. quæst. 1. art. 4. col. 3. vers. At verò, Victoria in summa, vbi de baptismo num. 27. & in eadem summa, vbi de excommunicatione num. 339. Viualdus in candelabro aur. 1. part. de matrim. num. 80. Ledesma prima par. quæst. 5. artic. 6. dub. vltim. Ludouic. Lopez 2. par. instr. vbi de sacram. in gen. cap. 59. num. 18. vers. At verò vrgentius fol. 85. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 9. num. 8. & quamuis omnes isti DD. præter Suariũ loquantur solum de petitione, & administratione sacramentorum, & non de sacrificio missæ; tamen eadem est ratio, vt sæpe dixi, cum vtraque sit communicatio in diuinis, & vtraque requirit ministrum impedimento carentem. Hæc Fagundez, ità etiam sentit Ioannes præpositus in 3. p. quæst. 21. dub. 5. num. 52.

2 Probatur primò. Nam postulatio, vt postulatio, est actio indifferens, quæ specificatur à suo obiecto; vnde si obiectum est licitum, postulatio erit licita, si illicitum, erit illicita; Sed sine vlla necessitate interesse sacro, quod fit ab excommunicato Sacerdote tolerato, licitum est fidelibus, vt per concilium Cõstantiense, & in extrauag. Martini V. ad euitanda, cum his verbis. Ad euitanda scandala, & multa pericula, quæ in conscientijs timoratis contingere possent, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communicatione alicuius Sacramentorum, administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumq; diuinis, publicè, vel secretò, prætextu cuiuscumq; censuræ, à Iure, vel ab homine teneantur abstinere &c. ergo ẽt postulatio huius sacri prout est à tali excommunicato tolerato sine vlla necessitate licita erit, ergo etiam licitum erit sacerdoti excommunicato tolerato celebrare sine vlla necessitate ad petitionẽ amicorũ: Hęc. n. duo, correlatiua sunt; nec liceret amicis postulare, nisi etiam liceret Sacerdoti
4 celebrare. Quia si non liceret Sacerdoti celebrare, inducentes ad celebrandum semper peccarent, nam inducerent ad faciendum opus peccaminosum, quod licitum non est, & consequenter nec esset licita postulatio.

5 Dices. Si hæc argumentatio esset bona, sequeretur, quod etiam vsurario licitum esset dare ad vsuras in necessitate constitutis. Nam licitum est indigenti accipere ad vsuram à parato ergo licitum erit postulare à parato; ergo etiam licebit vsurario parato dare indigenti ad vsuram, quia indigens licitè petit, ergo etiam vsurarius paratus licitè dat; nam si hic licitè non daret, nec ille licitè peteret, cum sint correlatiua.

6 Sed contra est. Nam dicere quod sit licitum ab vsurario parato accipere ad vsuram stante aliqua necessitate idem est, ac dicere licitum esse petere mutuum ab aliquo, à quo certò scio ratione huius mutui, inferendam esse mihi aliquam iniustitiam, & sic in tali casu ego mutuatarius patior tantum iniustitiã ab vsurario vt optimè obseruat Pontius lib. 5. de matrim. cap. 18. §. 7. num. 53.

Et

Digitized by Google

7 Et vide quod mutuatio, quæ petitioni correspõdet, actio mala nõ est, sed est mala iniustitia mihi ab vsurario inferẽda quæ nullo modo se tenet ex parte petitionis mutui, sed ex parte malitiæ dantis, seu mutuantis. Correlatiuũ enim petitionis mutui, non est vsura, seu iniustitia vsurarij, imo hanc abhorret mutuum, sed est mutuatio quæ semper licita est: Vnde petitio vsuræ non correspondet mutuo, nec petitioni mutuatarij, sed correspondet prauæ intentioni vsurarij; cum sit iniusta actio, seù potius iniusta petitio vsurarij à mutuatario, quã iniustitiã licitè pati poterit mutuatarius si habet necessitatem, & vsurarius sit paratus. At sine necessitate, etsi non sit paratus vsurarius, non erit licitum mutuatario taliter accipere, vt cum cõmuniorí sentẽtia Pontius loco cit. num. 47. & 53. Sanchez in Summa libro . . . . Vnde cum licitum sit mutuatario mutuum tantum, & non vsura, licitum erit ẽt mutuanti mutuum, & non vsura. Paritas ergo sic currit: Licet indigenti petere mutuum ab vsurario, & si sciat vsurarium ex sua malitia velle vsuram, ergo licitum erit ẽt vsurario tantum mutuare indigenti. Indigentiæ enim succurritur per mutuationem, & non per vsuram, ergo licitum non erit vsurario exigere vsuram ab indigente petente mutuum, quia indigentia non subleuatur per vsuram, sed augetur. Ex quo clarè habetur, quod vsura sit effectus mutui, cum sit lucrum ex mutuo: Quod prouenire non potest naturaliter ex mutuo, sed prouenit ex praua voluntate mutuantis. Et sic potius est actio, seù petitio à mutuante ad mutuatarium, quam petitio mutuatarij ad mutuantem. Vsura enim non soluitur tempore mutui, sed tempore mutui promittitur pati illam iniustitiã, cui iniustitiæ fit satis per solutionem. Vnde mutuatarius soluendo vsuram, potius correspondet petitioni vsurarij, quam vsurarius petitioni mutuatarij.

10 Secus dicendum est in casu nostro: Nam id, quod mihi licitum est, est interesse sacro, quod fit ab excommunicato, etiam prout est ab excommunicato, vt in extrauaganti, & in Concilio Constantiense, ergo etiam licita erit petitio huius sacri, prout à tali excommunicato, cum petitio specificetur ab obiecto, & hoc ipsum obiectum mihi licitum est, ergo etiam licitum erit Sacerdoti ad talem licitam petitionem celebrare. Aliter enim, vt dixi, petitio licita non esset, si Sacerdos peccaret.

11 Confirmatur quia quando aliquid licitum est alicui per se, & non per accidens, licita erit petitio illius etiam à non parato, quod patet. Nam ex eo, quia per se licitus est actus matrimonialis vxori, si vir emisit votum castitatis, potest ab illo licitè petere, etiam si paratus non sit, Et è contra ex eo, quia licitum non est per se, sed per accidẽs accipere ad vsuram, nempè ratione necessitatis, non licet petere ad vsurã à non parato secũdum communiorem sententiam. Sed licitum est per se, & absque vlla necessitate interesse sacro, quod fit ab excommunicato tolerato, vt patet ex extrauaganti citat. & concilio, ergo licita erit petitio illius sacri ab excommunicato etiam non parato.

12 Probatur secundo, quia si hic Sacerdos excommunicatus toleratus non posset rogatus licitè celebrare, sequeretur quod nullum priuilegium concessisset fidelibus Martinus V. nec cõcilium Cõstanse: nam talis Sacerdos nunquam posset licitè celebrare. Non de per se, vt omnes concedimus; non rogatus, vt volunt aduersarij, ergo nunquam licitè celebrare posset. Neque ergo fideles possent de manu huius Sacerdotis sacramenta sumere etiam si sit paratus: Neque si de illis Sacramentis necessitatem habeant; quod dicunt aduersarij concessisse Cõcilium, & Martinum V.

Quod non posset de manu huius sacra-

cramenta sumere, etiam si sit paratus. Patet, nam quando aliquis non potest, nisi illicitè aliquod opus præstare, ita quod impotentia tota refundatur ad impotentiam licitè faciendi, & non ad malitiam operantis, mihi non licet materiam ministrare ad tale opus, Patet hoc in Ebrio, qui, etsi paratus sit ad se inebriendum, mihi licitum non est vinum subministrare, nec mihi licitum est subministrare carnes in die Veneris etsi alter paratus sit ipsas comedere, quia illa ebrietas, & hæc comestio, nō possunt fieri, nisi illicitè. Secus dicēdum est in vsurario, quia vsura est quid distinctum à mutuo, & potest vsurarius mutuare gratis, & non vult, ideo mihi licitum est à parato mutuum ad vsuram accipere, vt optimè obseruat Suarez to. 5. in 3. par. disp. 9. sect. 4. n. 7. pag. mihi 224. Sed Sacerdos excōmunicatus in casu nostro, nō pōt, nisi illicitè celebrare, & Sacramenta ministrare secūdū aduersarios, ergo mihi nō licebit Sacramenta accipere, etiam si ipse sit paratus illa ministrare. Nam, sicut sunt materia Sacramenti Pœnitētiæ peccata, ita materia ebrietatis est vinum. ergo sicut non licet ebrio parato subministrare vinum; ita nec Sacerdoti parato subministrare peccata; Et si hoc verum est in Sacramento Pœnitentiæ, verum etiam erit in alijs Sacramentis, & in sacrificio missæ. Nec licebit igitur sumere Sacramenta, nec interesse sacro huius Sacerdotis excommunicati, siue sit paratus, siuè non paratus.

14 Quod verò neq. licebit Sacramenta sumere de manu huius excommunicati, & si fideles necessitatem habeant, ēt patet, nam in tantum necessitas excusat, in quantum malitia in re postulata refunditur tota ad prauā voluntatē dantis, qui cum posset, nō vult licitè, sed illicitè dare. Quod patet in vsurario; Nam ideo possum in necessitate accipere mutuum ad vsuram ab vsurario, quia tota malitia vsuræ refunditur ad vsurarium, & non ad mutuum, qui cum possit gratis mutuare non vult, sed tantum dare ad vsuram, vt optimè Suarez loc. citat. sed hic Sacerdos, etiā si velit nō potest licitè in statu excommunicationis sacramenta ministrare, quia per aduersarios semper peccat: ergo licitum non est de manu eius sacramenta sumere; nec sacrificio interesse; etiam si fideles sint in necessitate constituti; ergo nullum est priuilegium fidelibus concessum, cum ipsis licitum non sit à parato excommunicato, nec etiam à non parato sacramenta sumere, etiā si in necessitate sint.

Ne ergo dicamus hoc absurdum, debemus concedere, quod saltem licitum sit sacerdoti excommunicato à fidelibus rogato celebrare. Quod magis.

15 Probatur tertiò. Omnis communicatio fidelibus concessa est cum tali excommunicato ab extrauaganti, ergo etiam petito huius sacri, & sacrificatio à tali sacerdote; Nam petitio, & correspondentia, quædam communicatio est, quæ si prohiberetur, sub ratione cōmunicationis prohiberetur, vt optimè Suarez loc. cit. num. 4. sed prohibita non est, immo concessa sub nomine communicationis, cum omnis communicatio cum tali sit licita, ergo dicendum est, quod licitum erit huic Sacerdoti sacrificare ad petitionem amicorum.

16 Dices extrauagans Martini V. non tollit excommunicationem à tali Sacerdote tolerato, neque illi in aliquo fauet, ergo vt excommunicatus celebrat; ergo peccat etiam, qui talem inducit ad sacrificandum, quia peccat Sacerdos excommunicatus celebrando.

Sed contra, Nam verum est, quod extrauagans non tollit absolutè ab eo excommunicationem, sed suspendit eius effectum, quando à fidelibus præuenitur talis excommunicatus Sacerdos, sicut neque tollitur absolutè præceptum audiendi sacrum in die festo ab illo, cuius ministerio, & assistentia

ægro-

negotus indiget, sed suspenditur obligatio.

17 Neque ex eo, quia talis Sacerdos excommunicatus potest ad petitionē aliorū celebrare, à Martino V. & Cōcilio fauorē recipit, immo potius ei onus imponitur, & pœna. Siquidem ad voluntatem & cōmodum aliorum solum id potest facere, & nō ad suum, ita Fagundez loc. cit. num. 19. in fine.

Dices ergo excommunicatus celebrans non fit irregularis, nisi sit denunciatus, vel vitandus contra Canones de Clerico excommunicato celebrante.

18 Sed contra. Nam tunc excommunicatus non vitandus fit irregularis celebrando, quando sese ingerit, & quasi inuitat ad sacramenta ministranda, vel ad missam celebrādam. Nam cum nullus fauor ei concessus sit ab extrauag. non est ei data facultas communicandi cum alijs, sed alijs communicandi cum ipso. Et quia non est præceptum in tali extrauag. vt excommunicati non teneātur alios vitare, sed solū, vt possint non vitari ab alijs, hinc est, quod non licet excommunicatis istis communicare cum alijs, etsi possint admittere alios, vt secum communicent. Quando ergo ipsi sese ingerunt ad cōmunicandum, semper peccant, & si celebrant sunt irregulares sita Suarez loco cit. num. 10.

Dices. Extrauagans concessit tantum Christi fidelibus, vt vti possint malitia, & peccato Sacerdotis excommunicati, quādo sunt parati ad id faciē dum. Non verò concessit, vt inducere possint ad sacrificandū, vel ad sacramēta ministrāda prædictos excōunicatos.

19 Sed contra est, Nam quando aliquis non potest nisi illicitè aliquod opus patrare, mihi non licebit concurrere ad talem consummationem operis, vt dixi in secunda probatione, quia esset concurrere ad malum actuale, vt malum est. Nam non ablato directè, neque indirectè præcepto positiuo ab excommunicato de non celebrando, nec suspenso eius effectu, etsi velit licitè celebrare, non potest: & sic esset concurrere ad actualem ruinam proximi, contra præceptum charitatis: Non enim potest extrauagans, quæ lex positiua est dispensare præcepto huic charitatis; cum sit lex interioris ordinis: & si fieret, dispensatio esset nulla. Nè ergo dicamus dispensationem illam esse irritam, oportet dicere, quod Sacerdos excommunicatus possit aliquando licitè celebrare, nempè ad petitionem fidelium, & quando ipse se ingerit ad celebrandum, licebit mihi huic sacro interesse; quia culpa sua illicitè celebrat, cum possit licitè celebrare, nempè ad petitionem alterius. Tunc enim Ecclesia videtur suspendere effectum excommunicationis, vt supra dixi, pro commodo, & priuilegio fidelium, & sic indirectè dispensat cum excommunicato. Non ergo extrauagans concedit vti peccato, & malitia excommunicati, cum hoc concedere nō possit, sed dispensat cum excommunicato ad celebrandum iuxta petitionem fidelium.

20 Nec dicas, quòd excommunicatio adimit ab excommunicatis ius ad sacramenta ministranda. Quia cōtra est. Nam excommunicatio ante denunciationem non adimit absolutè iurisdictionē, ab excommunicato, sed tantum impedit, ita vt illa licitè vti non possit, nisi ad petitionem fidelium, ita Suarez tomo quinto in tertia par. qui est de censuris disput. 11. sec. 4. num. 9. Fagundez loc. citat. num. 21. in fine.

Cum ergo hæc manifesta sint, dicendum est talem Sacerdotem excōmunicatum toleratum celebrantem ad petitionem amicorum, nec peccasse ex vi excommunicationis, nec irregularitatem incurrisse.

SVMMARIVM.

Qui emit cedulam habitus D. Iacobi, simoniam non committit. nu. 1.

Equites D. Iacobi sunt formaliter milites. nu. 2.

Mi-

Militiam vouunt. eod. num.

Ex habitu D. Iacobi ostenditur nobilitas probata eodem num. & num. 8. fuerunt instituti, vt militarent contra Saracenos. eodem num. & nu. 6.

Possunt recipere mercedem ex eorum militia, & si ex voto militent, nu. 3.

Votum non ita transfert res merè temporales ad statum spiritualitatis, vt simoniacus sit qui ipsas emit, aut vendit. eod. num.

Vota essentialia inducunt perfectam religionem. num. 4.

Qui emit cedulam habitus D. Iacobi, emit aliquid, quod est sub voto, sed non quatenus sub voto est. num. 5.

Ascriptio inter equites D. Iacobi facit hominem magis militem, quam religiosum. n. 6. Qui talem ascriptionem emit per se intendit militiam, per accidens religionem. eod. num.

Cõmendæ habitus D. Iacobi sunt res merè temporales. nu. 7. sicut etiam probatio propria nobilitatis nu. 8.

Equites D. Iacobi sunt religiosi secundum quid. nu. 9.

Qui eos percutit est excommunicatus eod. nu. si cognoscunt aliam fœminam præter propriam vxorem sacrilegium committunt eod. num. Potest Pontifex auferre ipsis equitibus potestatem testandi. eod num.

Emere aditum ad religionem, qua militia est licet, non verò ad religionem, quatenus religio est. nu. 10.

Cedula D. Iacobi prout dicit respectum ad vota, nec emi, nec vendi potest. num. 11. & num. 15.

Accipere aliquid pro patronatu est simonia. nu. 12.

Cera benedicta, & calix consecratus potest vendi, sine nota simoniæ. nu. 13.

In materia simoniæ est attendendus finis proximus, & non remotus. eod. num. & nu. 3.

Ideo pro patronatu nihil licet accipere, quia finis proximus est quid spirituale. eodem num. 13.

Canonicus qui choro interest principaliter pro lucro temporali, & confessarius qui cõfessiones audit cum fine vltimo lucrandi, & qui beneficium confert suo famulo, vt famulatum præstet secundum opinionem aliquorum simoniam committunt. nu. 14.

Finis actus est distinctus à fine obiecti in simonia. nu. 15.

Finis proximus intentionis est vltimus executionis. nu. 16.

Pro laboribus assumptis ad consequendam cedulam D. Iacobi, licitum est aliquid dare, quod si excedat labores, & qui eam obtinet intelligit donare, nullo modo simoniam committit. nu. 17.

RESOLVTIO VI.

Quidam emit cedulam habitus D. Iacobi à quodam familiari Regis. Quæritur an simoniam commiserit?

1 REspondeo talem simoniam non cõmisisse, est expresè Villalobos in summa, tom. 2. tract. 37. difficultate 14. nu. 5. inclinat Diana 3. par. tractatu 2. resol. 64. vers. deinde notandum est, &c. pro probatione.

2 Suppono primò, Equites D. Iacobi esse formaliter Milites, & ex tali habitu militari, suam nobilitatem probatam ostendere. Quod sint milites formaliter, patet, nam militiam vouent, & institutum principale ipsorum magis est viuere in castris, quam in claustris: Nam hi instituti fuerunt anno salutis 1175. & confirmati ab Alexandro III. in Regno Legionensi, & Castellano, vt militarent contra Saracenos, teste Azorio tomo primo lib. 12. cap. 6. quæst. 2. vers. Anno 1175. &c. & patet ex bullis approbantibus eorum instituta: milites enim appellat eos Vrbanus IV. & Gregorius Nonus, teste Vega tomo 1. summæ cap. 85. casu 147. vers. 27. Nota circa finem.

3 Suppono secundò hos Equites pro eorum militia (& si ex voto sit) posse recipere mercedem tẽporalem. Quod patet, tum quia, & si militiam vouerũt, non tamen vouerunt illam gratis exercere. Non enim est simoniacus medicus si vouit mederi infirmitates, sed nõ gratis, si stipendium quærit pro tali

Digitized by Google

medicina. Tum quia votum non ita transfert res mere temporales ad statũ spiritualitatis, vt Simoniacus sit, qui ipsas emit, vel vendit secundum se spectatas, iuxta earum temporalẽ æstimationem, dummodo non extimetur particularis ille respectus faciendi ipsas ex voto, ille enim respectus æstimabilis pretio non est, vt optimè Suarez tomo primo de Religione tractatu 3. lib. 4. de Simonia cap. 27. num. 8. Nec obstat, quod in religione etiam exercitia temporalia fiunt ob cultum Dei, nam hic est finis remotus, opera enim ipsa secundum suam naturam, & proximum obiectum æstimanda sunt, vt optimè, idem Suarez loco cit.

4 Suppono tertiò hos Equites esse religiosos, Non quia militant, sed quia emittunt vota essentialia, ita communiter omnes Doctores. Nam perfectã religionem inducunt vota essentialia, ex D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 6. & p. 2. q. 198. ar. 4. & non militia. His positis,

5 Probo sic. Qui emit cedulam D. Iacobi. Emit eam, vt ascribatur in hac militia, quæ militat sub voto, & non quatenus sub voto militat, sed quatenus nobilitatem probat, & ex tali militia præmium sperat temporale, ergo emit aliquod tẽporale, quod est sub voto, non quatenus sub voto est, sed licet emere aliquod tẽporale, quod est sub voto, quãdo nõ emitur rõne illius respectus ad votũ, vt ex secundo supposito, ergo licet emere cedulã habitus D. Iacobi.

6 Cõfirmatur, quia hæc ascriptio inter Equites D. Iacobi magis facit hominẽ militem, quam religiosum. Nam institutum principale, & per se horũ Equitum est militia, per accidens verò est vota emittere, quæ religionem facit, nã vt militent, sunt religiosi, & non vt sint religiosi militant, militia enim est principale intẽtum, religio verò est accessorium, ergo qui cedulam emit, vt ascribatur, principaliter, & per se intendit militare, per accidens verò vota emittere, sed militia est aliquod temporale, ergo potest emere cedulam, vt ascribatur inter hos equites. Ita ex Villalobos loc. supra citato, & ex Aragonia secunda secundæ q. 100. artic. 4. Soto de iustitia lib. 9. q. 6. articulo 2.

7 Confirmatur secundò, quia militare cum certa spe habendi aliquod notabile præmiũ temporale est pretio æstimabile, sed qui ascribuntur inter hos milites militant cum certa spe habendi comendas pingues, quæ sunt mere temporales, vt Suarez loc. citato. Azorius tom. 1. lib. 13. c. 3. q. 4. vers. caput igitur, &c. ergo ascriptio inter hos milites est pretio æstimabilis, ergo ascribi inter hos milites, vendi, & emi potest.

8 Confirmatur tertiò, quia declaratio propriæ nobilitatis potest emi, cum sit aliquod temporale, sed per talẽ ascriptionem inter hos milites supponitur habere nobilitatem probatã, ergo talis ascriptio vendi, & emi potest, quatenus nobilitatem probat, supponit, & declarat.

Dices ex Azorio tomo 3. lib. 12. cap. 16. quæsito. 5. vers. sed quid dicendum &c. Non potest quis emere aditum ad Religionem, sed equites D. Iacobi sunt religiosi, ergo non potest quis emere cedulam, quæ dat aditum ad talem religionem.

Respondet Diana loco citato vers. Adde etiam &c. posse quis negare minorem, nempè quod Equites D. Iacobi sint religiosi, ita Suarez in Enchyridion casuum conscientiæ lib. 3. verb. Religio, Bonacina in Bulla Cœnæ disp. prima q. 16. sect. prima puncto 3. nu. 16. Alterius de Censuris tomo primo lib. 5. disp. 16. cap. 2.

9 At hæc responsio Dianæ non placet, quia, & si isti equites non sint religiosi simpliciter, tamen sunt Religiosi secundum quid, quia non emittunt vota simpliciter, sed secundum quid, & sic etiã ingressum inter ipsos emi non posset, quia esset ingressus ad statum religionis secundum quid, non verò ad statum seculare. Nam ideò esset simonia emere ingressum ad religionem simpliciter, quia emeret aliquod spirituale, sed qui

emit

emit ascribi inter Equites Diui Iacobi etiam emit aliquod spirituale, quia status horum militum, seu equitum, & si religionis simpliciter non sit, denegari non potest, quod non sit status spiritualis, & status religionis secundum quid, vt D. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 4. ad 3. quia sæcularis non est, nam est excommunicatus, si quis manus violentas in eos injcit ex Bulla Vrbani IV. vt optimè probat Vega loco citato. Si alienam fœminam cognoscunt, præter propriam vxorem, non solum adulterium, sed etiam sacrilegium committunt, teste Rodriquez qq. reg. qu. 13. art. 2. Et potest Pontifex auferre potestatē testandi istis equitibus, vt de facto fecit PIVS V. teste Rodriquez q. prima articulo 4. sunt itaq; personæ Ecclesiasticæ, & si religiosi secūdū quid.

10 Resp. igitur ad argumentum Azorij. Ad maiorem; non potest quis emere aditum ad religionem, vt religio est, & concedo. Ad militiam, quæ religio est, & negatur. Qui enim talem ingressum emit, non intelligit emere religionem, sed emere militiam, cui per accidens religio connectitur: si enim religionem vellet, & non militiam emere, potius eligeret religionem Sancti Francisci, vel Societatis Iesu, vel Benedictinorum, quas gratis habere posset, & non cum tanto dispendio. Militia enim, quæ religio est, habet non nulla bona temporalia, quæ vendi, & emi possunt, vt declaratio nobilitatis, & approbatio illius: Equites enim huiusmodi probāt nobilitatem, & postea habitum recipiunt, habent certam spem, & quasi Ius ad cōmendas, quæ sæculares sunt, vt supra dixi cum Suarez. Hæc enim commoda temporalia emi, & vendi possunt.

Ad minorem Azorij, quod scilicet hi sint religiosi, transeat, & distinguo consequens: Non potest quis emere cedulam, quæ dat aditum ad talem religionem, secundum quod dicit respectum ad vota essentialia, & concedo; quatenus dat aditum ad militiam, quæ religio est, & propriam nobilitatem probat, & præmium temporale sperat, & negatur; Hoc enim est, quod emere quis intendit, & non cedulam prout dicit respectum ad vota essentialia, vt dixi.

12 Hoc enim dixi si ematur cedula, quæ habet respectum ad vota essentialia, seù ad religionem, sed non pro vt habet hunc respectum, quia vt sic spiritualis est, & nec vendi, nec emi potest sine simonia.

12 Dices ex Marriquez parte secunda quæstionum moralium, & Vicarialium &c. qu. 108. num. 6. Non potest quis accipere aliquid pro patronatu sine Simonia, quia est quid annexum rei spirituali cap. veniens el primò de test. cap. quanto, de Iudicijs, cap. præterea de Iure patronat. Gratius decis. lib. 2. cap. 96. num. 6. ergo nihil etiam dari poterit pro acquirendo ingressu, & habitu istius ordinis, quia ille ingressus, ille habitus est quid annexū rei spirituali, vnde à parte ante quidquid datur à volente habitum religionis, simoniacè datur.

13 Sed contra est. Nam pro patronatu nihil dari potest, Non quia est quid annexum rei spitituali; nam Cera benedicta etiam est quid annexum rei spirituali, & Calix cōsecratus est etiam quid annexum rei spirituali, & tamen vendi possunt &c. sed ideo pro patronatu nihil dari potest, quia finis proximus patronatus, spiritualis est, nempè bonum animæ, & pia causa, ideo enim beneficia patronatus instituuntur, & finis proximus est attendendus in materia simoniæ, & non remotus, vt ex secundo supposito cum Suarez; At quia finis proximus habitus Sancti Iacobi est militare pro commendis, probatam nobilitatem ostendere, &c. Ideo pro hac cedula potest aliquid accipere, & non pro patronatu, & sic retorqueo argumentum. Ideo pro patronatu nihil potest quis accipere, quia finis proximus est quid spirituale, & si remotus sit quid temporale, ergo ideo pro cedula habitus D. Iacobi potest quis aliquid accipere, quia finis proixmus

Digitized by Google

est quid temporale, & si remotus sit quid spirituale.

14 Dices ex eodem Marriquez loco citato num. 14. falsum esse, quod asseritur. s. quod in materia Simoniæ attendendus sit finis proximus, immo oppositum est verum, quod scilicet in materia Simoniæ potius finis vltimus, seù remotus, & intentio operantis sit attendendus, quam finis proximus. Videmus enim Canonicum simoniam cõmittere si choro interfit cum principali intentione lucri temporalis, & secũdaria seruitij Ecclesiæ. sic etiam cõfessarius, qui cõfessiones audit propter pretiũ tanquã vltimum finẽ, etiã simoniacus est. Et collatio beneficij facta famulo ad hoc, vt seruitium collatori præstet, tanquam illi debitum, eadem labe, vt videre est apud Graff. lib. 2. decis. cap. 96. à numero quinto vsque ad 35. & cap. 97. nu. 75. Hæc Marriquez contra Dianam.

15 At fallitur hic auctor, quia non distinguit finem obiecti à fine actus simoniaci. Quando Suarez, Diana, &c. dicunt, quod est attendendus finis proximus, loquuntur de fine rei, quæ vendi debet, & non de fine actus; Nam, & si finis proximus religionis D. Iacobi sit aliquid temporale, vt dixi, tamẽ si vendatur non ratione militiæ, sed pro vt dicit vota essentialia, etiam hic actus erit Simoniacus, sicut si quis vendat ceram benedictam ratione benedictionis, & nõ materiæ, vtiq; etiam Simoniã committit, quia hic actus specificatur ab obiecto quod est aliquid spirituale, Nempè vota essentialia, & benedictio. Si verò attendamus materiam ipsam in se, & non actum circa ipsam, vtique vendi, & emi potest, quia finis proximus est merè temporalis.

16 Addo, quod intentio operantis habet duplicem finem, intentionis scilicet, & executionis, & proximus finis intentionis est vltimus executionis; Et sic merces tẽporalis in exemplis allatis à Marriquez, & si sit finis vltimus executionis, tamen est primus, seù proximus intentionis, à quo actus specificatur.

Igitur manifestè apparet equiuocatio Marriquez contra Dianam, argumentatur enim ab obiecto ad actum, seù à fine remoto obiecti ad finem remotum actus. Merces enim temporalis est finis remotus sacrificij missæ, cantationis in choro &c. At est finis proximus actus Sacerdotis sacrificantis, vel canonici canentis pro tali mercede. Et ideo hic actus est simoniacus, quia habet pro suo obiecto specificatiuo proximo mercedem temporalem, quæ merces est finis remotus missæ &c. vt dixi. Possem etiã cum nõnullis DD. negare canonicum, &c. in tali casu cõmittere simoniam.

Igitur Nostra sententia falsa non est, vt putat Marriquez loco citato nu. 11. immo tam habet probabilitatis, vt oppositum adhuc demostratum, nec probatum inuenio. Cum igitur Iugum Domini suaue sit, & onus leue, Non debemus tentando Deum imponere iugum super ceruices christianorum, quod portare nõ debent. Expedit ergo manifestare semper verissimas opiniones, ne animas fidelium sine ratione, & iusta causa inlaqueantur.

De cõmendis verò hic non disputo, quia indigent alia resolutione, & non facit ad casum nostrum, vt putat Marriquez.

17 Quod si non pro cedula, sed prò laboribus assumptis pecunia præbeatur tertio impetranti, & si ex pacto hoc fiet, nullo modo illicitum est. Immo si pretium exuperat labores assumptos, & qui emit intelligit donare gratis tali tertio, magis hoc licitum est, & nullo modo est simonia, vt optimè Diana loco citato colligit ex D. Th. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. ex Valentia tomo 3. disp. 6. q. 16. puncto 3. ex Tandero 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 3. num. 76. ex Suarez de Religione tomo primo lib. 4. cons. 53.

Ex dictis ergo manifestè apparet posse quis emere cedulam habitus D. Iacobi, dummodo illã non emat secundum,

Digitized by Google

dum, quod dicit respectum ad religionem, seù ad vota essentialia, sed secundum quod dicit militiam, & spem præbet ad aliquod temporale.

SVMMARIVM.

Permutatio beneficiorum facta sine auctoritate superioris ad quem spectat collatio ipsiusmet beneficij est simoniaca nu. 1.

Beneficium est potestas exigendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob diuinum, & ecclesiasticum ministerium, & cultum. eod. num.

Permutatio est contractus conditione affectus nempè do vt des, vel facio, vt facies. num. 2.

Quando permutatio beneficiorum fit auctoritate superioris, nulla simonia committitur. eod. num.

Legatum Ecclesiæ relictum cum onere missarum, dicitur relictum ad pias causas. num. 3.

Legatum continens particulam, Si, dicitur cõditionatum, eodem num.

Legatum relictum respectu alicuius personæ, & ad finem permutandi cum aliquo beneficio, ante mortem legantis non dicitur piũ. num. 4.

Legatum pium ante mortem legantis non est in bonis, nec de bonis ecclesiæ, sed legantis. nu. 5:

Non competit actio legatario, nisi post mortẽ legantis. eod. num.

Legatum factum ad finem permutandi cum aliquo beneficio ecclesiastico, non dicitur piũ nisi post permutationem, quia tunc fit de bonis ecclesiæ. num. 6.

Legatarius non habet ius ad legatum conditionatum, nisi post adimpletam conditionẽ, quod verum est etiam respectu legati conditionati ad pias causas quando sumus certi de voluntate legantis, secus verò quando non sumus certi. eod. num. & nu. 19.

In dispensatione considerantur duæ causæ scilicet finalis, & impulsiua. causa finalis ea est, qua scilicet non existente, vel qua significata, princeps gratiam non cõcessisset. Causa impulsiua ea dicitur quæ falsò expressa Principem mouet ad facilius dispensandum, vel si est vera, & exprimeretur, Princeps difficilius concessisset gratiam. num. 7.

Taciturnitas causæ finalis in materia dispensationis, vel falsa expressio ipsius reddit nullam impetrationem. nu. 8. tollit enim voluntarium Principis dispensantis. eod. num.

Volunias Principis præsupponitur talis, qualis est intentio iuris. nu. 9.

Qualitas beneficii in impetratione explicanda est Pontifici, maximè quum qualitas exprimenda est de iure, vel de stilo. nu. 10.

Qualitas rei permutandæ est explicanda in permutatione. eod. num.

Temporale pro spirituali permutari non potest. eod. nu. & nu. 14.

Quando plures causæ proponuntur Pontifici pro aliqua dispensatione, & vtraque est insufficiens per se sola, tamen integrant vnam causam sufficientem, si aliqua earum est falsa, dispensatio est nulla. nu. 11.

Permutatio beneficiorum facta cum ignorantia Pontificis, est simoniaca. nu. 12.

Ignorantia inducit inuoluntarium. eod. num.

Aliud est dicere quod sit à voluntate, aliud quod sit voluntarium. num. 13.

Per mortem beneficiati beneficium vacat. num. 15.

Prouisio beneficii facta per simoniam est ipso iure nulla, & talis simonia impedit acquisitionem beneficii. eod. nu. & nu. 17.

Extrauagans cum detestabile est intelligenda de simonia reali, non verò de conuentionali. num. 16.

Prouisio facta per simoniam conuentionalem, nulla est ex can. ea quę 1. q. 3. & ex Bulla Pij V. super reformatione pœnitentiariæ. nu. 17.

Simoniacus non potest retinere fructus à beneficio per simoniam obtento perceptos. eod. num.

Legatum conditionatum per mortem legatarij ante mortem legantis omninò expirat. num. 18.

Præsente veritate, præsumptio cessat. nu. 19.

Qui simoniacè beneficium obtinet bona fide, & per triennium tale beneficium possidet, potest in tuta conscientia sine noua dispensatione illud in posterum retinere. nu. 20.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO VII.

Quidam legatum reliquit cuidam Ecclesiæ post mortem suam cum onere missarum, & cum cõditione, quod si ipsemet vellet permutare tale legatum, cum aliquo beneficio dum viuit, voluit, vt legatum vim haberet à die permutationis. Et hoc legatum instituit ad finem permutandi cum quodam Canonico. Exposuit hoc totum Pontifici, & Pontifex huic permutationi consentire noluit. At legans iterum supplicauit, exponendo Pontifici possidere legatum pium, à se fundatum, & Pontifex permutationi consentit. Sed resignato à Canonico suo Canonicatu in manu Pontificis, statim è vita decessit, & Bullæ fuerunt expeditæ in beneficium compermutantis superuiuentis. Quæritur, an hæc permutatio sit valida? An superuiuens possit Canonicatum simul retinere, & suum legatum? & an teneatur ad onus missarum à se in legato impositum?

1 PRo resp ontione, Suppono primò permutationem beneficiorum factam sine auctoritate superioris, ad quẽ spectat collatio ipsorum, esse simoniacam cap. Maioribus de præbendis cap. Quæsitum de rerum permutat. & patet, tum quia beneficium est ius spirituale, est enim potestas exigendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob diuinum, & ecclesiasticum ministerium, & cultum. Azor. tom. secundo lib. 7. cap. 26. quæst. 3. & ferè omnes communiter, teste Garsia prima parte de beneficijs cap. 2. num. 2. At prohibitum est pro re spirituali pretium, vel aliquid pecunia æstimabile accipere, vt patet in toto titulo de simonia, ergo &c. tum quia repugnat præcepto Christi Domini Matth. 16. Quod gratis accepistis gratis date.

2 Nec valet dicere, quod permutatio sit contractus gratuitus, quia est cõtractus conditione affectus, nempè Do, vel Facio, vt des, aut facias, vt optimè Azorius loco citato, Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 37. num 16. Ferdinandus à Castro palao tomo 2. tractatu 15. disp. 6. quæsito 3. §. 3. num. 1. Quando verò fit auctoritate superioris nulla simonia interuenit; Nam tunc superior gratis dat omnia. cap. vnico de rerum permutatione in 6.

3 Suppono secundò legatum hoc considerari posse in duplici statu, vel enim consideratur post mortem legantis, & est legatum absolutum ad pias causas, nam est relictum Ecclesiæ cum ponere missarum prò bono animæ legantis: quod pietatem inducit, Barbosa de potestate Episcopi par. 3. allegatione 116. num. 9. & omnes Doctores communiter; vel consideratur legatum hoc dum legans viuit, & dico, quod sit legatum conditionatum, & non sit ad pias causas; Quod sit conditionatum patet, nam continet particulam, si, quæ conditionem importat. §. longè magis institut. de legatis.

4 Quod verò non sit ad pias causas, etiam patet, tum quia fuit factum respectu personæ, cum qua permutare intendebat, & non ad bonum animæ, sed ob permutationem, & legatum factum respectu personæ, & non ob bonum animæ, pium non est. Panormitanus cap. Nos, de testamentis, Ancheranus clement. Quia contingit, de religiosis domibus. Bartholus l. Pater §. Tusculanus ff. de legatis 3. Mantica libro 8. de coniecturis vltimarum voluntatum titulo 5. in fine. Sanchez consil. lib. 4. cap. 2. dubio 25. nu. 2. & 3.

5 Tum quia legatum hoc, cum sit conditionatum, & legans adhuc viuat, non est in bonis, nec de bonis Ecclesiæ. Nã actio non competit legatario, nisi post mortem legantis l. a Titio ff. de furtis, & cum conditio adhuc adimpleta non sit, semper est in posse legantis ipsum le-

Digitized by Google

legatum permutare, & ad profanissimos vsus impendere l. datum legatum, & l. cum Quæstio. C. de legatis, si ergo legatum hoc ante permutationem est in bonis, & de bonis legantis, & nõ Ecclesiæ ante quam permutatio adueniat, pium dici non debet. Nam post vltimum instans permutationis pietatem recipit; quia tunc fit de bonis, vel in bonis Ecclesiæ, Non enim legatarius acquirit ius ad legatum cõditionatum, nisi post adimpletam conditionem l. is, cui ff. de actionibus, & obligationibus, l. si plures C. de conditionibus insertis. 6

Quod verum est etiam si legatum sit ad pias causas, quando sumus certi de voluntate testatoris. Riccius ad Tiraquellum de priuilegijs piæ causæ priuil. 59. in fine; quia veritati cedit præsumptio legis, lex enim præsumit testatorem ob bonum propriæ animæ velle legatum adimpleri ad pias causas, & conditione non adimpleta: At quando sumus certi de voluntate præsumptio cessat. Sotus de Iustitia lib. 1. qu. 6. art. 4. in fine Vasquez prima secundæ disp. 163. cap. 3. Sayrus in Clau. Regia lib. 3. cap. 7. num. 8. Azorius tomo primo lib. 5. cap. 6. puncto 4. & omnes communiter ferè Doctores.

Nec ex eo, quia habet annexum onus missarum pium censendum est; Nam onus missarum habet post permutationem, ergo ante permutationem pium dici non potest.

7 Suppono tertiò in impetrationibus dispensationum considerari, posse duplicem causam mouentem Principem ad concedendum. Finalem vnam, impulsiuam alteram. Causa finalis, ea dicitur, qua non existente Princeps non concessisset, vel qua ei significata gratiam denegaret, colligitur manifestè ex l. cum tale 71. §. falsam causam ff. de conditionibus, & demostrationibus. Causa verò impulsiua, ea est, quæ falsò expressa Principem mouet ad facilius concedendum petita, vel si ea est vera, & non taceretur Principem moueret ad difficilius concedendum. At re vera prorsus concederet gratiam in vtroque euentu. Couarruuias lib. primo variarum cap. 20. nu. 5. vers. His ita breuiter Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 21. num. 3. His positis.

Respondeo ad casum, & dico impetrationem istam esse subreptitiam. Permutationem esse simoniacam. Canonicatum vacare, & legatum vim non habere.

8 Quod impetratio sit subreptitia patet; Nam taciturnitas causæ finalis, vel falsa expositio ipsius in dispensationibus reddit nullam impetrationem, maximè in materia beneficiorum, cap. dudum de præbendis in 6. cap. finali de filijs præsbyterorum in 6. Nam hæc taciturnitas tollit voluntarium Principis, quia operatio cum ignorãtia, quæ sit causa actus, vti est ignorantia causæ finalis verè facit simpliciter inuoluntarium D. Thomas prima secundæ qu. 6. art. 8. cum communi sententia Doctorum, sed in casu nostro tacetur, seu exponitur causa finalis falsa, quia exponitur cõpermutatorẽ fundasse legatum ad pias causas, quod pium non erat ex secundo supposito, ergo nulla impetratio.

Et quod hæc sit causa finalis huius dispensationis patet, Nam in prima supplicatione, in qua exponebatur Põtifici legatum esse conditionatũ inter viuos, noluit Põtifex consentire; In secunda verò supplicatione, in qua exposuit Pontifici legatum esse absolutum, & ad pias causas. Pontifex consentit, ergo hæc taciturnitas est taciturnitas causæ finalis, ergo hæc taciturnitas reddit nullam impetrationem, cum sit taciturnitas veritatis qua exposita Pontifex non consensisset. 10

9 Confirmatur primò, quia voluntas Principis præsumitur talis, qualis est intentio Iuris l. ex facto in principio, & ibi Baldus ff. de vulgari &c. Decius consil. 33. num. 5. volum. primo Sanchez loco citato num. 12. sed intentio Iuris est, quod spirituale cum spirituali

rituali permutetur, non verò spirituale cum temporali. cap. exhibita nobis de rerum permutatione, ergo hæc impetratio est nulla, quia non est secundum intentionem iuris.

10 Confirmatur secundò, nam qualitas beneficij in impetratione, explicanda est Pontifici, alias impetratio est nulla, cap. non potest in principio, & cap. si motu proprio de præbendis in 6. & cap. si proponente de rescriptis. Quod maximè verum est, quando qualitas de iure, vel de stilo exprimenda est, vt optimè Sanchez lib. 8. de matrimonio cap. 21. num. 30. ergo etiam qualitas rei, quæ permutanda est erit explicanda, quia per modum impetrationis possidetur beneficium ex vi permutationis obtentum, sed quod legatum sit pium, vel non pium, est conditio de iure exprimenda, quia temporale pro spirituali permutari non potest. cap. exhibita nobis de rerum permutatione, & de facto non est expressa, ergo impetratio est subreptitia, & consequenter nulla.

Dices hic explicauit Pontifici qualitatem Canonicatus, & si non explicauit qualitatem legati; ergo, & si impetratio legati fuisset nulla ex vi permutationis, tamen impetratio Canonicatus debet esse valida.

11 Sed contra est, nam quando plures causæ proponuntur Pōtifici pro aliqua dispensatione, & vtraque est insufficiēs per se sola, tamen integrant vnam causam sufficientem, si aliqua eorum est falsa; corruit dispensatio, quia illis duabus nititur voluntas Principis dispensationis, vt clarè colligitur ex cap. postulasti de rescriptis. Covarruuias lib. primo variarum cap 20. num. 5. Basilius Pontius lib. 8. de matrimonio cap. 17. §. vltimo num. 41. sed in casu nostro proponitur Pontifici permutatio legati pij pro canonicatu, & Canonicatus cū legato pio, & hæc est causa adæquata huius permutationis, ergo si legatum pium non est, corruit tota permutationis dispensatio, quia vna causa inadæquata insufficiens est, & altera falsa, ergo impetratio subreptitia, & consequenter nulla.

12 Quod verò hæc permutatio sit simoniaca, patet: Nam hæc permutatio fuit facta sine voluntate Pontificis, stante quod fuit facta cum ignorantia, quæ antecessit dispensationem, & fuit causa ipsius, quæ ignorantia facit inuoluntarium simpliciter, vt cum Diuo Thoma prima secundæ qu. 6. art. 8. communiter omnes, sed permutatio sine auctoritate superioris est simpliciter simoniaca cap. quæsitum de rerum permutatione, cap. maioribus de præbēdis, vt probaui in primo supposito, & probat Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 37. num. primo. Azor. secūda parte lib. 7. cap. 29. puncto 3. Ferdinandus à Castropalao tom. 2. trac. 13. disp. 6. puncto 3. §. 3. num. primo, ergo permutatio hæc est simoniaca.

Dices, in tali dispensatione fuit voluntas Pontificis, saltem secundum quid, ergo hæc permutatio non fuit simpliciter sine voluntate superioris.

13 Sed contra est, nam voluntas Pontificis fuit, sed cum ignorantia tollens voluntarium simpliciter, & sic talis dispensatio fuit à voluntate, sed non voluntariè, & consequenter fuit dispensatio, sed fuit nulla, cum defecit in causa finali, & idem est non esse, & esse nullam l. duo sunt Titij ff. de testamentaria tutela, ergo talis permutatio fuit simpliciter simoniaca.

14 Confirmatur, nam temporale cum beneficio ecclesiastico permutari non potest cap. exhibita nobis de rerum permutatione, & talis permutans simoniam committit. Azor. tomo 2. lib. 7. cap. 29. quæst. 3. sed hæc est permutatio rei temporalis, quod est legatum non pium, cum beneficio ecclesiastico, ergo talis permutatio simoniaca est.

15 Quod verò Canonicatus vacet patet: Nam Canonicus mortuus est, & per mortem beneficiati, beneficium vacat cap. susceptum de rescriptis in 6. & compermutans superuiuens inhabilis est

Digitized by Google

est ad beneficium: Nam prouisio beneficij per simoniã facta nulla est ipso iure, & simonia impedit acquisitionem illius. can. ea, quæ cum alijs prima q. 3. cap. cum Clericis de pactis verb. spoliatis, extrauag. cum detestabile de simonia in communi, ergo Canonicatus acquisitus per simoniam vacat.

16 Dices, quod hæc sit simonia conuentionalis, & non realis, quia & si completa sit exparte dantis beneficium, tamen non est completa respectu recipientis legatum temporale, ergo collatio non est irrita, & consequenter beneficium non vacat. Nam extrauagans, cum detastabile, est intelligenda de simonia reali, non verò de conuentionali, ita Nauarrus in repetitione cap. finalis de simonia à num. 28. & in cap. si quando de rescriptis exceptione 4. & in manuali cap. 23. à num. 108.

17 Sed contra est. Nam quidquid sit de extrauaganti, cum detestabile, etiam si hæc sit simonia conuentionalis, prouisio, nulla est ex Can. ea, quæ prima q. 3. vbi VRBANVS Secundus in Cõcilio Plant. sic ait, Quidquid ergo vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, irritum esse, & nullas vnquam vires habere cẽsemus, & Clarius ex clausula Bullæ 72. Pij Quarti super reformatione pœnitentiariæ, quã adducit additio summę Bullas Quarãtæ verb. simonia, quæ ait, caueat autem pœnitentiarius, ne in absolutionibus à simonia reali, vel conuentionali, etiam occulta, vnquam cõcedat, vt ipsi simoniaci beneficia super quibus simoniam cõmiserunt, seu pecunias, vel alia pro ijs accepta, vel fructus ex inde post cõmissam simoniam acceptos in totum, vel in partem retinere possint, quin immò in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula, quod vterque ad beneficiũ, super quo fuit commissa simonia perpetuò inhabilis existat &c. vide Garsiam de beneficijs par. 8. cap. primo a num. 8. vsque ad 26.

18 Quod verò legatum hoc nullã vim habeat, patet, nam legatum conditionatum per mortem legatarij, ante mortem legantis omninò expirat l. vnica §. sin autem aliquid C. de Caducis tollendis: sed legatum hoc fuit conditionatũ in beneficium Canonici compermutantis, qui præmortuus est, ergo nullum.

Nec valet dicere, quod legatum hoc caducari non debet, quia est ad pias causas, Sanchez consil. lib. 4. cap. 2. dub. 5. nu. 7. & omnes communiter.

19 Tum quia pium non est, vt ex secundo supposito, tum quia etiam si esset pium, tamen quando de voluntate legantis sumus certi, quod vult nullum esse non adimpleta conditione, etiam ad pias causas nullum est, vt probat Riccius ad Tiraquellum de priuilegijs piæ causæ, priuil. 59. in fine, quia quando sumus certi de veritate, vti est in casu nostro, cessat præsumptio, vt Doctores, quos citaui in secundo supposito, tenent, & ferè omnes communiter.

Confirmatur, quia legatarius non habet ius ad legatum conditionatum, nisi post adimpletam conditionem, l. is cui ff. de auctoribus, & obligationibus, sed conditio apposita in casu nostro adimpleta non est, cum permutatio effectuata sit nulla, & idem est, nõ esse, & esse nullam, vt in dicta l. duo sunt Titij, ergo legatum nullam vim habet, pro vt est inter viuos, si ergo legatum est nullum, onus in ipso appositum etiã nullum est, & consequenter non tenetur legans ad ipsum.

Ex dictis ergo manifestè apparet, dispensationem istam fuisse subreptitiam ob taciturnitatem causæ finalis, & qualitatis beneficij: permutationem fuisse simoniacam, quia fuit permutatio rei temporalis cum spirituali, & fuit facta sine volũtate Pontificis: Canonicatum vacare per mortẽ Canonici, & per incapacitatem superuiuentis permutantis, & legatum nullam vim habere, tum quia per mortem legatarij fit nullum, tum quia conditio adhuc impleta non est.

Digitized by Google

20 Vnum tantum remedium remanet huic permutatori sic simoniacè promoto, si ignoranter hoc fecit, Nempè beneficium regulę de triennali. Si enim ignorabat, talem permutationem esse simoniacam, & per triennium beneficiũ pacificè possedit, potest beneficium retinere, etiam in foro conscientiæ, quia de beneficio habuit titulum coloratũ, vt probat Lessius de Iustitia lib. 2. cap. 25. num. 140. vers. 4. regula &c. in fine. Garsias parte 8. de beneficijs cap. 1. n. 15. & alij apud ipsum.

Si enim talem Canonicatum pacificè possedit per triennium cum titulo colorato, & ignorantia simoniæ, ex vi horum habet legitimam possessionem huius beneficij, & ex vi permutationis, igitur non tenetur ad onus missarum in legato appositum, & legatum remanet merè temporale ad dispositionem legantis.

SVMMARIVM.

Interesse ex mora debentur creditori ex mutuo cum certa die, quando mora intulit huic creditori damnum; secus verò si mora nullum intulit damnum num. 1. 5. & 6.

Interesse non debentur ratione mutui, sed ex noua actione. eod. num.

Mutuum petit tantum hoc ex natura sua, nempè, vt quantum acceptum est, tantundem restituatur cum eadẽ natura, & quãtitate. eod. nu. & nu. 3.

Interesse idem est, ac quantum mea interest, seù quantum mihi abest de meo patrimonio. eod. num.

Damnum dicitur ab ademptione, & quasi diminutione patrimonij. eod. num.

Actio damni illati non est hypotecaria, sed personalis. nu. 2. & nu. 8.

Actio personalis postponitur actioni hypotecariæ. eod. nu.

Actio hypotecaria sequitur rem ipsam, actio verò personalis sequitur personam, & ex persona rem. eod. num.

Mutuum est contractus stricti iuris, non bonæ fidei. nu. 3.

Contractus stricti iuris dicitur ille in quo, non venit, nisi quod strictè exigit natura actionis. eod. nu.

Quando soluitur aliquid pro mutuo, nunquã soluitur ratione mutui, sed ratione noua actionis. eod. num.

Creditor posterior qui inducit creditorem anteriorem ad transigendum, ad finem, vt ipse creditor posterior possit satisfieri in hereditate debitoris communis, ad nullam tenetur restitutionem. num. 4.

Interesse non conuento, quod debetur ratione moræ in mutuo, debetur à die petitionis, seu litis contestatione, sicut in aliis cõtractibus stricti iuris. nu. 5.

In dubio, an damnum sit illatum, dubitans non tenetur ad restitutionem, cum melior sit conditio possidentis. eod. num.

Dies, & pœna adiecta in mutuo interpellant pro homine, non vero dies tantum. nu. 6.

Nemo tenetur ad pœnam conuentionalem in conscientia, nisi post sententiam. eod. num.

In regno semper sunt paratæ emptiones, sed non semper sunt parati ciues ad emendum. nu. 7.

Vsuræ debentur ratione moræ, si mutuans erat paratus emere tempore morę, & emptores, qui emerunt tunc temporis lucrati sunt. eod. num.

Creditor personalis posterior non tenetur restituere creditum sibi solutum creditori anteriori, etiam personali. nu. 8.

Diligentia creditoris posterioris personalis reddit ipsum melioris conditionis creditore anteriori etiam personali. eodem num.

Creditor anterior pro sorte principali intelligitur etiam anterior quoad vsuras, si interesse fuit conuentum. nu. 9.

Qui vtitur iure suo, dolo malo non videtur facere. num. 10.

Media sapiunt naturam finis. eod. num.

Actio personalis anterior postponitur actioni hypotecariæ posteriori. nu. 11.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO VIII.

Quidam creditor hypotecarius posterior videns non habere locum in hæreditate sui debitoris, cũ alter creditor anterior hypotecarius ex mutuo, & adiecto die vellet satisfieri in capitali, & interesse debito ex mora; Procurauit dolo, vt hic creditor anterior transigeretur pro capitali, & interesse remitteret. Reliquum vero hereditatis ipse creditor posterior sibi fecit adiudicari pro suo capitali, & interesse conuento. Quæritur, an talis creditor posterior teneatur ad aliquam restitutionem huic creditori anteriori?

1 PRo responsione. Suppono primò creditori hypothecario anteriori ex mutuo cum certa die deberi interesse ex mora tunc tantum, quando mora intulit damnum huic creditori. Et hoc tam in foro fori, quam in foro conscientiæ: Nam interesse non debetur ex natura mutui, sed ex noua actione, quia mutuum exigit ex natura sua hoc per se tantum, vt quantum acceptum sit, tantundem restituatur cum eadem natura, & quantitate seù cum eadem specie, & qualitate, §. recontrahitur instit. quibus modis recõtrahitur obligatio, l. cum quid ff. si certum petatur, ergo si debetur interesse, debetur per accidens, & ex noua actione, scilicet ratione damni illati. Et hoc idem explicat ipsũ nomen interesse, etenim interesse idem sonat, ac quantum mea interest, idest quantum mihi abest de meo patrimonio quãtũq; lucrari potui, l. si cõmissam, ff. rem ratam haberi. Damnum vero dicitur ab ademptione, & quasi diminutione Patrimonij, l. damnum la seconda ff. de damno infecto; Igitur interesse tunc debetur ex mora, quando ratione huius moræ, vel aliquid de Patrimonio est diminutũ, vel auctum non est. Et ideò quando nullum damnum, seù nulla diminutio in Patrimonio mutuantis facta est, interesse neque in foro fori debetur, Afflictus decisione 316. & decisione 20.

2 Suppono secundò, actionem ex damno illato non esse hypothecariam, sed personalem, l. in rem ff. de vendic. Azor. 3. parte lib. 4. cap. 13. vers. Actio est duplex. &c. Quæ actio personalis etiam si prior sit hypothecaria, semper hypothecariæ postponitur, l. eos qui, C. qui potiores in pignore hab. l. pro debito, C. de bonis auctorit. Iudicis possidendis, l. rescriptum ff. de pactis. Azor. loco citato lib. 4. cap. 38. quæsito primo. Nam hypotheca rem ipsam sequitur, cit. l. rescriptum ff. de pactis, l. distractis ff. de pignoribus, l. pignoris. C. de pignoribus. Actio verò personalis sequitur personam, & ex persona rem. Denique creditor hypothecam habens magis sibi consulit, quam creditor personalis, & ideò præferendus. Azor. loco cit. Felicianus de Solis in tractatu de censibus lib. 3. cap. 5. num. 4.

3 Suppono tertiò, mutuum esse contractum stricti iuris, non verò bonæ fidei. ita Azor. loco cit. lib. 6. cap. 20. & communis. Nam si contractus stricti iuris dicuntur illi, in quibus non venit, nisi quod strictè exigit natura actionis, gl. in §. actionum autem instit. de actionibus; Actio mutui per se exigit tantundem, quantum mutuatum fuit secundum speciem, & bonitatem, vt supra dixi ex l. cum quid ff. si certum petatur, ergo contractus mutui est stricti iuris. Quod verò aliquando soluatur aliquid pro mutuo, hoc non prouenit per se à natura mutui, vt dixi, sed à noua actione, nempè à lucro cessante, vel damno emergente, Less. lib. 2. cap. 20. dub. 10. & 11. & communiter omnes. His positis

4 Respondeo, talem creditorem hypothecarium posteriorem dolo inducentem creditorem anteriorem ad transigendum, vt supra, & cætera bona hæreditatis

Digitized by Google

ditatis debitoris facientem sibi adiudicari pro suo interesse conuento, & capitali, ad nullam teneri restitutionē.

5 Probatur primò, quia si hic creditor posterior teneretur ad aliquid creditori illi anteriori teneretur ratione interesse debiti ex mora, cum sit satisfactus pro capitali, sed pro interesse non tenetur, ergo simpliciter non tenetur. Minor patet, nā interesse quod nō est conuentū, sed debetur ratione morę in mutuo, non debetur, nisi à die petitionis, seù litis contestatione, quod patet. Tum quia actio mutui est actio stricti iuris, vt ex tertio supposito, & in actionibus stricti iuris veniunt vsuræ à die litis contestatæ, lege vulgo ff. de vsuris, vbi in Rub. hæc habes, In actionibus stricti iuris veniunt vsuræ à tempore litis cōtestatæ, idem habetur in l. quia tantundem ff. de negotijs gestis l. 3. C. de vsuris gl. in §. actionum autem institutionibus de actionibus. Tum quia vsuræ ratione moræ non debentur, nisi mora damnum inferat mutuanti, vt in primo supposito. Et in dubio, an damnum sit illatum, nemo tenetur ad restitutionem, cum melior sit conditio possidentis. Filluccius tom. 2. tractatu 21. cap. 4. numero 167. Rebellius prima parte lib. 2. q. 14. sectione 2. Emanuel Sà verb. rest. n. 5. Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 4. in fine & in gl. litera B. si ergo sumus in dubio, an talis mora damnum intulerit mutuanti, ad nullā tenetur restitutionem.

6 Nec dicas primò, quod sit adiectus terminus restitutionis in casu nostro, & dies interpellet pro homine, l. magnā C. de contrah. vel com. stip. & consequenter interesse videtur petitum à die termini.

Quia contra est: Nam lex illa non solum requirit diē, sed etiam pœnam, ibi enim hæc habes, Magnam, &c. Sancimus, vt si quis certo tempore facturum se aliquid, vel daturū stipuletur, vel quæ stipulator voluit promiserit, & adijecerit, quod si statuto tempore minimè hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit: sciat minimè se posse debitor ad euitandam pœnam adijcere, quod nullum eum admonuit, sed etiam citra vllā admonitionem eidem pœnę pro stipulationis tenore fiet obnoxius, &c. Ita Antonius Faber. in suo Codice lib. 8. tit. 26. de contrah. vel com. stip. in def. 6. At in casu nostro nulla fuit adiecta pœna. Et etiam si adiecta fuisset, ad illam non teneretur in cōscientia, nisi post sententiam, cum sit pęna conuentionalis. Vasquez p. 2. tom. 2. disp. 173. cap. 1. Less. lib. 2. cap. 20. dubio 15. num. 136. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. nu. 11. imò simpliciter non tenetur ad pœnā ratione moræ, nisi damnum fuerit illatum, l. cum allegas C. de vsuris Aflict. decis. 135. Theodorus allegat. 33. à numero 3.

Nec dicas secundò, quod in Regno semper sunt paratæ emptiones, & sic semper damnum infertur ratione moræ.

7 Quia contra est. Nam, & si sint paratæ emptiones, non tamen semper mutuans est paratus ad emēdum, & dato, quod sit paratus ad emendum, debet constare, quod mercatores similes durante illa mora lucrati sint, vt optimè Carleual. tom. 2. de Iudicijs lib. 1. tit. 3. disp. 8. num. 103. & 102. Non solum enim debet constare, mutuantem fuisse paratum ad emendum ad hoc, vt vsuræ debeantur ratione moræ, sed etiam lucrum debet esse certum, ita Aflic. decis. 20. num. 2. ex Paulo de Castro in l. cum vtique §. nunc de officijs ff. de eò quod certo loco per textum in l. quemadmodum §. si nauis ff. ad l. Aquiliam, & l. naturalem §. 1. in fine de acquirendo rerum Dominio.

7 Probatur secundò, quia actio, quæ competit huic creditori anteriori pro interesse, est actio personalis, & non hypothecaria, vt ex secundo supposito, cum sit actio damni illati, vt dixi, sed solutio facta creditori posteriori personali est tuta in cōscientia. Nec tenetur cre-

Digitized by Google

creditor posterior personalis creditori anteriori restituere suum creditum sibi solutum, maximè si bona fide, vel de mana Iudicis accepit. Rebellius p.p. lib. 2. q. 19. num. 16. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 5. n. 39. Vasquez de restitutione cap. 21. dub. 5. n. 108. Bonacina de restitutione disp. prima qu. 8. puncto 2. nu. 20. Diligentia enim creditoris personalis posterioris facit ipsum melioris conditionis, vt colligitur ex l. Pupillus ff. quæ in fraudem creditorum. igitur talis creditor posterior nihil tenetur restituere creditori anteriori. Nam non tenetur de acceptis ratione interesse. Nam hoc, & si hypothecam non haberet, quod non concedo ex dicendis, sed haberet actionem personalem tantum, sicut habet interesse creditoris anterioris, adhuc non teneretur, quia in actione personali nō datur prius, & posterius, l. prima ff. de separationibus, l. priuilegia ff. de priuilegijs creditorum, & ibi gl. Azor. loco cit. lib. 4. cap. 38. q. 3. Et vt ex Rebellio Less. & alijs dixi supra, creditor diligentior præferatur.

9 Nec dicas primò, Vulgatam esse regulam, quod creditor anterior pro sorte principali intelligitur etiam pro vsuris, l. Lutius ff. qui potiores in pignore habeantur. Nam textus ille loquitur de interesse conuento, non verò de interesse debito ex mora, ibi enim hæc habes. Lutius Tit. pecuniam mutuam dedit sub vsuris &c. ergo nō gratis, sed sub vsuris, ita Antonius Faber lib. 8. tit. 26. definitione 8. nu. 5. C. qui potiores in pignore habeantur.

Nec dicas secundò, quod creditor anterior est dolo inductus à creditore posteriore ad transigendum. Nam cōtra est.

10 Quia creditor posterior vsus est iure suo pro recuperatione suorum bonorū, & qui vtitur iure suo, dolo malo non videtur facere, l. nullus ff. de regulis iuris.

Adde, dolum hunc non esse contra Iustitiam, quia finis huius doli est recuperatio crediti, quæ recuperatio iusta est, vt dixi, ergo dolus hic cum sit ad finem iustum non potest esse contra iustitiam. Media enim sapiunt naturam finis.

11 Probatur tertiò, quia creditor hypothecarius posterior, cui debetur interesse ex conuentione, est prior creditore anteriori hypothecario, respectu interesse debiti ratione moræ: nàm actio creditoris anterioris ex mora tantum est actio personalis, vt dixi. Actio vero, quæ competit creditori hypothecario posteriori pro interesse conuento, est actio hypothecaria, sicut actio capitalis l. Lutius ff. qui potiores in pignore habeantur, sed actio personalis postponitur actioni hypothecariæ, vt ex secundo supposito, ergo adiudicatio facta huic creditori posteriori est iusta, ergo & si ex dolo induxit ad transigendum, dolus ille, non fuit contra Iustitiam.

Concludo igitur, talem creditorem hypothecarium posteriorem inducentem dolo creditorem hypothecarium anteriorem ad transigendum pro capitali, & ad remittendum interesse debitum ex mora ad nullam teneri restitutionem.

SVMMARIVM

Quando delictum committi non potest sine socijs, vel est contrà bonum publicum, tenetur iudex interrogare de socijs. nu. 1.

Assassinus dicitur ille, qui occidit christianum pretio mandat alteri, siue infideli, siue christiano. nu. 2.

Et si assassinus qui mandat pretio christiano, vt christianum occidat, non incurrat pœnā excommunicationis, tamen incurrit alias pœnas contra assassinos impositas. nu. 3.

Mandans, & mandatarius in materia assassinij sunt eadem pœna puniendi. nu. 4.

Ex vulgi interpretatione magis dicitur assassinus mandatarius, quam mandans. eod. num.

Pœna magis debentur mandatario, quam mandanti in materia assassinij. eod. num.

Assas-

Assassinus conuictus nō potest excusare cōplices, si de illis à iudice legitimè interrogetur. n. 5.

Quando agitur de bono publico vnusquisque tenetur non solum testificari, sed etiam accusare delinquentem. eod. num.

Assassinium est delictum contra bonum publicum. nu. 6.

Assassinus dicitur publicus hostis. eod. n. & est diffidatus à lege eod. num.

Quod delictum sit, vel non sit contra bonum publicum, habetur ab obiecto actus peccaminosi. Nam si obiectum actus est malum particulare, delictum non dicitur contra bonum publicum, si autem obiectū actus est commune malum, delictum dicitur contra bonum publicum. nu. 7.

Mendacium non est contra bonum publicum, Hæresis vero est contra bonum publicum. eod. num.

Assassinus non habet personam particularem pro obiecto, sed est indifferens ad omnes, ad quos mediante pecunia fuerit missus. nu. 8.

Occidere aliquem, vtinimicum amici, non dicitur delictum contra bonum publicum. num. 9.

Delictum assassinii est delictum æquale crimini læsæ maiestatis. nu. 10.

Bonum commune præferendum est bono particulari. nu.

Finis correctionis fraternæ est emendatio. nu. 12.

Iudex habet ius interrogandi testem etiam de delicto emendato, & testis tenentur respondere iudici legitimè interroganti de delicto emendato, quando delictum est contra bonū publicum. eod. num.

Assassinus qui est conuictus, & interrogatus à iudice si nō vult manifestare socios, non potest absolui à confessario. num. 13.

RESOLVTIO IX.

An reus conuictus possit excusare complices in materia assassinij? Et confessarius possit illum absoluere nolentem dicere veritatem?

1 PRo responsione suppono primo, quod quando delictum non potest committi sine socijs, vel est contra bonum publicum, potest Iudex interrogare reum de socijs, immò debet. ita omnes Doctores communiter.

2 Suppono secundò nomine Assassini intelligi illum, qui aliquem Christianum occidi pretio mandat alteri, siue infideli, siue Christiano, ita adest consuetudo approbata, teste Aretino cons. 136. post num. 17. Plaza lib. 1. delic. cap. 19. num. 2. Viuio lib. communiū opinionum in verbo Assassinij omnes, Capycio decis. 155. Gramatico Vot. 8. & 9. Prat. Corradi fol. 237. num. 1. Iulio Claro §. Assassinum pag. mihi 6. vnde pœnæ, quæ pro Assassinio imponuntur, de hoc intelligi debent, vt omnes communiter Doctores.

3 Nec obstat, quod dicit Couarruuias variarum lib. 3. cap. 20. nu. 11. pag. mihi 209. quod mandans Christiano Christianum occidi pretio non incurrit in excommunicationem positam in cap. 1. de homicidio in 6. Neque in alias pœnas ibi expressas, cum non loquatur Canon ibi de istis Assassinis. Nam, & si verum sit, quod non incurrat excommunicationem, quia in materia excommunicationis non fit illatio de casu ad casum vt omnes Doctores in materia de censuris; tamen incurrit in alias pœnas, tum quia consuetudo approbata transtulit illas pœnas ad casum nostrum, tum quia in alijs pœnis fit illatio de casu ad casū Auila de Cēsuris p. 7. disp. 7. dub. 5. Tiraquell. tract. varij prima parte limit. prima n. 160. pag. mihi 16. qui citat Baldū. Sanchez. lib. 3. de matrimonio disp. 42. nu. 4. pag. 339. Suarez lib. 6. de legibus cap. 4. num. 2.

4 Suppono tertiò quod mandans, & mandatarius sunt eadem pœna puniendi, Bartolus in l. non solum §. qui mandato ff. de iniurijs. col. 3. Salic. in lege non ideò minus col. vltima ff. de actus. D. Iodocus in sua practica criminali cap. 43. num. 6. folio mihi 81. à tergo, qui citat gl. in cap. 1. de homicidio in 6. Capycius vbi supra dec. 155. n. 11. in fine, Immo ex vulgi interpretatione

Digitized by Google

tione magis dicitur Assassinus, qui pecuniam recipit ad occidendum, quam qui mandat, & vulgi interpetratio est attẽdẽda, l. cum Delanionis §. Asinam ff. de fundo instructo, & l. labeo ff. de suppellect. legat. & sic pœnæ magis debentur mandatario, quam mandanti, vt benè Capycius supra loco citato. His positis.

5 Respondeo ad casum, nõ posse reum, qui tenetur dicere veritatem, excusare complices in materia assassinij, & ratio est, quia quando agitur de bono publico vnusquisque tenetur non solum testificari, sed accusare delinquentes: sed delictum assassinij est contra bonum publicum. ergo, &c.

Maior patet, quia medicinæ ad malum publicum curandum sunt à quolibet indiuiduo expetendæ, ne communitas deperdatur, sed vindictæ delictorum publicorum sunt medicinæ mali publici, nam earum metu homines cõtinentur, ne commune bonum perturbent, ergo sunt expetendæ, sed quando quis potest succurrere bono communi, tenetur, quod lege naturali compertum est; nam cætera membra corporis, se se obijciunt periculo capitis, ergo, &c. sed hæ vindictæ haberi non possunt, nisi per publicã potestatem, ad quam accusatione crimina deferuntur, ergo quando delictum est contra bonum publicum vnusquisque tenetur talem criminosum accusare, seu denunciare, vt rectè Sot. de tegendo secreto memb. 2. qu. 5. conclus. prima pagina mihi 169. Idem Sotus de Iustitia lib. 5. qu. 5. ar. primo 127. à fronte col. 2. in fine S. Thomas 2. 2. q. 68. Alexander 3. par. q. 42. memb. 1. & omnes Theologi in 4. dist. 39. & Canonistæ in cap. nouiter de iudicijs.

6 Quod Assassinium sit contra bonum publicum, quod erat minor probanda in primò argumento, patet, tum quia Assassinus dicitur publicus Hostis, vt Marsilius in l. prima §. finali de quæst. Carrer. in sua practica criminali pagina mihi 121. Capycius decis. 155. in fine folio mihi 862. & ideo est diffidatus à lege, cap. primo de homicidio in 6. ibi diffidatus. Angelus in consil. 14. incipiente, Nos Carolus per l. 3. §. trasfugas ff. ad l. Corneliam de sicarijs, Capycius vbi supra. Grammaticus in voto 8. num. primo pag. mihi 135. Iulius Clarus §. Assassinus pagina 6. & contra diffidatum notoriè bellum indictum est vt in l. reos, & ibi Cinus C. de quæstion. vt omnes supra dicti Doctores, ergo Assassinus est hostis publicus, & diffidatus à l. & contra ipsum publicum bellum indictum, & delictũ tale etiam est contra bonum publicum.

7 Tum quia ipsa ratio persuadet, nam quod delictum sit contra bonum publicum, vel priuatum habetur ab obiecto actus peccaminosi, nam quando actus habet pro obiecto malum particulare, tunc dicitur delictum priuatum, quando verò habet pro obiecto commune malum, tunc dicitur delictum esse contra bonum commune, sic mendacium pernicioſum, quo fraus ciui extruitur, peccatum priuatum est. Hæresis verò, qua communis religio concutitur, crimen est cum primis publicum; bona proximi furare, delictum priuatum est.

8 Latrones verò qui regias vias obsident, delictum publicum committunt; sed Assassinus non habet personam particularem pro obiecto, sed est indifferens ad omnes, ad quos mediante pecunia fuerit missus. Nam, & si Assassinus determinatum nempè Petrum e.g. occidat, tunc dũ crimen non est ad Petrũ, vt Petrũ, sed ad Petrum, tanquã ad missum mediante pecunia, vnde Petrus materialiter se habet, & sic suũ obiectũ formale, est missio per pecuniã, materiale verò sunt omnes homines, vt benè colligitur ex Soto de Iustitia, & iure lib. 5. q. 5. art. 1. in solutione ad argumentum in priorem conclusionem pag. mihi 129. à tergo col. 2. circa medium, ergo delictum Assassinij est contra bonum publicum.

Dices

Digitized by Google

Dices, si hoc argumentum esset verum, magis probaret, quàm intenderet; Nam hoc etiam dici posset demandatario occidente Petrum v. g. ratione amicitiæ, cum tunc, & si Petrum mandatarius occidat, tamẽ suum obiectum non est Petrus, vt Petrus, sed Petrus, quatenus ad ipsum est missus mediante amicitia ad occidendum. Vnde suum obiectum formale erit missio ratione amicitiæ, materiale verò erunt omnes homines ad quos fuerit missus mediante amicitia, sed tunc delictum non est contra bonum publicum, nec est formaliter Assassinus talis mandatarius, nec est diffidatus, vt volunt omnes supra citati doctores, ergo nulla ratio.

9 Sed contra est. Nam, qui alium occidit ratione amicitiæ, occidit illum, vt inimicum amici, & sic suum obiectum formale erit missio ad occidendum mediante amicitia, materiale verò erit Petrus e. g. vt inimicus amici, & sic non se extẽdit ad omnes homines, quia nõ omnes sunt inimici amici, meritò ergo non debet dici delictum contra bonum publicum.

10 Ideoquè delictum Assassinij dicitur, quod sit delictum æquale crimini lesæ maiestatis Thomas Grammaticus voto 9. pag. mihi 137. Carrerius supra qui citant Felinum in tractatu conatus sexta fallentia. Marsil. in consil. 19. Geminian. in cap. pro humanis de homicidio in 6. quia in latitudine sui obiecti etiam Princeps includitur.

Ergo cum Assassinium sit contra bonum publicum, reus, qui tenetur dicere veritatem in materia Assassinij nõ potest excusare socios, sed tenetur illos manifestare.

Nec obstat fama complicum.

11 Quia bonum commune præferendum est bono particulari, qualis est fama socij delinquentis, vt benè Soto de tegendo secreto memb. 2. q. 4. concluſ. 2. pag. mihi 134. in principio. D. Thomas 2. 2. q. 37. art. 7. & Theologi omnes in 4. dist. 19. & iuris consult. in cap. nouiter de Iudicijs, & cap. si peccauerit causa secunda q. 1.

Nec obstat correctio fraterna.

12 Nam finis correctionis fraternæ est emendatio. & Iudex habet ius interrogandi testem etiam de delicto emendato, & testes tenẽtur respondere Iudici interroganti legitimè etiam de delicto emendato, quando est contra bonum publicum, quia tunc Iudex interrogat ad puniendum, & vt exemplo illorum homines detineantur, ne commune bonũ perturbent, ita Sotus vbi supra q. 6. concluſ. 5. in fine folio mihi 217. Toletus in summa lib. 5. cap. 6. n. 1. versſ. 2. regula pag. mihi 495. Immo quando de hoc infamia præcessit contra socios, vel iudicia probata, vel testis semiplenè probans illud in iudicio deposuerit, omnes communiter fatentur, teneri tales deponere cõtra delinquentem emendatum, vt benè colligitur ex Sanchez conſ. mor. lib. 6. cap. 5. dub. 5. num. 3. pag. mihi 230. cum vero in casu nostro cesset finis correctionis, quæ est emendatio, cessare debet, & correctio ipsa cap. cum cessante de appellationibus. Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. documento tertiò, Medina q. 90. ar. 2. ad quartum, Sylvester verb. lex. q. 9. §. 8. Suarez lib. 6. de legibus cap. 9. num. 5. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 21. num. 7.

13 Hinc est quòd confessarij reijcere debent, tanquam impenitentes illos, qui nolunt socios manifestare in materia assassinij coram iudice legitimè interrogante, ita Rodriquez tom. 2. quæstionum canonicarum, & regularium q. 19. art. 10. pag. 53. qui citat Nauarrum, & Alcocer in summa cap. 26. fol. 86.

Ex dictis ergo patet decisio casus, quod scilicet reus, qui tenetur dicere veritatem, non potest excusare complices in materia assassinij, & si non vult dicere veritatem, non possunt Confessarij ipsum absoluere; Doctores verò, qui videntur oppositũ dicere, loquuntur de delicto priuato, non de delicto con-

Digitized by Google

contra bonum publicum, vt patebit accuratè legenti.

SVMMARIVM.

Aduocatus dicitur ille, qui in iudicio apud illum, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel desiderio alterius contradicit. nu. 1.

Aduocatus tenetur ad restitutionem ratione damni illati. nu. 2.

Officium aduocati sit in gratiam alterius aduocatus proponit tantum iustitiam, vel iniustitiam. eod. num.

Restitutio ex damno illato nunquam debetur in conscientia, nisi damnificatio sit peccatū mortale, prout est à tali damnificante. nu. 3 & nu. 15.

Qui tenetur ad restitutionem ex damno illato, tenetur ad restitutionem quia consumpsit iniustè bona proximi. num. 4.

Consumptio rei alienæ bona fide inuito domino, non obligat ad restitutionem, nisi ad id, in quo consumptor factus est ditior. nu. 5.

Qui consumit bona fide, rem alienā, de re tali habuit iustū titulum præsumptum. nu. 6.

Homo liber habet ius super proprios actus liberos, quos videt esse honestos, magis quam dominus præsumptus super bona à se possessa. nu. 7.

Libertas est à natura. eod. num.

Libertas est dominium, & potestas sui actus ad oppositа. eod. num.

Aliud est bona fide consumere, aliud sine culpa consumere bona aliena. num. 8.

Qui ad tuendam propriam vitam fugiendo conculcat segetes alienas ad nullam tenetur restitutionem. eod. num.

Qui se ipsum occidit facit actum cōtra Deum, contra se ipsum, & contra rempublicam, eod. num.

Qui tuetur propiam vitam satisfacit religioni, iustitiæ, & pietati. nu. 9.

Quando concurrunt duo præcepta ineuitabilia, fortius seruandum est. eod. num.

Nec iudex, nec carnifex tenetur ad restitutionem, dum occidunt delinquentem, quia faciunt, quod debent. eod. num.

Nulla culpa obligat ad restitutionem, nisi sit contra iustitiam formaliter. nu. 10.

Possidens bona fide rem alienam, quando venit in malam fidem tenetur ad restitutionē ratione iniustæ retentionis, non ratione acceptionis. nu. 11.

Qui credit auferre bona aliena, & aufert sua, hic facit formaliter contra iustitiam. n. 12. Non verò tenetur ad restitutionem ex defectu materiæ, deficit enim materia alienæ restituenda. eod. num.

Qui dormiendo, vel coactè decimas, vel aliud debitum soluit, & si iustitia non satisfaciat, tamē non tenetur ad restitutionē ex defectu materia. eod. num.

Actio iusta secundum æstimationem agentis, etsi iniusta in se, non est peccaminosa formaliter, & consequenter si agens bona sic accepta consumpsit, ad nullam tenetur restitutionem. nu. 13.

Homo habet liberam dispositionem de actibus humanis à lege non prohibitis. nu. 14.

Aduocatus, qui bona fide damnū intulit alteri, ad nullam tenetur restitutionem. num. 15.

Etsi creditor hypotecarius posterior facit sibi adiudicare bona debita creditori hypotecario anteriori, huic nullum damnum infert. num. 16.

Creditori anteriori hypotecario semper competit actio in bonis sibi hypotecatis, siue sint alienata bona fide, siue mala fide. eod. num.

RESOLVTIO X.

Quidam Aduocatus patrocinatus est causam cuiusdam credens esse iustam; sed finita lite, & possessione accepta aduertit, suum clientem esse posteriorem, & si hypothecarium alteri creditori etiam hypothecario. Quæritur, an talis Aduocatus teneatur ad aliquam restitutionem?

1 PRo responsione suppono primò, in hoc casu nomine Aduocati intelligi eum, qui in iudicio apud illū, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit, sic habetur in l. prima ff. de postulando cap. infames 3. q. 7. Abbas in cap. 1. de postulando Azor.

Digitized by Google

tertia par. lib. 13. cap. 21. in principio.

2 Suppono secundò, Aduocatum teneri ad restitutionem ratione damni illati, nam quum officium aduocati sit in gratiam alterius, non tenetur ratione rei acceptæ, quia nunquam bona clientis, vel partis aduersæ possedit. Neq; ex iniusta acceptione, quia Aduocatus proponit tantum iustitiam, vel iniustitiam, vndè est causa, vt alter iniustè patiatur damnum; ita Azor. loco citato, vers. dub. 5. &c. Syluester verb. Aduocatus q. 24. & omnes communiter.

3 Suppono tertiò, restitutionem ex damno illato non oriri in conscientia, nisi damnum sit mortaliter peccaminosum, prout est à tali damnificante; vnde qui graue damnum infert, si non peccat mortaliter, non tenetur ad restitutionem, sic Naldus in summa verb. damnum, n. 7. Toletus lib. 5. cap. 18. vers. primus, & Sà verb. culpa num. 2. Lessius lib. 2. cap. 7. nu. 26. Layman. lib. 3. tract. 3. par. prima cap. 6. & pro hac sententia citat Innocentium in cap. sicuti dignum §. eos de homicidio, Abbatem in cap. si aggressus de Iniurijs. Syluestrum verb. restitutio 2. dist. 12. Azor. tom. 3. lib. 4. cap. 7. Molinam disp. 98. num. 6. & suppositum hoc.

4 Probatur primò, quia si teneretur ad restitutionē qui graue damnum infert sine culpa, teneretur tantum ex eo, quia consumpsit bona proximi iniustè. Nam D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 4. in corpore dicit, quod quicumq; damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat, ergo qui graue damnum infert sine culpa simpliciter

5 non tenetur ad restitutionem. Consequentia patet, nam consumptio rei alienæ inuito Domino bona fide facta non obligat ad restitutionem, nisi in quo factus est ditior. Ita habetur in l. item veniunt 22. §. præter hæc ff. de petitione hæreditatis l. si rem, & pretiū ff. eod. & est omnium dicentiū non bonæ fidei possessorem consumentem bona alterius non teneri ad restitutionem. Ità Sanchez in summa lib. 1. cap. 23. sed qui damnum dat sine culpa, consumit bona alterius, dum est in bona fide, & in nullo fit ditior, vt supponitur, ergo qui damnum dat sine culpa ad nullam tenetur restitutionem.

6 Nec dicas primò, quod ille, qui possidet, & cōsumit bona fide rem alienam, habet iustum titulum præsumptum, & ideò si consumit non tenetur, quem titulum non habet, qui damnum dat.

Quia contrà est, nam titulus præsumptus non facit, verum dominum rei non esse damnificatum, & quod minus non habeat, quàm debet habere causa possidentis, & consumentis bona fide, quæ est ratio dominij formalis ex D. Thoma loc. citato, ergo vtrobique par ratio.

7 Addo, hominem liberum habere ius super proprios actus liberos, quos videt esse honestos magis, quàm Dominus præsumptus super bona ab ipso possessa. Nam libertas circa actus liberos est à natura; Et libertas ex D. Thoma prima parte q. 83. ar. 3. & 4. est Dominium, & potestas sui actus ad oppositā: at ius super bona est de iure gentium, à quo meum, & tuum introductum est; ergo quando homo liber videt actionem esse honestam in se, & non damnosam proximo, habet ius à natura liberè illam faciendi, quod verò ex hac actione sequatur damnum alteri, malum hoc non est præuisum ab operante, & consequenter neq; volitū; hinc est, quòd sicut qui habet titulum præsumptum, & cōsumit bona alterius cum tali titulo bona fide, ad nullam tenetur restitutionem; ita, qui facit actionem præsumptiuè honestam, si ex hac consumitur res aliena, & sequitur damnum, ad nullam tenetur restitutionem.

8 Nec dicas secundò, quòd aliud est in bona fide consumere, & aliud sine cul-

Digitized by Google

culpa cõsumere; Quia si quis equitãdo insidiatus à suo inimico segetes alienas conculcat, quũ nõ possit aliter euitare, hic sine culpa conculcat, seu destruit, sed mala fide, nam videt segetes, quas cõculcat, esse alienas, & tamen tenetur resarcire tale damnum, & si sine culpa.

Quia contra est; Nam sic fugiens ad vitam tuendam sine culpa, bona fide, & iusto titulo conculcat, quod ius habet à natura ad propriam vitam tuendam; tunc enim omnia sunt communia. Imò per talem fugam hic satisfacit Iustitiæ erga Rempublicam; pietati erga se ipsum, & religioni erga Deum; Nam, inquit D. Thomas tertia parte quæst. 47. ad 2: & 3. quod, qui se ipsum occidit facit contra rempublicam, contra Deum, & contra seipsum. Quum ergo per talem fugam hic satisfaciat Iustitiæ, pietati, & religioni, non potest talis fuga esse oppositа Iustitiæ, & consequenter, qui illam arripit ad nullam potest teneri restitutionem.

9 Addo, quod cum hic per talem fugam satisfaciat Iustitiæ, pietati, & religioni, & per non conculcationem satisfaciat tantum Iustitiæ, tenetur hic conculcare segetes alienas ad propriã vitam tuendam; Nam quando concurrunt duo præcepta eodem tempore, & seruari ambo nequeunt, fortius seruandum est, omisso alio, vt optimè Fagundez 1. ecclesiæ præcept. lib. 2. c. 9. nu. 7. Fortius enim est præceptũ Iustitiæ, religionis, & pietatis, quàm Iustitiæ solũ, ergo hic tenetur fugere, quũ ergò teneatur, non facit actionem voluntariã, & si à voluntate, & consequenter fecit, quod debuit, ergo ad nullam tenetur restitutionem. Non enim Iudex præcipiendo, nec carnifex occidendo delinquentem tenẽtur ad restitutionem, quia faciunt quod debent.

10 Probatur secundò, quia nulla culpa quamuis grauissima inducit obligationem restituendi, nisi sit contra Iustitiã formaliter. Nam hæc per se facit, vt proximus minus habeat, quam debeat habere, ità Sanchez loco citato, & ferè communiter, & aliter teneretur ad restitutionem bonæ fidei possessor, si in tali bona fide dilapidaret bona illa, quia talis dilapidatio esset tantum materialiter contra Iustitiam, & si formaliter esset prodigalitas: sic etiam teneretur ad restitutionem inuitatus, & comedens bona fide bona furtim sublata; nam omnes istæ actiones sunt materialiter tantum contrà Iustitiam &c. sed in illa damnificatione nulla fuit culpa formaliter, ergo damnificatio sine culpa nullo modo formaliter contradicit Iustitiæ, ergo per illam damnificationem nullo modo tenetur quis ad restitutionem. Vtraquè consequentia patet, nam quando aliqua actio fit formaliter contrà Iustitiam, vel charitatem præsupponẽdum est prius, talem actionem esse culpam formaliter. Quia culpa est ratio generica, quæ contrahitur ab actu oppositо Iustitiæ, vel charitati, sed illa damnificatio deficit in ratione generica, quum non sit culpa, ergò non potest contrahi à ratione specifica, scilicet ab oppositо Iustitiæ, vel charitati.

Nec dicas primò, aliquam actionem non esse formaliter contrà Iustitiam, & tamen obligare ad restitutionem, vt v. g. si quis rem alienam accipit, credens esse suam, illa acceptio non fuit contra Iustitiam formaliter, sed tantùm materialiter, & tamen talis tenetur ad restitutionem; ergo &c.

11 Quia contra est, Nam qui accipit rem alienam credens esse suam, tenetur ad restitutionem, quando venit in malam fidem, non ratione iniustæ acceptionis, nàm hæc fuit materialiter tantum contrà Iustitiam; sed ratione iniustæ retentionis, quæ retentio, posita mala fide, est formaliter, & materialiter cõtrà Iustitiam, vnde cum res extet, & accipiens non possit rem illam iustè retinere, tenetur restituere proprio Domino. At cum in damno illato sine culpa res non extet, non tenetur damnifi-

Digitized by Google

cans ex actione damnificatiua dum non fecit formaliter contrà Iustitiam: Non ex retentione, seu re accepta, quia res non extat: ergò simpliciter non tenetur, & sic retorqueo argumentum; Qui accipit rem alienam, & credit esse suam, non tenetur ex hac acceptione, quia hæc acceptio est tantum materialiter contrà Iustitiam, ergo qui damnũ dat sine culpa, non tenetur ad restitutionem, quia tale damnum non est formaliter contrà Iustitiam.

11 Nec dicas secundo, quod, qui credit auferre bona aliena, & aufert sua, hic facit formaliter contrà iustitiam, & tamen non tenetur ad restitutionem, ergo &c.

Quia contrà est. Nam talis non tenetur ad restitutionem per accidens, & ex defectu materiæ, non enim adest quid restituatur, quum res ablata aliena non sit, sicut qui coactè, vel dormiẽdo decimas, vel debitum soluit, hic nõ satisfacit iustitiæ, & tamen amplius nõ tenetur ad restitutionem ex defectu materiæ, nam quantum est ex vi talis actionis teneretur ad restitutionem, si materia non defecisset.

Confirmatur primò, quia quando quis iniustè materialiter, sed iustè formaliter, idest secundum suam æstimationem rem alienam accipit, & postea bona fide consumpsit non tenetur ad
13 restitutionem, quando venit in malam fidem ex dictis: ergo quando quis damnificat per actionem iniustam materialiter, & iustam formaliter, idest secundum suam æstimationem non tenetur ad restitutionem, quum non sit maior ratio de vno, quàm de altero: sed qui damnificat sine culpa facit actionem iustã formaliter. i. secũdũ suã estimationẽ, & si iniustã materialiter. Dãnũ n. cum non sit intentum refundit huic actioni malitiam materialem, & præter intentionem agentis, ergo qui damnificat sine culpa ad nullam tenetur restitutionem.

14 Confirmatur secundò, quia de omnibus actibus humanis non prohibitis à lege, homo habet liberam dispositionem non peccaminosam, à lege enim peccatum est, sed hic actus damnificãs materialiter tantum prout præscindẽs à damno, nullã habet prohibitionem, quum sit actus liber, & honestus formaliter, & non præuiso damno, nec pro vt damnificans sit volitus; nec est prohibitus à lege positiua, vt supponitur, ergo hæc actio dãnificans non est actus oppositus iustitiæ formaliter, ergo non potest obligare ad restitutionem, quum restitutio oriatur ab actu formaliter contra iustitiã, ex dictis. His suppositis.

15 Respondeo ad casum propositum, talem Aduocatum ad nullam teneri restitutionem.

Probatur primò, quia nemo tenetur ad restitutionem ex damno illato, nisi damnum sit culpabile, vt ex tertio suppositorum sed talis Aduocatus si teneretur, teneretur ex dãno illato, vt ex secundo suppositorum, ergo talis aduocatus non tenetur ad restitutionem, quia intulit damnum sine culpa.

16 Probatur secundò, quia talis aduocatus nullum damnum intulit creditori hypothecario anteriori; Nam per talem adiudicationem nullo modo fuit læsum ius ipsius creditoris anterioris. Anterioritas enim non amittitur, & si res sit posteriori adiudicata, & sicut poterat repetere bona sibi specialiter hypothecata de manu sui debitoris, ita ẽt potest repetere eadẽ bona de manu creditoris posterioris; nàm quãdo quis habet hypothecã, & reperitur alienata, siue in fraudẽ, siue sine fraude, sẽper competit actio hypothecaria contrà possessorem. ita de Franchis decis. 106. num. 10. per l. debitor ff. de his, quæ in fraudem Creditorum. Neque res est deteriorata in manu creditoris posterioris: si igitur hic Aduocatus in nullo læsit creditorem hypothecarium anteriorem, ad nullam tenetur restitutionem.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Mutuatarius tenetur restituere mutuũ de moneta currente tempore solutionis, non tempore acceptionis mutui. num. 1.

In moneta tria considerãtur, nempè massa, seù materia, pretium massæ, & æstimatio extrinseca, seu valor imposititicus. nu. 2.

Moneta secundum massam non dicitur moneta, sed merx. eod. num.

Pretium massæ, vt merx, est pretium naturale ipsius moneta, quod potest recipere magis, & minus. eod. num.

Valor monetæ prout est merx, est extrinsecus monetæ, prout moneta est. eod. num.

Valor imposititicus monetæ est pretium publicum, & inuariabile, quo appretiantur, & æstimantur omnes res. num. 3. hic valor dicitur extrinsecus monetæ, prout massa est, tamen intrinsecus monetæ, prout moneta est. eod. num.

Causa formalis est illa, qua posita, ponitur effectus formalis, & quâ empta emitur effectus formalis, cum effectus formalis sit ipsamet forma communicata. eod num.

Pretium monetæ extrinsecum massæ, & intrinsecum monetæ, quod dicitur pretium imposititicum prouenit à principe, vel à populo, annuente principe. num. 4.

Cum massa diminuta potest esse idem pretium, ac cum massa iusti ponderis. eod. num.

Moneta diminuta currit cum consensu populi, non verò tantum cum consensu Principis. eod. num.

Vsus pecuniæ, commoditas publica esse debet. eod. num.

Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. eod. num.

Mutatio monetæ infert populo maximum dãnum. nu. 5.

Consensus potioris partis regni, censetur consensus totius regni. eod. num.

Princeps potest cum urgenti causa sine consensu populi augere, vel minuere monetam, sed cessante urgentia, seu necessitate, tenetur Princeps recompensare damnum sequutũ ciuibus. eod. num.

In mutuo reddenda est res secundum eandem naturam, & qualitatem. nu. 6.

Mutuum consistit in ijs rebus, quæ numero, põdere, & mensura constant. eod. num.

Mutuum differt à permutatione, quia in permutatione traditur res diuersæ naturæ, & qualitatis; differt à venditione, quia in venditione traditur pecunia pro re; differt à cõmodato, quia in commodato, traditur eadẽ res indiuidualiter gratis. differt à locato, quia in locato traditur eadem res indiuidualiter, non gratis. differt à deposito, quia in deposito traditur etiam eadem res indiuidualiter. eod. num.

Natura in contractu mutui idem est, ac species. eod. num.

Pragmatica non habet vim, nisi post solemnẽ promulgationem. nu. 7.

Solutio facta de moneta reprobata non extinguit debitum. nu. 8.

Qui mutuo accepit vinum, & tempore solutionis mutui vinum non habet, tenetur ad pretium vini currens tempore solutionis, nõ tempore acceptionis mutui. nu. 9.

Qui mutuo accepit vinum, tenetur restituere vinum, etsi tempore solutionis vinum sit melioratum. nu. 10.

Si mutuo quis accepit vinum vetus, mutuo non satisfacit, si restituat vinum nouum. nu. 11.

Quando mutuantur nummi, non mutuantur prout sunt merx, sed prout sunt pretium mercis. nu. 12.

Canonici tenentur soluere pensionem de moneta currente tempore, quo fuit imposita pensio, non currente solutionis. nu. 13.

Pensio bonorum ecclesiasticorum respicit redditum ipsorum bonorum. nu. 14. crescit pensio ecclesiastica si bona crescunt, non vero si augentur industria pensionarij. decrescit etiam pensio ecclesiastica si bona ecclesiastica decrescunt. eod. num.

Res mutuata crescit, & decrescit mutuatario. eod. num.

Moneta debet habere æstimationem publicam, i. communi consensu omnium gentium cõstitutam, & perpetuam. eod. num.

Æstimatio publica requisita in moneta desumitur non ex quantitate ponderis, sed ex quantitate discreta, seù ex numero monetæ. num. 15.

Publicum dicitur non solum quod commune est omnibus populis, & gentibus, sed etiam pu-

Digitized by Google

publicum dicitur, quod commune est gentibus huius populi tantum. num. 16. publicum dicitur quasi populicum. i. quod cuilibet de populo competit. eodem num.

Perpetuum dicitur, quod durat per totam vitam, vel quod durat per spatium triginta, vel quadraginta annorum, vel quod sine temporis præfinitione est. nu. 17.

In moneta est de iure gentium, quod sit pretiū omnium rerum. non verò valutatio, hæc. n. est à iure positiuo, scilicet Regni. eod. num.

D. Paulus ad Thessalon. 4. dum dicit. Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, &c. loquitur de fraude theori. i. de adulterio, non de fraude auaritiæ. num. 18.

Qui vtitur iure suo, dolo malo non videtur agere, etiam si ex tali vsu sequatur damnū alteri. nu. 19.

Si mutuans ex eo, quia non manifestauit futuram mutationem monetæ, teneretur ad restitutionē mutuatario, teneretur etiā ad restitutionē omnibus, apud quos postea moneta illa diminuta inueniretur, si ipsos certiorare potuit, & non certiorauit. nu. 20.

Et teneretur etiam restituere tam si ignoranter, quam si scienter mutuaret. eod. num.

Mutuatarius apud quem inuenitur moneta diminuta, in mutatione monetarum, damnum recipit principaliter à Rege, & populo monetam mutante, & non à mutuatario. eod. num.

Vendens rem vitio occulto affectam non tenetur vitium manifestare, nisi ex tali vitio sequatur, vel periculum, vel damnum emptori. nu. 21.

Vitium monetæ diminutæ est diminutio patens, & consequenter non est vitium occultum, sed manifestum. nu. 22.

Voluntas Principis, & si quid intrinsecum sit monetæ, tamen vitium monetæ non est. num. 23.

Si mutuans constringeret mutuatarium ad nō restituendum mutuum, nisi post publicationē pragmaticæ, vtique reciperet aliquid vltra sortem. nu. 24.

Damnum, quod sentit mutuatarius ob mutationem monetæ, infertur potius à propria negligentia quam à mutuante. nu. 25.

RESOLVTIO XI.

Quidam cum sciat pragmaticam fore promulgandam de mutatione monetarum in melius, mutuauit alteri ignoranti, & mutuo petenti centum, & talem de pragmatica non certiorauit; si tempore solutionis mutui pragmatica sit promulgata. Quæritur, an mutuatarius teneatur restituere illa centum de moneta antiqua tempore mutui, an de moneta in melius redacta tempore solutionis?

1 REspōdeo, teneri mutuatarium ad centum de moneta in melius redacta currente tempore solutionis mutui: ita videtur sentire Azorius tertia parte libro septimo capite decimo quęsito tertio; sentit simpliciter Bonacina de contractibus disp. tertia quæst. secunda punct. quinto num. decimoseptimo, Diana parte prima resolutionum moralium tractatu octauo resolutione 25.

Pro Probatione.

2 Suppono primò, in moneta considerari posse massam, seù materiam, pretium massæ, & æstimationem extrinsecam, seù valorem imposititi ū, & extrinsecum.

Massa, seù materia est aurum, argentū, æs, &c. & moneta secundum massam non est moneta, sed merx, seù res pretio æstimabilis.

Pretium massæ, seù monetæ, vt merx est, est pretium naturale resultās ex ipsa massa, quod potest suscipere magis, & minus, secundum abundantiā metalli, vel secundū pondus, vel secūdum qualitatem metalli, qui valor, & si sit intrinsecus monetæ, provt est massa, est extrinsecus tamē monetæ, vt moneta est, quia, & si moneta efficiatur ex vilissimo metallo, pōt tamē valutari à Principe, ac si esset ex metallo pretiosissimo, si Princeps tali monetæ det cursum l.

2. C.

2. C. de falsa moneta. Et scimus in anno 1621. dum erat Prorex huius Regni Neapolitani, Eminentissimus Cardinalis Zabata, pragmaticam fuisse promulgatam in hoc eodem Regno Neapolitano, quod moneta de argento diminuta pro quarta parte æstimaretur vt moneta integra, & sic fuit æstimata.

3 Valor verò imposititius, seù æstimatio extrinseca monetæ est pretium publicum, & inuariabile, quo appretiantur, & æstimantur omnes res, Ita Aristoteles 5. ethicorum cap. quinto, & extra. text. in l. prima ff. de contrahenda emptione, & hic ualor, & si sit extrinsecus monetæ, pro vt est massa, est tamen intrinsecus monetæ in esse monetæ. Quod patet, nam ratio formalis est illa, qua posita ponitur effectus formalis, & qua dempta, demitur effectus formalis, quum effectus formalis sit ipsamet forma communicata. Vnde si forma demitur, res illa amplius eadem nõ est, l. Iulianus scribit §. si quis rem fecit ff. ad exibendum, sed posita tali æstimatione in quacumq; massa æris, statim massa illa fit moneta, & si massa sit cuiuscumq; qualitatis, vel quantitatis, & dempta tali æstimatione, statim demitur esse monetæ, & ideò solutio in reprobata moneta fieri nõ potest, & si talis reprobata moneta sit massa, seù merx, seù res pretio estimabilis, l. eleganter §. qui reprobos nũmos ff. de pignoratitia actione, ergo pretiũ publicũ, & imposititicium est ratio formalis intrinseca, & constitutiua monetæ.

4 Suppono secundò, pretium hoc constituens monetam in esse monetæ prouenire à Principe, l. finali C. de veteris numismatis potestate: vel à populo annuente Principe, at tunc pretium potest esse idem, & si massa diminuta sit, colligitur apertè ex cap. quanto de iure iurando; Vbi hæc habes. Quidam Consiliarij tui, imo potius deceptores tuum animum induxerunt (loquitur Pontifex ad Regem Aragonem) vt iurares in requisito assensu Populi vsque ad certum tempus patris tui conseruare monetam, quæ tamen circa mortem eius fuerat legitimo pondere defraudata &c. Vbi vide, quod malum conseruationis monetæ diminutæ consistebat, quia in requisito consensu Populi in Regno conseruabatur à Principe, ergo si cum consensu Populi Princeps monetam illam diminutam conseruasset in Regno, nullum malum cõmisisset, ita docet etiam. D. Thom. seù alius Auctor Opusculi de regimine Principis lib. 2. cap. 13. & ex communi sententia, teste Layman lib. 3. tract. primo part. prima cap. 5. num 7. Et ratio ipsa persuadet, quia pecuniæ vsus, comoditas publica esse debet, & quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, regula est 29. de reg. iuris in 6.

5 Adde, quod permutatione monetarum infertur Populo maximum detrimentum, si ergo populus sponte non consentiat, hoc damnum erit iniustum, sufficit tamen consensus maioris partis magnatũ regni, cũ cõsẽsus maioris partis regni, aut potioris cẽseatur cõsẽsus totius Regni, argumentum ex l. maior ff. ad municipalem, potest tamen Princeps etiam sine consensu populi monetam augere, vel minuere, qnando adest aliqua vrgens causa, seù necessitas; sed tunc cessante necessitate, tenetur Princeps compensare damnum ciuibus illatum, ratione mutationis monetæ, Ita Layman loco citato vers. verum &c. & alij DD. apud ipsum.

6 Suppono tertiò, in mutuo reddendam esse rem eiusdem naturæ, & qualitatis; §. re contrahitur obligatio inst. quibus modis re cõtrahitur obligatio, vbi hæc habes. Mutui autem datio in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero, mensuraue constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro; quas res, aut numerando, aut appetendo, in hoc damus, vt accipientium fiant: & quandoque nobis non eadem res, sed aliæ eiusdem naturæ, & qualitatis reddantur, vnde si redditur res alterius naturæ & qualitatis, dicitur permutatio. Si pecunia proredi-

Digitized by Google

re dicitur venditio, l. prima ff. de rerum permutatione, l. prima ff. de contrahen. emptione, emptio enim, & venditio non fit, nisi cum nummis, vnde & si affinis sit permutationi, tamen ab illa differt, l. Aristo ff. de rerum permutatione; si vero res eadem numero redditur, dicitur comodatum, vel depositum, §. item is instit. quibus modis re contrahitur obligatio. Igitur contractus mutui differt à permutatione, quia in permutatione traditur res alterius naturæ, & quantitatis, differt à venditione, quia in venditione traditur pecunia pro re, differt à comodato, quia in comodato traditur eadem res indiuidualiter gratis, nam si non gratis, erit locatio, §. item is instit. quibus modis re cõtrahitur obligatio. Item mutuum differt à depositio, quia in depositio traditur eadem res indiuidualiter, at in contractu mutui traditur eadem res non indiuidualiter, sed secundum eandem naturam, & qualitatem tãtum. Et quum natura in casu nostro non sit aliud, nisi ratio specifica constituens individuum in propria specie, idem est dicere eiusdem naturæ, ac eiusdem speciei, vnde si pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum, quia restituitur res non eiusdem speciei, l. 2. ff. de rebus creditis si certum petatur, sed erit permutatio. His positis.

7 Probo primò, quia pragmatica non habet vim, nisi post sollemnem promulgationem, vt suppono ex communi sententia, & dicam etiam infra in alia resolutione, ergo tempore mutui moneta illa diminuta erat formaliter moneta, ergo restitutio mutui est facienda sin numerum, & non secũdum massam, nam suppono, mutuationem fuisse factam secundum numerum, & non secundum massam, seu pondus massæ. Hæc cõsequentia patet, nam mutuatarius tenetur satisfacere contractui mutui, & non permutationis, aut emptionis, quia contractus mutui, & non permutationis, aut emptionis fuit stipulatus in prima acceptione huius monetę. Sed si teneretur ad monetam secundũ massam, quando mutuo accepit secundum numerum, sequeretur, quod non satisfaceret contractui mutui, sed permutationis, aut emptionis, vt ex tertio supposito, quum restitueretur res diuersæ naturæ, & qualitatis, nam moneta illa reprobata amisit naturam monetæ, seu rationem formalem constituentem monetam, secundum monetam, vt ex primo supposito, ergo dicendum est, quod mutuatarius tenetur restituere monetam secundum numerum, & non massam.

8 Confirmatur, quia moneta mutuata est reprobata tempore solutionis, sed solutio facta de moneta reprobata non extinguit debitum, l. eleganter §. qui reprobos nummos ff. de pignor. actione, ergo si mutuatarius soluit nummos secundũ massam soluit nummos reprobatos, & consequenter non satisfacit debito mutui.

9 Probatur secundò, quia qui mutuò accepit vinum, & postea tenetur illud restituere; si vinum non habeat tenetur ad pretium tempore restitutionis vini, & si vinum plus valeat tempore solutionis, quam tempore mutui, l. vinum ff. si certum petatur, & hoc ideo, quia pretium illud correspondet formæ vini tempore restitutionis, nàm si debitor tunc vinum haberet, teneretur ad vinum, non verò ad pretium, ergo si quis mutuo accepit nummos, quando postea illos soluit, tenetur ad summam correspondentẽ formæ intrinsecæ monetæ tempore solutionis, non tempore mutui, sed forma intrinseca monetæ in esse monetæ, est pretium imposititicum, vt ex primò supposito, ergo mutuatarius tenetur restituere pretium secundum æstimationẽ imposititi monetæ tempore solutionis. Consequentia patet, nam ita se habet forma vini respectu speciei vini, sicut se habet pretium imposititicum monetæ respectu monetæ, nam sicut forma vini dat esse vino, ita pretium imposititicum dat esse monetæ, in esse monetæ, vt in primo sup-

Digitized by Google

suppositio, sed tenetur debitor soluere pretium vini correspondens formæ vini tempore solutionis, ergo tenetur debitor in casu nostro soluere monetam secundum æstimationem imposititiciam tempore solutionis.

10 Confirmatur, quia qui mutuo accepit vinum, tenetur reddere vinum, sicut in die solutionis, & si vinum sit melioratum, vt in dicta l. vinum, ergo qui mutuo accepit nummos, tenetur soluere nummos, sicut in die solutionis, & si nummi sint meliorati.

Probatur tertiò, quia in mutuo, necessariò restituenda est res, non solum secundum eandem speciem, idest eiusdem naturæ, seù cum eadem ratione formali, sed etiam cum eadem bonitate, vt ex tertio supposito, vndè, & si vinum nouum, & vinum vetus sint eiusdē naturæ, seù speciei (ideo enim perficitur sacrificium sanguinis Christi, tam in musto, seù vino nouo, quam in veteri) tamen quia vinum nouum est vinum impurum, & vsque dum purificetur,

11 multa incomoda, & pericula patitur, & post purificationem remanet minoris quantitatis, hinc est, quod qui vinum nouum restituit pro vino veteri, mutuo non satisfacit l. quum quid ff. si certum petatur, sed massa antiquæ monetæ nullam retinet rationem formalem monetæ, quum sit iam pecunia reprobata, nec vllam retinet bonitatem monetæ, quum iam amisit pretium imposititicium constituens monetam in esse monetæ, ergo mutuatarius in casu nostro non satisfacit mutuo soluendo massam monetæ antiquæ, sed tenetur soluere monetam nouam. Consequentia hæc patet à fortiori, nam si mutuatarius vini veteris nō satisfacit mutuo, si dat vinum nouum, ex eo, quia vinum nouum non continet adæquatam mensuram vini veteris purificati, ergo nec mutuatarius in casu nostro satisfacit mutuo, si soluat massam veteris monetæ, quia massa illa nullam habet rationem formalem monetæ, ergo tenetur ad nouam.

12 Confirmatur, quia, quando mutuantur nummi, id, quod mutuatur, non est merx, sed pretium mercis, vt in primo supposito ex l. 1. ff. de contrah. emptione, ergo id, quod est restituendum non est merx, sed pretium mercis, sed si mutuatarius teneretur ad massam, teneretur ad mercem, non ad pretium mercis; ergo dicendum est, quod tenetur ad nummos, qui sunt pretium mercis, non verò ad massam, quæ appretiatur à nummis.

13 Dices primo ex Layman lib. 3. tract. 3. parte prima cap. 5. num. 12. quod in cap. cum canonicis de censibus, expressè, decidit oppositum, nam ibi hæc habes; Cum canonicis Maioris Ecclesiæ, quandam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ tuæ debitā aliquot annis persolueris, & idem summam illam ex integro de meliori moneta exigant sibi solui. Tibi damus nostris literis in mandatis, vt Canonicos illos solutionis prioris pecuniæ, vel si non sit in vsu æstimatione pentionis antiquæ facias manere contentos &c. ergo sic etiam dicendum est in mutuo.

14 Respondeo negando paritatem, & disparitas est manifesta, nam pensio imposita super bonis Ecclesiæ, semper respicit redditum ipsorum bonorum, vndè si bona Ecclesiæ super quibus est constituta pensio augeantur diligentia pentionarij, verum est quod pensio crescere non debeat, ne diligentia sit ipsimet pensionario damnosa l. vlt. C. de alluuionibus, at si aliundè bona Ecclesiæ, super quibus est constituta pensio augeantur, tunc potest, & debet augeri pensio, quia iusta causa subest vt augeantur, ita Glossa in cap. cum Clerici de pactis verb. pensiones ex cap. quanto de censibus. Si verò bona super quibus est pensio constituta decrescant, ipsa pensio decrescenda est, vt ex præcitato cap. quum Canonicis; secus verò dicendum esset in mutuo, quia res mutuata, siue crescat, siue decrescat, crescit, & decrescit mutuatario l. 1. ff. si certum petatur. Item is instit. qui

Digitized by Google

bus modis re contrahitur obligatio, vnde si mutuaui frumentum Titio, & illud decreſcat in pretio pro medietate, Titio decreſcit, ita quod mihi nõ tenetur reſtituere duplum frumenti, vt optimè concludit ipſemet Layman lib. 3. tract. 4. cap. 15. nu. 2.

14 Dices ſecundò ex Antonio Fabro de variis nummariorum debitorum ſolutionibus aduerſus incertũ auctorẽ cap. 1. verſ. 2. auri æſtimatio, &c. Quia moneta debet habere æſtimationem publicam, id eſt communi conſenſu omnium gentium conſtitutam, & perpetuam, quemadmodum apud omnes eadem initio erat nummi magnitudo, idemq; pondus, ad hoc, vt æſtimatio vſum, dominiumq; præbere poſſit, non tam ex ſubſtantia, quam ex quantitate, l. 1. ff. de contrah. emptione; Sed æſtimatio huius, aut illius Regni, non eſt publica, nec perpetua: non perpetua, quia eſt variabilis pro legislatoris arbitrio, & voluntate, & ſicut neque certa eſt, neq; perpetua, ſed incertiſſima, & inducens pretium incertum cæterarum rerum, quæ pecunia æſtimantur, ita nec dici poteſt publica, ſed potius priuata, quæ ſcilicet non auctoritate publica nititur, ſed eius ſolius Principis, aut Reipublicæ, cuius caractere percuſſus eſt nummus, ergo pretium extrinſecum, ſeu aduentitium non poteſt eſſe ratio intrinſecæ monetæ, ſed potius pretium maſſæ, ergo ſi ſolutio fiet in maſſa, ſatisfit mutuo.

15 Reſpondeo, quod æſtimatio publica requiſita in moneta debet deſumi non ex quantitate ponderis, vt ſupponit Faber, ſed ex quantitate diſcreta nummi, ſeu ex numero monetæ, vt patet ex eadem l. 1. ff. de contrahenda emptione, vbi hæc habes. Electa moneta eſt, cuius publica, ac perpetua æſtimatio diſſolutionibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubueniret, eaque materia forma publica percuſſa, vſum dominiumq; non tum ex ſubſtantia, præbet, quam ex quantitate, nec vbra nec ex; vtrumque eſt, ſed alterum præ-

tium vocatur &c. ſi ergo non ex ſubſtantia, ergo non ex maſſa: maſſa enim ſubſtat publicæ formæ, & eſt merx, & non pretium mercis.

Inſuper ſi æſtimatio publica monetæ eſſet æſtimatio maſſæ, non ſubueniretur difficultatibus permutationum, nam ſemper dubitare poſſemus, num illa forma publica eſſet æqualis in pondere mercibus, quas vendere intendimus. Nec valet dicere, quod ad hoc deſeruit imago Principis deſcripta, ſeu impreſſa; nam ſæpè videmus monetam cum tali imagine eſſe diminutam.

Nec etiam dici poteſt, quod pro ſubſtantia intellexit lex aurum, vel argentum, & pro quantitate pondus, ſeu molem.

Quia contra eſt. Nam ſi non ex ſubſtãtia æſtimatio monetæ deſumeretur, & pro ſubſtãtia intelligeremus aurum, aut argentum, ſequeretur, quod pondus auri æſtimaretur, ſicut pondus argenti: nam non ex ſubſtantia (ideſt ſecundum aduerſarios) non ex auro, aut argento, ſed ex quãtitate, ideſt ex pondere, ſeu mole deſumeretur valor, quod eſſet falſiſſimum, nam aurum, & argentum cum æquali pondere haberent eandem æſtimationem.

Dicendum igitur eſt, quod pro ſubſtantia intellexit textus materiam, quę ſubſtat, pro quantitate verò intellexit quantitatem diſcretam ſecundum numerum, nempè æſtimationem impoſititiam, & hæc æſtimatio publica dicitur, quum ſit communis populorum
16 huius Regni e. g. Nam dicitur publicum, non ſolum, quod commune eſt omnibus Populis, & gentibus, vt probat Faber, & eſt expreſſum in §. flumina inſtit. de rerum diuiſione, ſed etiam publicum dicitur, quod commune eſt gentibus huius Populi tantum. §. conſequenter inſtit. de ſuſpectis tutoribus. l. finali, C. de ſacroſanctis Eccleſ. Accurtius in §. 1. de rerum diuiſione; Publicum enim dicitur quaſi Populicum, ideſt, quod cuili-

bet

Digitized by Google

bet de Populo competit §. vnico, de publicis iudicijs; aliter enim nec publicum dici posset pretium massæ auri, aut argenti, vt putat Faber, nam pretiũ massæ in partibus Orientalibus, vbi sunt fodinæ auri, vilescit: in partibus verò nostratibus est in summo pretio.

17 Dicitur enim hæc æstimatio perpetua, quia est sine tẽporis præfinitione, nam perpetuum dicitur non solum, quod durat per totam vitam, l. 1. ff. pro socio, vel quod durat spatio triginta, vel quadraginta annorum, vt instit. de perpetuis, & temporalibus actionibus in principio; Sed etiam perpetuum dicitur, quod sine temporis præfinitione est, vti est æstimatio in casu nostro, l. 3. ff. de exceptione rei venditæ, & rectè notat Accurtius in dicta l. 1. ff. pro socio. Quod verò in moneta est de iure gentium, non est monetæ æstimatio facta ab hoc, vel illo populo, nempè valutatio monetæ, pro vt moneta est, sed est de iure gentium, quod moneta sit pretium omnium rerum. Habemus enim, monetam esse valutatam tanto pretio, & habemus, quod moneta æstimentur omnia. Primum enim est de iure Regni; secundum verò est de iure gentium, patet hoc ex præcitata lege prima ff. de contrah. emptione; antiquitus enim rudi quadam massa argenti, aut auri sine vlla impressione permutabatur, vt ex Arist. refert ipsemet Faber; & hoc tantum est de iure gentium;

18 Dices tertiò ex Ferro Mãriquez cõtra Dian. quæst. mor. parte 2. qu. 88. quod hic mutuans decipit mutuatarium, cum inferat huic damnum, quod non est licitum ex præcepto Diuino, vt per D. Paulum ad Thessalon. 4. & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam Iudex est Deus. Nec valet dicere, quod vtitur iure suo, nam debet vti sine fraude certiorando accipientem.

Sed contra primò, quia ibi Diuus Paulus loquitur de iustitia, & de fraude Thori, idest de adulterio, non verò de fraude auaritiæ, ita Cornelius à Lapide in dicto cap. 4. num. 27. vbi hæc habet, Non agit Apost. de fraude auaritiæ, & iniustitiæ opum, sed de iniustitia, & fraude Thori, idest de adulterio, agit enim de libidine, & immunditia, adulterium enim vocat supergressionem,

19 & circumuentionem. Nec debet qui vtitur iure suo, non vti, si talis vsus inferat damnum alteri, quia sic non posset reus à Iudice interrogatus de delicto æquiuocare, nam vteretur iure suo, cum damno, & in fraudem partis læsæ, nec posset creditor dolo carcerare suum debitorem, maximè tempore æstiuo, quia sic vteretur iure suo cum damno proximi, itaque dicendum, quod, qui vtitur iure suo, dolo malo non videtur agere, l. nullus ff. de reg. Iuris.

20 Contra est secundò, quia si hoc esset verum, sequeretur mutuantem (post quam peruenit in cognitionem de futuro pretio monetæ) teneri ad certiorandum omnes conciues, & aliter tenerentur ad restitutionem pro damno illato omnibus conciuibus à se non certioratis, in quorum manibus moneta illa diminuta inuenitur post publicationem Pragmaticæ. Sequela patet, nam in casu nostro ideò mutuans tenetur mutuatario, quia ipsum non certiorauit de futuro pretio, sed neque certiorauit alios conciues, ergo tenetur etiã conciuibus.

Nec valet dicere, quod mutuans in casu nostro mutuauit & non certiorauit; Quia contra est, nam mutuum non obligat ad certiorandum mutuatarium de futuro pretio monetæ, sed sufficit, si tempore mutationis moneta sit tanti valoris, si enim mutuum obligaret ad certiorandum, sequeretur, quod etiam si mutuans mutuaret, & ignoraret futurum augmentum monetæ, teneretur ad damnum sequutum mutuatario, quod neque Mariquez concedit.

Digitized by Google

Nec dicas, quod mutuans in casu nostro est causa, vt mutuatarius damnum recipiat. Nam contra est, quia est causa ob non certiorationem, sed neque certiorauit conciues, ergo vtrobique par ratio, cum hac tãtũ differentia, quod non certiorando mutuatarium, ipse mutuans immediatè damnum infert, non certiorando verò conciues, est causa, vt vnus alteri damnum inferat.

Insuper si ideò tenetur mutuans, quia fuit occasio damni, tam fuit occasio sciens, quam ignorans, scientia enim non facit crescere, neque decrescere monetam in esse suo, ergo sciens, & ignorans tenetur, quod neque Manriquez concedit.

Adde, quia de tali damno tali mutuatario illato non tenetur ad restitutionem, quia principaliter intulit, ergo neque qui occasionem dedit; Rex enim cum populo monetam diminutam mutat, & sic est causa principalis, vt mutuatarius damnũ patiatur, mutuans verò est tãtum occasio huius damni; Si ergo Rex non tenetur, qui est causa principalis, neque mutuans teneri debet, qui est tantum occasio.

Dices quarto ex eodem Manriquez supra numero 5. quia quando scio rem meam perituram, possum vendere, & tradere, antequam pereat, dũmodo vitium sit occultum, & illud emptori manifestem, l. 1. §. si intelligatur ff. de ædilitio edicto, vt cum alijs Antonius Gomoz variarum tomo 2. cap. 2. num. 48. & 49. nam in illo (hæc sunt verba Manriquez) edicto hoc inspiciendum est, ne emptor decipiatur, vt sunt verba textus. Et sicut in venditione debet venditor emptorem non decipere, ita & in mutuo. Hæc Manriquez.

21 Sed contra est primò; nam falsum est, quod venditor semper teneatur manifestare vitium occultum rei venditæ, ita D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 3. vbi hæc habet; Vitium occultum non est manifestandum, nisi sequatur periculum, vel damnũ emptori; Damnum quidem, si propter huiusmodi vitiũ res, quæ vẽdenda proponitur, minoris sit pretij, ipse verò propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum verò si propter huiusmodi vitium vsus rei reddatur impeditus, vel noxius; puta si quis alicui vẽdat equum claudicantem pro veloci, vel ruinosam domum pro firma, vel cibum corruptũ, siue venenosum pro bono; vndè si huiusmodi vitia sint occulta, & ipse nõ detegat, erit illicita, & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recõpensationem, si verò vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, vel cum vsus rei, & si non competat venditori, potest tamen esse cõueniens alteri, & ipse propter huiusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium; quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet, plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahẽdum. Vndè potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo; Hæc D. Thom. At quum in casu nostro moneta mutuata tempore mutui non erat pro minori mutuanda, quum pragmatica tunc publicata non erat, nec tempore mutui vsus illius monetæ ratione diminutionis impediebatur; cõsequenter non tenetur mutuans manifestare proximam mutationem monetæ faciendam.

22 Contra est secundò, nam res peritura habet vitium intrinsecum; vndè venditor tradendo rem, simul tradit vitium rei intrinsecum, & occultum, & ideo illud tenetur manifestare emptori. At qui mutuat monetam diminutam tempore mutui, moneta non habet aliquod vitium occultum, & intrinsecum, sed vitium, quod habet, est diminutio, quæ patens est, & extrinseca. Diminutio enim est causa, propter quam Princeps movetur ad mutãdam monetam, quæ voluntas Principis non traditur simul cum moneta mutuata, sed tantum traditur causa mutationis, quæ est diminutio, quæ diminutio vitium patens

Digitized by Google

tens est, vt dixi, & cum vitium patens sit, mutuans nullo modo decipit mutuatarium, vt putat Manriquez; Vnde retorqueo argumentum, Tunc tantum in venditione rei in breui perituræ teneor manifestare vitium, quando vitiū est occultum, & intrinsecum, ergo quando vitium est patens, & extrinsecum, non teneor illud vitium manifestare, & si res pro eo vitio sit in breui peritura: sed vitium in casu nostro est extrinsecum, & manifestum, quum sit diminutio monetæ, ergo vitium in casu nostro non est manifestandum, & si moneta sit in breui peritura.

Nec dicas, quod voluntas Principis est ratio intrinseca monetæ in esse monetæ, vt diximus, ergo mutuans tenetur illam manifestare.

23 Quia contra est, nam voluntas Principis, & si intrinseca sit, tunc vitium non est, sed est veluti noua forma, qui enim vendit, tenetur manifestare vitiū causans nouam formam, non verò nouam formam aduenientem; Sufficit enim dicere, quod vinū, exempli gratia, sit in breui periturum ob talē causam, quod verò vinum vertatur in acetum, vel corrumpatur, hoc venditor non tenetur manifestare.

Dices quintò, ex eodem Manriquez supra num. 4. quod mutuans in casu nostro accipit aliquid vltra sortem, nam accipit obligationem restituendi monetam in melius redactam, ergo cōmittit vsuram, nam si mutuatarius sciret monetam esse mutandam, non se obligaret ad nouam formam monetæ restituendam, hoc videtur dicere Manriquez in illo num. 4.

24 Sed contrà est, nam Manriquez non aduertit, quod mutuans non constringit mutuatarium ad restituendam monetam post factam mutationem, sed quod restituat secundum valorē tempore restitutionis, quod est de natura mutui, vt diximus ex l. mutuum, vnde si mutuatarius velit restituere mutuum immediatè, antequā moneta mutetur, tenetur mutuans illam recipere, si enim in pactum deductum fuisset, quod non posset mutuatarius restituere mutuum, nisi in tali determinato tempore, in quo sciret mutuans monetam esse mutandam, vtiq; benè diceret Manriquez; at hoc tantum pactum fuit, vt scilicet mutuatarius tempore restitutionis mutui restitueret monetam currentem, & sic damnum non est illatum à mutuante mutuatario, sed à negligentia eiusdē mutuatarij, quum non restituat, vel quum retineat apud se monetam illam diminutam.

Addo, quod si mutuatarius cum illa moneta sic diminuta emeret bona pretio currenti, ad nihil teneretur venditori, quia emeret bona fide, vt supponitur. Neque tunc mutuans tenetur restituere mutuatario, nam damnum non sentiret mutuatarius, sed venditor, quum damnum ille sentiat, penes quē pecunia inuenitur tempore mutationis; sed inuenitur penes venditorem, ergo si damnum esset restituendum, huic venditori restituendum esset, sed ad hoc non tenetur mutuans, quia non mutuans, sed mutuatarius emptor fuit causa, vt moneta diminuta inueniretur penes venditorem, neque tenetur mutuatarius emptor, quia bona fide emit, ergo nemo tenetur.

25 Hinc manifestè apparet, damnum illatum mutuatario non prouenire à mutuante, sed ab ipsomet mutuatario, qui negligendo, & detinendo monetam illam diminutam damnum sentit, non enim mutuans est causa detentionis, sed mutuatarius ipse.

Ex dictis ergo manifestè apparet, talem mutuatarium teneri ad centum de moneta in melius redacta, & mutuantē illam sic mutatam accipientem, esse tutum in conscientia &c.

SVMMARIVM.

Mendacium de re graui, vel ex quo resultat infamia alteri peccatum mortale est. nu. 1.

Reus, qui mentitur super patibulum, non potest à confessario sub cappa absolui. nu. 2.

Sacramentum est signum sensibile signum, &c. & cõstare debet ex materia, & forma sensibili eod. num.

Mendacium complet auersio ad creaturam, & auersio à Deo, non potest significare internum actum contritionis. nu. 3.

Signum externum, quod est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, debet esse à contritione, seu interno dolore, tanquam à causa, secundum aliquos DD. num. 4.

Actus externi indifferentes debent esse effectus pœnitentiæ internæ, vt ipsum significare possint, secundum Cuniz. eod. num.

Quando sumus in dubio, an signum externum sit à dolore supernaturali, an à causa naturali, tunc moribundus est absoluendus sub conditione. eod. num.

Confessarius, qui sibi persuadit, pœnitentem non esse contritum, non potest ipsum absoluere sine culpa sacrilegij. nu. 5.

Qui vult peccare vsque ad extremum vitæ, signum dat, se non habere contritionem. nu. 6. eod. num.

Signum externum ad hoc, vt sufficiat in sacramento pœnitentiæ pro materia, necesse est, vt reus non possit aliter explicare statum suũ secundum communiorem opinionem. nu. 6.

Contritio Tridentina requirit à pœnitente confessionem secundum hic, & nunc possibilem. eod. num.

Sacramentum pœnitentiæ est per modum iudicij. num. 7. Signum externum sufficit pro materia, & est à confessario admittendum, non quia signum explicat statum pœnitentis, sed quia pœnitens non potest aliter explicare statum suum. num. 8.

Confessio per signa, cum possit reus explicare pœnitens statum suum, non est admittenda secundum opinionem multorum. eod. num.

Signum insufficiens pro materia sacramenti pœnitentiæ non fit sufficiens ratione bonæ fidei. nu. 9.

Qui cognoscit, se indigere absolutione sacramentali, cognoscit se esse in peccato. nu. 10.

RESOLVTIO XII.

Quidam condemnatus iuridicè ad mortẽ pacisci tur cum confessario, vt in furca supra scalam mentiendo exculpet socium delicti, quia postea ipse confessarius clam, & sub cappa absolutionem ei impenderet immediatè ante suspensionem. An hoc validum, & licitum sit.

1 PRo responsione suppono, talem reum esse in peccato mortali: tum quia mentitur in re graui, & mendacium in re graui est peccatum mortale, tum quia infamat testes. Hæc omnia habentur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 69. art. 1. & 2. & quæst. 70. art. 4. & quæst. 110. art. 1. & 2. Hoc posito.

2 Respondeo, quod reus, qui in patibulo in articulo mortis dixit falsitatẽ, non potest à Confessario absolui sub cappa. Et ratio est, quia Sacramentum est signum sensibile &c. Magister in 4. dist. 1. D. Thomas tertia parte qu. 60. art. 2. 3. & 4. & quæst. 61. art. 1. & quæst. 64. art. 2. ad secundum & omnes Catholici, & constat ex materia, & forma sensibili, vt cum D. Thoma quæst. 60. art. 5. & 6. Omnes Theologi: ergo materia Sacramenti pœnitentiæ debet esse sensibilis, sed nulla materia sensibilis assignatur in casu nostro, ergo non potest hoc Sacramentum subsistere.

Dices, posse reum assignare pro materia sensibili Confessario ipsummet excusationem complicis, Nempè, pacisendo, quod quando socium excusat, immediatè post elicit actum contritionis.

3 Sed contra est, quia ipsa excusatio mendacium est in re graui, vt supponitur, & mendacium in re graui, cum sit peccatũ mortale, est per se auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, ergo non potest significare contritionem, quæ

per

per se est auersio à creatura, & conuersio ad Deum.

Dices secundò, posse reum promittere Cõfessario ante patrationem peccati aliquod signum sensibile, nempè nutum oculi, vel tunsionem pectoris, & sic Cõfessarius posset illũ absoluere.

4 Sed contra est, nam signum, quod iudicatur sufficiens materia sensibilis Sacramenti pœnitentiæ, debet habere duplicem conditionem, vt videre est apud omnes Doctores, qui dicunt, posse moribundum absolui per signum; hi sunt Coninck, Reginaldus, Layman; Io. Sanchez Fagundez, Valentia, locis infra citandis; prima est, quod tale signum sit ab intrinseco dolore, seu contritione, tanquam à causa, nam actus indifferentes externi debent esse effectus pœnitentiæ internæ, vt ipsam significare possint, vt benè Coninck disp. 4. de pœnitentia dub. 6. num. 44. pag. mihi 343. & hinc est, quod quando sumus in dubio, an talia signa externa procedant ab intrinseca contritione, vel attritione, an vero ab alio aliquo dolore, vel infirmitate naturali, tunc moribundus non est simpliciter absoluendus, sed sub conditione, vt benè Io. Sanch. in Selectis disp. 44. nu. 35. Layman in theologia morali lib. 5. tract. 6. cap. 8. num 4. vers. Sed benè, qui citat Zambra. cap. 4. dub. 2. tract. 4. Chappeauill. de modo ministrandi Sacram. cap. 3. quæst. 10. & 11.

Sed in casu nostro signum doloris non est à contritione, sed à promissione, nam ideo dat, quia promittit, ergo hoc signum non sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ.

Dices, & si illud signum sit promissum, tamen non implicare esse à contritione, quia potest prouenire ab illa.

5 Sed contra est, nam & si possit hoc signum prouenire à contritione, tamẽ Confessarius non potest eum absoluere, quia quotiescunque confessarius probabiliter sibi persuadit pœnitentem non esse contritum, non potest illum absoluere, & si absoluat, cõmittit sacrilegium, cum exponat se periculo probabili committendi sacrilegium: vt benè Maior in 4. dist. 17. quæst. 2. Petrus Soto lect. 10. de confessione vers. secundum, Suarez de pœnitentia disp. 32. sect. 2. Layman l. 5. tract. 6. cap. 13. de Sacramento Pœnitentiæ. num. 10. folio 396. sed in casu nostro debet Confessarius probabiliter sibi persuadere, talem reum non esse contritum, tum quia vult peccare vsque ad extremum vitæ, tum quia esset paratus ad iterum mentiendum, si tunc non esset mentitus, & adhuc vitam haberet: tum quia confessarius est certus, quod signum illud proueniat à promissione, & nullam habet coniecturã, quod proueniat à contritione, tum quia actus contritionis, cum sit supernaturalis, probabiliter credendum est, non posse elici ab eo, qui ad mortem tendit cum animo peccandi mortaliter in extremo vitæ spiritu: si enim probabilitas non haberetur ex istis coniecturis, ex qua maiori coniectura colligi posset? ergo etiam si ille actus posset prouenire à contritione, tamen Confessarius non potest talem absoluere.

6 Secunda conditio ad hoc, vt signum sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ, est, vt reus non possit aliter explicare statum suum, nisi per illud signum, vnde per tale signum explicat statum suum quantum potest, & sic satisfacit præcepto diuino de integritate confessionis: & hoc est, quod requiritur à concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. cum Deus non requirat à nobis aliam confessionem, quam quæ nobis hic, & nunc possibilis est, vt videre est apud Conin. disp. 7. de Sacramentis dub. 10. n. 97. Reginaldum de prud. confess. parte 2. cap. 21. nu. 6. & omnes illos, qui tuentur hanc opinionem, sed potest in casu nostro reus suum statum aliter explicare, quam per hoc signum, nempè per verba, ergo illud signum non est sufficiens, nec admittendum in Sacramento pœnitentiæ.

Di-

Dices, in tantum reus per tale signum debet explicare statum suum, in quantum per tale signum manifestat statum suum Confessario, quia cum Sacramentum pœnitentiæ sit per modum iudicij, debet necessariò Iudex cognoscere causam rei, vt possit illum absoluere: sed in casu nostro Confessarius est certus de statu pœnitentis cum sciat, talem esse mentitum in re graui, ergo illud signum genericum sufficere debet.

7

8 Sed contra est, nam sufficientia in signo, quod dat moribundus non prouenit ab explicatione status, sed ab impotentia, quia non potest aliter se explicare & præceptum diuinũ non obligat vltra vires, vt optimè Conin K. loco citato. Nam confessio per signa nunquam est admittenda (excepta necessitate) etiam si reus per tale signum explicet integrè statum suum, vt benè Fagundez secundo ecclesiæ præcepto lib. 3. cap. 1. num. 8. folio mihi 347. Conin. disp. 6. de qualit. confess. dub. 1. num. 3. folio mihi 362. Toletus lib. 3. summæ cap. 6. num. 1. §. 1. ver. verbum &c. Suarez tomo 4. de pœnitentia disp. 21. sect. 3. num. 6. in fine; si ergo non sunt admittenda signa in hoc Sacramẽto, etiam si explicent perfectè statum pœnitentis quando potest pœnitens confiteri proprio ore, quanto magis quando habet hanc potentiam, non sunt admittenda signa omninò generica, & indifferentia, vti esset in casu nostro, &c.

Dices, quod possit excusare bona fides, nam forsan reus credit signum illud sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, maximè si hoc consilium à viro probatæ vitæ accepit.

9 Sed contra est, nam bona fides non potest constituere materiam Sacramẽti pœnitentiæ, cum Sacramenta pendeant ab institutione Christi, vt in Cõcilio Tridentino sess. 7. c. 1. at cum hoc signum non sit sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ (non. n. est à contritione, neque per hoc explicat pœnitens statum suum, quantum potest) consequenter nec bona fides poterit hoc facere.

Dices, quod bona fides excusabit saltem reum à peccato, nam cum credat hoc licitè fieri posse, maximè si hoc accepit ab homine probatæ vitæ, non peccabit.

10 Sed contra est, nam cum Confessarius promittat reo absolutionẽ, necessariò ipse reus sciebat, se indigere illa, ergo sciebat, se peccatum committere, nam peccatores absolutione indigent, ergo non potest esse in bona fide, & consequenter excusari à culpa.

Ex dictis ergo manifestè apparet resolutio casus, quod scilicet reus, qui in patibulo in articulo mortis dicit falsitatem exculpando socium, non potest absolui à confessario sub cappa, &c.

SVMMARIVM.

Infidelis, si baptizat filium fidelis, contrahit affinitatem spiritualem, & habet impedimentum contrahendi matrimonium, postquam venit ad fidem. nu. 1.

Infidelis susceptor non contrahit affinitatem spiritualem. eod. num.

Cognatio spiritualis habet fundamentum à parte rei, quod consistit in vera regeneratione spirituali, qua dicit gratiam baptismalẽ, & characterem. nu. 2.

Et si deperdatur gratia baptismalis, non tamen deletur character. eod. num. & nu. 7.

Character impressus per baptismum semper dicit relationem ad baptizantem, tamquam effectus ad causam instrumentalem. num. 3. & 7.

Causa instrumentalis baptismi est baptizans, causa principalis est Christus author sacramentorum. eod. num.

Baptizans dicitur pater spiritualis, non quia gratiam producit per baptismum, sed quia characterem imprimit. nu. 4.

Cognatio spiritualis contrahitur inter baptizantem (& si causa instrumentalis sit) & patrem, & matrem baptizati. nu. 5.

Quod cognatio spiritualis oriatur, est ex natura baptismi. Quod verò cognatio spiritualis impediat, & dirimat matrimonium,

est

est merè præceptum ecclesiasticum. nu. 6.

Infidelis si baptizat, regenerat ad gratiam, & imprimit characterem in anima baptizati, nu. 7.

Hæc regeneratio perseverat semper, etiam post quam infidelis venit ad fidem. eod. num.

Cognatio, quæ oritur à copula illicita, impedit, & dirimit matrimonium ex præcepto ecclesiastico. num. 8.

Infidelis, qui cognouit Bertam Christianam per copulam illicitam, si ad fidem peruenit, non potest contrahere cum sorore Bertæ in primo, vel secundo gradu, eod. num.

Fidelis baptizans filium mulieris infidelis non potest contrahere matrimonium cum hac, si ad fidem peruenit. nu. 9.

Qui non habet vitam carnalem, non potest esse carnaliter cognatus. eod. nu.

Ad cognationem contrahendam carnalem inter aliquos, desideratur processio vtriusque ab eodem stipite, secundum carnalem propagationem. nu. 10.

Baptizatus à Iudæo, schismatico, &c. est verè baptizatus eod. num.

Magis dicuntur mortui spiritualiter hæretici, schismatici, &c. huiusmodi, quam gentiles. eod. num.

In generatione humana qui generat est principalis agens. in generatione spirituali qui regenerat est instrumentalis agens. nu. 11.

Quod communicat causa instrumentalis effectui, non debet in se continere, sed sufficit si contineatur in causa principali, cuius est instrumentum. eod. num.

Instrumentum, seu causa instrumentalis vitæ humanæ est semen, quod non continet in se vitam, nisi tantum in virtute causæ principalis, quæ est homo. nu. 12.

Qui baptizat instrumentaliter trahit virtutē ex eodem stipite spirituali, ac baptizatus. num. 13.

Causa instrumentalis naturalis non est ex eodem stipite, ac effectus productus, & si trahat virtutem ex eodem fonte. eod. nu.

Si fundatores ecclesiarum, aut eorum filii ceperint esse inopes, ab eisdem ecclesiis alimenta debentur, &c. nu. 14.

Iudæus fundator ecclesiæ non habet ius patronatus. num. 15.

Iudæus tenetur dotare filiā Christianā. eod. nu.

Iudæus baptizās, & si verè regenerat ad Christum, tamen non habet iurisdictionem spiritualem in baptizatum. eod. nu.

Iudæus non est incapax cognationis spiritualis, cum hæc consistat in aliquo physico, & si sit incapax iurisdictionis spiritualis, quæ in aliquo morali consistit. eod. num.

Iudæus non potest dominari in ecclesia; Non potest habere seruum Christianum.

Nec potest esse tutor pupilli Christiani. Nec habet ius patriæ potestatis in filium, si filius sit Christianus. Nec habet ius in vxorem Christianam. eod. num.

Fundamentum cognationis spiritualis est aliquid reale. nu. 16.

Fundamentum impedimenti cognationis spiritualis habetur in ipsamet gentilitate, quando infidelis baptizat, At impedimentum ipsum habetur postquam ad baptismum infidelis baptizans peruenit. nu. 17.

Cum nō sit absurdū, vt qui est sine vita spirituali, physicè generet spiritualiter, neque erit absurdū vt dicatur pater spiritualis. n. 18.

Genitus in naturalibus ad hoc, vt dicatur filius, debet procedere similis in natura generantis, at vt dicatur filius in spiritualibus, sufficit, si procedat similis virtuti causæ instrumentalis generantis. nu. 19.

RESOLVTIO XIII.

Quidam infidelis baptizauit filium mulieris fidelis ratione necessitatis, deinde talis infidelis baptizans factus est Christianus. An contraxerit cognationē spiritualem, ita vt non possit contrahere matrimonium cum matre infantis à se baptizati.

1 REsponsio, contrahere cognationem spiritualem post quam venit ad fidem, & consequenter non posse contrahere matrimoninm cum matre infantis à se baptizati. Ita glossa in Baptismate de consecratione, dist. 4. his verbis, In Baptismate, seu chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus, vel

Digitized by Google

confirmatus &c. vbi glossa: sed quid si suscipiatur, dicunt quidā quod non cōtrahitur compaternitas, secus si baptizet. Hæc in glossa. Henriquez lib. 13. de matrimonio cap. 3. num. 4. lit. E. & cap. 16. num. 2. lit. R. his verbis. Patrinus, nisi sit baptizatus, non contrahit cognationem, aut impedimentum contrahendi, & tamen Paganus baptizans non potest conuersus contrahere cum filia baptizata, nec cū matre illius christiana. Hæc Herriquez Sotus in 4. distinc. 4. quæst. vnica artic. 5. §. tertium argumentum in fine his verbis. Neque valet consequentia, si infidelis potest baptizare, quod possit esse susceptor, nam baptizare est de necessitate, non autem vt susceptor interueniat, quò circa, vt illic ait glossa, si infidelis baptizet, contrahit subinde affinitatem, nō autem si sit susceptor, quia dumtaxat est facto, non iure &c. Hæc Sotus, & ante probationem huius dicti.

1 Suppono primò, cognationem spiritualem habere fundamentum à parte rei, & non esse figmentum ecclesiasticum; consistit enim in vera regeneratione spirituali, quæ duo dicit, gratiam nimirum baptismalem, & characterem; vndè & si gratia baptismalis deperdatur per peccatum actuale, tamen character semper remanet impressus in anima, & indelebilis est, vt clarè colligitur ex concil. trid. sess. 7. can. 6. 7. 8. & 9.

2 Suppono secundò, hunc characterē secundum esse physicum semper dicere relationem ad suum principium, ipsum producens instrumentaliter, cum verè esse incipiat ab instrumento in virtute causæ principalis, quod instrumentum in Sacramento baptismatis est qui baptizat. Hic enim est verum instrumentum agens in virtute Christi ad producendam gratiam baptismalem, & characterem, cap. intra prima quæst. 1.

4 Suppono tertiò, baptizantem dici Patrem spiritualem, non ex eo, quia gratiam producit, sed ex eo, quia characterem imprimit in anima baptizati. Quod patet, quia etiam si baptizatus accedat cum peccato fictionis ad sacramentum baptismi, baptizans est verè Parens spiritualis, & tamen baptizatus gratiam non recipit, vt patet, ergo signum est, fieri cōpatrem, ex impressione characteris, & non ex productione gratiæ.

5 Suppono quartò, Patrem spiritualem dici causam instrumentalem, ad gratiam spiritualem producendam, & hanc causam instrumentalem contrahere cognationem spiritualem, quæ est baptizans in virtute Christi, qui est causa principalis, cap. sicut Christus prima quæst. 1. cognatio enim spiritualis contrahitur inter baptizantem, qui est instrumentum Christi, & baptizatum, qui est subiectum Sacramenti, & Patrem, & matrem baptizati, vt in Concilio Tridentino de reformatione sess. 24. cap. 2.

6 Suppono quintò, cognationem spiritualem esse ex natura rei, non verò ortum habere simpliciter ab ecclesia, quasi quod ecclesia præcipiat vt hæc cognatio sit, nam etiam ecclesia non præcipiente, baptizatus esset, verè regeneratus à baptizante, & character impressus in anima baptizati diceret relationem, & ordinem ad baptizantem tanquam ad instrumentum. Quod verò hæc regeneratio impediat contrahere matrimonium, hoc omninò ab ecclesia est, & est merum præceptum ecclesiasticum. His positis.

7 Probo dictum. Nam infidelis baptizans verè regenerat, tanquam instrumentum, baptizatum ad gratiam, & imprimit characterem in anima ipsius, ergo est verus cognatus spiritualis, quia character impressus in anima baptizati semper relationem dicit ad talem infidelem baptizātem, tanquam ad causam instrumentalem. Antecedens patet, quia infidelis baptizans, & intendens facere, quod facit ecclesia,

verè

Digitized by Google

verè baptizat, ità quod tales rebaptizandi non sunt, ergo verè regenerat ad gratiam. Consequentia prioris argumenti patet, nàm ideò fidelis baptizans est cognatus spiritualis, quia regenerat ad gratiam, tanquam instrumentum Christi, baptizatum; & character impressus in anima ipsius baptizati dicit ordinem ad ipsum baptizantẽ, tanquam ad instrumentum: sed hæc omnia procedunt etiam respectu infidelis baptizantis, ergo est verus cognatus spiritualis; sed hæc cognatio spiritualis perseuerat etiam postquam gentilis baptizans baptizatur, quia character impressus in anima baptizati indelebilis est, & semper refertur ad gẽtilem baptizantem, tanquam ad instrumentum; ergo quando gentilis baptizans venit ad fidem, venit cum cognatione spirituali contracta, & non deleta, sed cognati spirituales non possunt contrahere matrimonium ex vi præcepti ecclesiastici, ergo quando gentilis est subditus legibus ecclesiasticis, quod tunc accidit, quando baptizatur, non potest contrahere matrimonium cum illa, cum qua cognationem spiritualem tempore infidelitatis contraxit.

8 Confirmatur primò contrà Conin. quia cognatio, quæ oritur à copula illicita, & si sit de iure ecclesiastico, quoad impediendum matrimonium contrahendum, & contractum distrahat, tamẽ quia fundatur in mistione sanguinis, seu vnitate carnis, quæ ità habetur à gentili, sicut à fideli, non potest infidelis contrahere matrimonium cum sorore Bertæ in primo, vel secundo gradu, cum qua copulam habuit, si ad fidẽ peruenit, ità Conin. disput. 23. dub. 4. concluſ. prima num. 49. ergo à pari, quia cognatio spiritualis fundatur in regeneratione ad gratiam baptismalẽ, quæ ità habetur à fideli, sicut ab infideli, cap. à quodam iudeo de consecratione dist. 4. si infidelis veniat ad fidẽ postquam regenerauit aliquam, non potest cum ipsa contrahere matrimonium.

9 Confirmatur secundò ex eodem Conin. quia si fidelis baptizet, vel ex sacro fonte suscipiat filium infidelis nullam cognationem contrahit cum matre baptizati, dũ est in infidelitate. At si deinde hæc mater infidelis baptismum suscipiat, cognationem spiritualem contrahit, & non potest illam in vxorem ducere. Ità Coninch. supra dub. 2. num. 26. Layman lib. 5. trac. 10. par. 4. cap. 8. num. 3. ergo à pari: & si qui baptizat tempore infidelitatis nullam cognationem spiritualem contrahat, tamen si ipse baptizans deinde baptizetur, talem cognationem contrahit.

Dices ex Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 60. num. 7. sicut non habens vitam carnalem non potest esse cognatus carnaliter, ità non habens vitam spiritualem nequit esse spiritualiter cognatus.

10 Confirmatur, quia sicut ad carnalem cognationem inter aliquos desideratur processio vtriusque ab eodem stipite secundum carnalem propagationem, ità ad spiritualem exigitur processio vtriusq; ab eodem stipite, nempè Christo, secũdum spiritualem regenerationem, mediante visibili Sacramento baptismi.

Sed contra est primò, nam si hoc argumentum probaret, plus probaret, quam intenderet, nam probaret, neq; hanc cognationem contrahere hæreticum, schismaticum, vel renegatum, nam hi magis sunt mortui, quam infideles, immò isti sunt formaliter mortui fidei, quia mors supponit vitam, ergo cum vitam in fide habuerunt hæretici, schismatici, & renegati, & non habuerunt gentiles, consequenter magis mortui dicuntur isti, quam illi; ergo quia hæretici &c. sunt formaliter mortui non possent regenerare ad fidem, & sic baptismus collatus à Iudæo non valeret, contra cap. à quodam Iudæo de consecratione dist. 4. cuius verba hæc sunt. A quodam Iudæo nescitis vtrum christiano, an Pagano,

Digitized by Google

multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de ijs sit agendum consulitis. Hic profectò si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (vnum quippe, ideinq; est, vt sanctus exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuò baptizandos &c.

11 Respõdeo secundò negando paritatem, & disparitas est manifesta, quia in generatione humana, qui generat est principalis agens, & ideo debet continere in se id, quod vult communicare effectui, & cum vitam communicet, vitam in se habere debet. At in generatione spirituali cum baptizans non sit principalis agens, sed instrumentalis, ideo non debet in se habere id, quod alteri tribuere debet, sed sufficit si sit in causa principali id, quod effectui communicat, & quia baptizans est instrumentum Christi, qui est principalis auctor Sacramentorum, & Christus est fons vitæ spiritualis, hinc fit, quod baptizans, & si vitam in se non habeat, potest vitam conferre virtute causæ principalis, quæ est Christus, qui est fons vitæ spiritualis. Et sic retorqueo

12 argumentum, Instrumentum, seu causa instrumentalis generationis humanæ non continet in se vitam, & si vitam tribuat, semen enim decisum viuens non est, & tamen vitam tribuit, quia agit virtute hominis generantis, qui viuens est, ergo à pari instrumentum, seu causa instrumentalis regenerationis spiritualis potest esse non viuens spiritualiter, & producere viuentem spiritualiter, virtute causæ principalis spiritualiter viuentis.

13 Ad confirmationẽ Respõdeo, quod gentilis baptizans trahit virtutem generandi spiritualiter ex eodem stipite, nempè à Christo, in virtute cuius baptizat, & sic verè contrahit cognationẽ, quia verè regenerat ad Christum: fides autem baptizãtis nullo modo concurrit ad generationem spiritualem, & sic nullo modo esse debet ex eodem stipite; ideo enim in generatione naturali desideratur, quod sit ex eodem stipite generans, & genitus, quia generans concurrit propria virtute ad producendum genitum: at cum in regeneratione spirituali instrumentum non concurrit ex propria virtute, sed ex virtute causæ principalis, sufficit, vt virtus generantis spiritualiter sit ab eodẽ stipite, & non propria entitas instrumẽti, sicut vltimæ dispositiones ad producendam ranam non sunt ex eodem stipite, ex quo est rana producta, seu genita, & tamen ranam viuentem generant, quia illæ dispositiones agunt in virtute causæ principalis, quæ est rana vt sic, seu vaga, vt dicunt philosophi; sufficit ergo ad talem generationem instrumentalem, vt virtus productiua sit ab eodem stipite, & non requiritur vt entitas instrumenti producentis sit ex eodem stipite cum effectu producto.

Dices secundo ex eodem Sanchez supra, quia infidelis est incapax Iuris patronatus, quod quasi spirituale est, cap. quicumque 16. q. 7. nedum cognationis vere spiritualis.

14 Respondeo primò, in illo cap. non fieri mentionem de Iudæo fundatore ecclesiæ, an habeat Ius patronatus; sed tantum dici, quod si fundatores ecclesiarum cæperint inopes esse, ab eisdem alimenta accipiant; Verba enim textus hęc sunt. Quicunquè fidelium deuotione propria de facultatibus suis aliquid contulerint ecclesiæ, si fortè ipsi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis vsu percipiant, &c. vbi vide quod in textu nullo modo fit mentio de Iudæo amittente Ius patronatus.

15 Respondeo secundò, q & si verũ sit Iudæum fundatorem alicuius ecclesiæ non habere Ius patronatus (vt optimè glossa in cap. Frigentius 16. q. 7. verb. qui christianis, vbi glossa, ergo Iudæus, nõ efficitur patronus, licet fundaret aliquam ecclesiã, &c.) tamen hoc est contra doctrinam Sanchez, nam Iudæus est verus fundator ecclesiæ, & tenetur ipsam

fam dotare, sicut filiam factam christianam, & tamē nō habet Ius patronatus, vt optimè Ricciullus supra cap. 11. qui citat Layman, & Viuianum, & hoc ideo, quia est incapax Iurisdictionis spiritualis, ergo quando baptizat gentilis, & si verè baptizet, & ad Christum regeneret, tamen nullam habet Iurisdictionem spiritualem supra puerum baptizatum, quia est incapax Iurisdictionis spiritualis, cum sit extrà ecclesiam: Non verò est incapax cognationis spiritualis, quià hæc non consistit in aliquo morali, sicut Iurisdictio, sed in aliquo physico, nempè in productione characteris, qui etiam transacto baptismate perseuerat physicè, & non moraliter tantum, sicut Iurisdictio: gentilis.n.est incapax Iurispatronatus, nō quia hoc quasi spirituale est, quia videmus regenerare ad spiritum, seu ad gratiam, sed quia dominaretur in ecclesia, manens extrà ecclesiam, & inferioris ordinis ad christianos, hoc enim absurdum est, nempè inferiorem dominari superiori, & ideo gentilis non potest habere seruum christianum, cap. 1. & 2. & cap. ad hæc, & cap. & si Iudæus, & cap. finali de Iudæis, Nec potest esse tutor pupilli christiani ex consuetudine in vrbe, teste Ricciullo lib. 2. de iure personarum cap. 30. n. 3. quæ consuetudo vim iuris scripti habet, quando ius scriptum deficit, l. de quibus ff. de legibus, §. non scripto instit. de iure naturali, & non habet Ius patriæ potestatis, si filius fit christianus, cap. 2. vbi Doctores de conuersione infidelium; nec vir gentilis habet Ius supra mulierem christianam, cap. iam nunc, & cap. sic enim recedere 38. q. 1. At quia cognatio spiritualis nullum dominium inducit de natura sua, cum sit merū instrumentum, ideo potest cognationem spiritualem contrahere gentilis, & non potest Iuspatronatus possidere.

Dices ex eodem Sanchez supra, cum cognatio hæc sit ex mero ecclesiæ instituto, nequit ab infidelibus contrahi, vtpote qui ecclesiæ legibus minimè subsunt.

16 Respōdeo, cognationem spiritualem secundum quod dicit fundamentum, seu id, in quo fundatur, non esse ex mero ecclesiæ instituto, sed esse aliquid reale secundum se; Nempè baptizatum dicere relationem ad baptizantem, tanquam ad instrumentum Christi, vt supra dixi, quod esse reale transit cum infideli quando venit ad fidem, & quia fit subditus fidei, & omnes, qui habent hanc relationem non possunt contrahere matrimonium, si christiani sint, cum illo, ad quem hanc relationem habent, ideo infidelis baptizans non potest matrimonium contrahere cum baptizata, si infidelis baptizans ad fidem venerit.

Dices ex Coninch. disp. 33. de impedimento publicæ honestatis dub. 2. concl. 1. num. 25. quia neque baptismus poterat eam cognationem inducere, quando conferebatur, quia baptizans tunc non erat eius capax; neque etiam posteà, quià tunc omninò esse desierat, neq; vllum supererat fundamentum, ex quo illa cognatio exurgeret.

Et cōfirmatur, quia per se absurdum est, aliquem esse Patrem spiritualem eius, qui ante ipsum spiritualiter natus est. Hæc Conin.

17 Sed contra est, nam baptismus confert fundamentum cognationis spiritualis cùm primò est, quia tunc facit, quod baptizatus sit verè regeneratus à tali infideli, & character impressus in anima baptizati refertur ad talem baptizantem infidelem, tanquam ad instrumentum, vt dixi, & cum sit capax veræ regenerationis, erit etiam capax veræ relationis ad ipsum, quia hæc cōsequitur ad generationem spiritualem; Impedimentum verò, quod prouenit ex hac cognatione spirituali, aduenit postquam infidelis baptizans baptizatur, & ortum habet non à baptismate quod ipse gentilis baptizans contulit, quia hoc esse desijt, sed prouenit à re-

Digitized by Google

relatione, quam dicit character impressus in anima baptizati ad ipsum baptizantem, qui tempore, quo baptizans gentilis baptizatur, adhuc perseuerat, quia indelebilis est. Ad argumentum igitur in forma respondeo, quod baptismus non potest eam cognationem inducere tempore, quo cōferebatur, distinguo, quoad fundamētum, & nego: quoad impedimentum, & transeat. Nam vt dixi, impedimentum non est à baptismo collato, sed à charactere impresso, qui semper clamat ad collatorem, & hoc est fundamentum superstes post collationem baptismi.

18 Ad cofirmationem respondeo, quod cum non sit absurdum, quod quis carens gratia, physicè regeneret alterum ad gratiam; ita non erit absurdum denominari Patrem spiritualem; si enim physicum non implicat, & non est absurdum, quomodo potest esse absurdum denominari talē? Dico ergo, quod cum Pater spiritualis dicatur ille, qui est instrumentū Christi in baptizando, vt ex quarto suppositō, & gentilis baptizans sit instrumentum Christi in baptizando, gentilis est verè Pater spiritualis; nec est absurdum dicere, quod ille, qui post filium spiritualem est natus spiritualiter, sit Pater spiritualis, quia non est Pater spiritualis secundum quod dicit vitam spiritualem, sed est Pater spiritualis, secundum quod dicit esse instrumentum Christi, & quia est instrumentum Christi antequam baptizans renascatur spiritualiter, ideo absurdum non est, vt hoc Christi instrumentum, secundum quod instrumentum Christi est, dicatur Pater spiritualis; vita enim spiritualis baptizantis nullo modo concurrit ad hoc esse paternitatis spiritualis, sed tantum concurrit ad hanc paternitatem esse instrumentum Christi, vt dixi, & gentilis est instrumentum Christi antequam renascatur ad vitam, vt patet.

Dices ex Sanchez supra num. 12 Quia generatio naturalis est productio viuentis à viuente in similitudinem naturæ, ergo generatio spiritualis debet esse productio viuentis à viuente in similitudinē gratiæ: sed gentilis baptizans non producit similem in gratia quando baptizat, ergo non potest dici pater spiritualis.

19 Respōdeo negando paritatem, & disparitas est manifesta, quia generans in naturalibus, cum agat ex propria virtute, & sit principalis generans, seu principaliter generet, debet genitus adhoc vt dicatur filius procedere in similitudinem, seu similis in natura generanti. At cum generans in spiritualibus non sit principalis generans, sed tantum instrumentum regenerantis, qui est Christus, ideò genitus non debet procedere similis in natura instrumento, sed causæ principali, qui est Christus, adhoc vt dicatur filius ipsius instrumenti, seu baptizantis; baptizans enim, qui est instrumentum Christi, dicitur Pater, vt supra dixi in quarto suppositō. Cum ergo generās naturāliter sit principalis agens, & dicitur pater naturalis; & generans spiritualiter sit instrumentaliter agens, & dicitur Pater spiritualis, genitus naturaliter debet procedere similis in natura generantis, adhoc vt dicatur filius, & genitus spiritualiter debet procedere similis virtuti instrumentaliter agenti, adhoc vt dicatur filius spiritualis, sed de facto genitus spiritualiter procedit similis virtuti baptizantis, cum virtus huius sit Christi, qui est principaliter baptizans, & si baptizans sit gentilis, ergo etiam si sit gentilis, & baptizat, est verè Pater spiritualis &c.

Ex dictis ergo manifestè apparet, talem gentilem baptizantem contraxisse cognationem spiritualem, postquam ad fidem peruenit, cum matre talis baptizati, & consequenter non posse cum illa contrahere matrimonium.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Moniales admittentes seculares intra claustra ad malum finem non sunt excommunicatę excommunicatione Papę reseruata, nu. 1.

Gregorius XIII. in suo motu proprio incipiẽte Vbi gratię, & indulta, &c excõmunicat moniales admittentes seculares ingredientes sub prętextu licentię ab Episcopo inualidè obtemptа. eod. num.

Moniales admittentes sine presumptione, sed vel ex ignorantia ĩ crassa, vel ex inaduertentia, vel per oblivionem seculares, etiam sub prætextu licentia inualidè obtemptę, nõ incidunt in excommunicationem motus proprij Gregorij XIII. eod. num.

Moniales admittentes pueros ante vsum rationis ad clausuram non incidunt in excommunicationem Papę reseruatam. nu. 2.

Gregorius XIII. excõmunicat personas subditas ingredientes, & moniales subditas admittentes ad clausuram. eod. num.

Declarationes, quod comprehendantur huiusmodi moniales in motu proprio Gregorij XIII. & Pii V. vel non extant vel non constant autenticè. n. 3.

Excommunicationes non sunt ampliandę à casu ad casum, etiam si in eo casu sit similis, vel vrgentior ratio. nu. 4.

Moniales professę, quę nubent, & accipientes illas in vxores sunt excommunicati. Sicut etiam sunt excommunicati viri professi, vel in sacris constituti, matrimonium ineuntes. At non sunt excommunicatæ mulieres seculares, si viro professo nupserint. eod. num.

Minora delicta aliquando in iure habent aliquas pœnas taxatas ob specialem rationẽ, quas non habent maiora delicta. eod. num.

Non participat in crimine criminoso, qui concurrit ad delictum, pro quo delinquens prius non fuit publicè excommunicatus. nu. 5.

Stilus curię facit ius nu. 6. hoc tamen intelligitur secundum quod dicit modum procedendi, non verò secundum quod dicit rem iudicatam per talem modum. eod. nu.

Stilus curię sequitur semper opinionem probabilem pro se, non contra se. eod. num.

Clemens VIII. reuocauit, & postea restituit regularibus facultatem absoluẽdi à casibus reseruatis, aliquibus exceptis. num. 7.

Clemens VIII. reseruauit violantes clausuram ad malum finem, non verò admittentes etiam ad malum finem, vel ingredientes non ad malum finem eod. num.

Declarationes Sacrę Congregationis, quod ingredientes, vel admittentes sint excommunicati, vel non constant autenticè, vel non cõprehendunt admittentes ad malum finẽ, vel loquũtur cum absoluentibus prętextu licentię, non verò cum absoluentibus ex opinione probabili ex. num. 8.

Falsum est, adesse consuetudinem, quod moniales admittentes intra claustra ad malum finem sint excommunicatę. num. 9.

Qui falsè licentiam ab Episcopo obtinuit, & ingreditur non ex prętextu licentię ad malum finem ad claustra monialium, & si incidat in excommunicationem à Concil. Tridentino fulminatam, non tamen incidit in excommunicationem latam in motu proprio Gregorij 13. num. 10. In lege pœnali, & si sit ratio expressa, & procedat in alium casum, non per hoc pœna ipsa extenditur ad talem casum. n. 11.

Qui ingreditur ad claustra monialium ex prętextu licentia, audacius ingreditur, quã qui sine talis licentia. eod. num.

Lex fauorabilis est extendenda ad casum similem, non verò ad diuersum. num. 12.

RESOLVTIO XIV.

Quædam Monialis admisit in claustra quendam mamasium ad malum finẽ. Quæritur an inciderit in excõmunicationem motus proprij Gregorij 13. Incipientis Vbi gratiæ, & indulta &c. ità quod sit absoluenda tantum à Pontifice.

1 REspondeo, talem monialem non esse comprehensam in illo motu proprio Gregorij 13. ità Sanchez in summa lib. 6. c. 16. à n. 71. Rodriquez quæstionum regularium q. 47. art. 1. & 2. & consequenter posse absolui à quolibet confessario ab Episcopo ad id approbato.

Et

Et ratio est, quia Gregorius 13. non excommunicat Moniales admittentes omnes personas, sed moniales admittentes illas personas tantum, quæ sub prætextu licentiæ inualidè ab Episcopo obtentæ ingredi præsumant: Nã verba bullæ hæc sunt. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atq; interdicimus omnibus, & quibuscũque personis ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam regularibus ordinum quorumcumq; etiam mendicantium, ne prætextu licentiarũ ab Episcopis, vel superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur facultas, monasteria ipsa monialium pro libito, sed pro necessitatibus dumtaxat ingredi, nèue moniales sub eisdem pœnis illas aliter admittere præsumant non obstantibus quibuscumque &c. Vbi nota cum Rodriquez, quod quando dixit, Nèue moniales sub eisdem pœnis illas &c. non de quibuscumq; intrantibus, sed de intrantibus absque vrgenti necessitate, protextu huiusmodi licentiarum, & ad hos refertur relatiuum, illas, & non ad alios. Nota etiam cum eodem Rodriq. supra ar. 2. ly illas aliter admittere præsumant, q nisi præsũpserint moniales, non fore excommunicatas. Hinc est, quod, si per ignorantiam etiam crassam, vel per obliuionem, aut per inaduertentiam, vel simplicitatem moniales hos amantes, vel alios quoscumque admittant, non erunt excommunicatæ.

2 Confirmatur ad hominem contra Merollam, loc. infra citando, nam moniales admittentes pueros antè vsum rationis non sunt excommunicatæ vigore bullæ Gregorij XIII. ergo neque erunt excommunicatæ admittentes quascumque personas, nisi sub prætextu obtentæ licentiæ inualidè. Consequentia patet; nam vel Gregorius in sua extrauaganti excommunicat admittentes etiam sine tali licẽtia, & sic admissio erit causa excõmunicationis, & tam erunt excommunicatæ moniales admittentes pueros ante vsum rationis, quam alias quascumq; personas, nam non quia cooperantur ad ingressum prohibitum alicui, sed quia admittunt, debent esse excommunicatæ. Vel Gregorius excommunicat moniales admittentes personas subditas, & hoc gratis omninò dicitur, quia ibi Gregorius excommunicat non solum intrantes, sed etiam admittentes, nam postquam excommunicauit intrantes, & consequenter subditos legibus, subdit contrà admittẽtes, Nèue moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumãt, &c. ergo prohibitio admissionis est ad moniales admittentes, quæ semper subditæ sunt legibus Pontificum, Gregorius enim excommunicat duplices personas, subditas intrantes, scilicet, & subditas moniales admittentes.

Dices cum Beia prima par. respons. moralium casu 30. pag. 62. vers. tum denique ex Nauarro in cap. statuimus 19. q. 3. num. 62. & in manuali cap. 27. num. 50. Villagut. de vsuris quæsito 35. num. vltimo. Quod Pius V. & Gregorius XIII. ità se declararunt, quod scilicet non solum intelligebant excommunicare admittentes sub prætextu licentiæ, sed etiam sine tali prætextu.

3 Respondet Portella verb. Abbatissa titulo de Abbatissa admittente sæculares intrà clausuram absque licentia n. 2. vers. ego in re &c. quòd Miranda tom. 1. q. 2. de monialibus ar. 10. concl. 1. post Nauarrum multos annos suum manuale prælo dedit Romæ, ibique suum opus fuit examinatũ à censore fidei, seu examinatore librorum, qui debuit Romæ scire praxim circa illam materiam, & præcedentes declarationes Pij V. & Gregorij XIII. si extarent, & tamen opinio Mirandæ non fuit correcta, ergo signum est, quod hæ declarationes non extant.

Respondet secundò idem auctor, quod & si prædictæ declarationes extent

Digitized by Google

rent, non extant autenticè, seu non cõstat autenticè, hos Pontifices declarasse suas mentes fuisse, comprehendere quoscumque ingredientes, aut admittentes, & ideo nullius vigoris esse affirmat Sanchez tom. 2. summæ lib. 6. cap. 16. num. 79. Diana 2. tom. tract. 16. & 2. miscell. resol. 32. & 34.

Dices, quod longè grauius delictum est intrare sine vlla prorsus licentia, quam intrare cum licentia Episcopi sine graui necessitate: sed moniales incurrunt excommunicationem reseruatam admittentes ad clausurã cum licẽtia Episcopi sine graui necessitate, ergo à fortiori admittentes sine tali licentia.

4 Respondet Rodriquez tom. 1. quæstionum regularium q. 47. ar. 1. vers. quod si obijcias, &c. Quod & si verum sit antecedens, consequens nullius est momenti. Excommunicationes enim, cum sint pœnales, non sunt ampliandæ ad alium casum, etiam si in eo sit vel similis, vel vrgentior ratio: nam in clementina vnica de consanguinitate, & affinitate excommunicantur contrahentes matrimonium contra solemne castitatis votum, & tamen quia textus non vniuersaliter loquitur, sed excõmunicat moniales professas cuicũq; nubentes, & accipiẽtes illas in vxores, & viros professos, aut in sacris constitutos ineuntes matrimoniũ (hęc sũt verba Rodriquez supra) communissima sententia docet, illam censuram euadere fœminas sæculares nubentes professo; quia & si eadẽ transgressionis voti solemnis ratio in eis concurrat, at textus de eis non loquitur: sic & si sit eadem ratio de monialibus admittentibus sine licentia Episcopi, ac cum licentia, tamen non debent incurrere, quia motus proprius non includit illas.

Respondet secundò Sanchez supra num. 78. fine, quod non est nouum, minora delicta aliquibus pœnis in iure subijci ob aliquam specialem rationem in eis concurrentem, vt hic contingit propter maiorem impediendi audaciã, quæ reperitur in habentibus eas facultates, hæc Sanchez.

Dices, quod istæ moniales admittentes intrà clausuram, & si non sint excommunicatæ ratione admissionis, sunt tamen excommunicatæ, quia participant in crimine criminoso.

5 Sed Respondet Sanchez supra n. 81. non esse excommunicatas, quia ad eam excommunicationẽ incurrendã oportet, excommunicatos, cũ quibus in crimine criminoso participant, esse publicè de ea excommunicatione denunciatos, cap. nuper, & cap. si concubinæ de sententia excommunicationis.

6 Dices ex Merolla disp. 1. cap. 2. n. 449. quia stilus curiæ facit ius, cap. quàm graui de crimine falsi: sed stilus curiæ habet has admittentes prò excommunicatis, ergo &c.

Respondeo, quod stilus curiæ potest duplicirer cõsiderari, primò modus procendi, secũdò res iudicata per talẽ modum. Modus enim procedendi, quod scilicet citetur reus, quod detur terminus &c. facit ius, quia si sine tali modo procedatur in litis contestatione, acta sunt nulla; si enim reus condemnatur sine citatione, condemnatio est nulla; &, si cap. tam graui aliquid probat, hoc tantum probat, vt patet legenti, nam ibi loquitur de stilo bullarum Põtificis, quę ad Episcopos mittuntur, non verò de decisione, & sic de modo, & non de re decisa. Quod verò deciditur per talem modum non facit ius, quia curia Romana, tenendo has admittentes prò excommunicatis, sequitur opinionem probabilem, & pro se semper tenet: at cum nota sit Pontifici opinio Sanchez, Suarez, & aliorum, & tamen non correxit, signum est, velle relinquere hanc opinionem in sua probabilitate.

7 Dices ex eodẽ Merolla supra, quod hoc videtur decisum à Clemẽte VIII. nam quando reuocauit priuilegia regularium absoluendi à casibus Papæ reseruatis, posteà restituit illis pristinã facultatem, excipiendo excommuni-

Digitized by Google

cationes Bullæ cœnæ, violationem clausuræ monialium ad malum finem &c. ergo supponit Clemēs VIII. quod violatio clausuræ sit reseruata Pōtifici: sed reseruatio huius violationis non inuenitur, nisi in motu proprio Gregorij XIII. nam in Concilio Tridentino sess. 25. de regularibus cap. 5. non est reseruata; ergo ingredientes, & admittentes sine prætextu licentiarum episcopalium sunt excommunicati.

Respondeo primò, quod, si Clemens reseruauit tantum violationem ad malum finem, ergo quando non est ad malum finem, non est reseruata. Addo, quod si reseruauit tantum violantes ad malum finem, ergo non reseruauit admittentes. Nam si admittentes ad malum finem sibi reseruasset, vtiquè expressisset, sicut expressit violantes.

Respondeo secundò, quod in illo decreto sacræ congregationis ex mandato Clementis VIII. teste Quaranta in summa Bullarij verb. casus reseruati §. editum fuit &c. reseruauit Pontifex sub excommunicatione, & alijs pœnis, nè quis absolueret à casibus clarè, vel dubiè in bulla cœnæ contentis, vel alias quomodocumq; summo Pontifici reseruatis. At quia dubium erat, an admittentes, vel ingredientes sine prætextu licentiæ essent excommunicati cum reseruatione ad Pontificem, hinc fit, quod absolui non poterant huiusmodi admittentes, vel ingredientes, quando illud decretus vigebat: Posteà verò idem Pontifex supradictum decretum moderatum est; teste eodem Quaranta supra §. cum autem &c. declarans, prohibitione dicti decreti illos tantum casus in posterum comprehendi, qui in bulla cœnæ continentur; violationis immunitatis ecclesiasticæ, violationis clausuræ ad malum finem &c. & sic non intellexit in casibus dubijs alios sibi reseruare, nisi tantum hanc violationem ad malum finem. Nec intendit alios excommunicare, nisi tantum hos violatores, ergo admittentes, vel non ad malum finem ingredientes, non ex prætextu licentiæ obtentæ ab Episcopo, non intendit excommunicare, nec sibi excommunicationem reseruare, igitur ex hoc decreto, seu moderatione decreti potius colligitur, non esse excommunicatos admittentes ad clausuram etiam ad malum finem, & si sint excommunicati ingredientes ad malum finem.

Dices, quod hæ moniales admittentes ad malum finem sunt excommunicatæ excommunicatione Pontifici reseruata ex declaratione sacræ congregationis, teste Bonacina de clausura q. 4. puncto 5. num. 2. Tamburrino de iure Abbatiss. disp. 22. q. 1. num. 3.

8 Respondeo primò, declarationem illam non extare authenticè, cum Bonacina non citet neque diem, neq; annum. Respondeo secundò, quod si sacra congregatio excommunicat violantes clausuram ad malum finem, ergo non excommunicat admittentes ad malum finem. Respondeo tertiò, & melius, quod cum Clemens VIII. ibi loquatur cū absoluentibus ex prætextu priuilegiorū, ipsis tantū restrinxit hanc potestatem absoluēdi ingredientes ad malū finem, alijs verò qui nō ex prætextu priuilegiorum, sed ex vi opinionis probabilis intendunt absoluere, non prohibuit ingrediētes absoluere, sed reliquit illos sub opinione, sicut prius erat.

Dices ex eodem Merolla, quia consuetudo habet hos prò excommunicatis, & eorū absolutionē spectare tenet ad Pontificē; at consuetudo habet vim explicandi leges scriptas.

Respondeo, quod hāc consuetudinē à Merolla cognitā nō cognouit doctissimus Thomas Sanchez, nec accuratissimus Diana, nec Ferdinādus à Castropalao, nec alij doctissimi viri, qui scripserunt nostris temporibus, igitur dicēdum est, nullo modo talem consuetudinem adesse.

Dices ex eodem Merolla supra, quod si hic motus proprius Gregorij XIII. non comprehenderet omnes ingredientes, & consequenter admittentes,

Digitized by Google

tes, esset omninò inutilis, & frustratorius, & facile posset eludi; Nã hi absq; timore dictæ excommunicationis possent ingredi, non allegando licentiã.

9 Respondeo, quod non est inutilis, & frustratorius, etiam si omnes non comprehendat, nam deseruit ad deprimendam audaciam dictorum, qui sub prætextu licentiarum cum audacia sine timore, & cum dominio ingrediunntur, vt optimè Sanchez supra n. 78. magis enim timet qui sine vlla licentia, quã qui cum licentia etiam apparenti opus prohibitũ exequitur; cum igitur Pontifex intellexerit reprimere istorum audaciam, non est frustratorius, nam iam erant excommunicati huiusmodi ingredientes sine tali licentia à Concilio Tridentino.

10 Vndè si talem licentiam habent; & non allegant, nec ex prætextu illarum ingrediuntur, & si sint excommunicati ingredientes ex Concilio Tridentino, non tamen ex motu proprio Gregorij XIII. & sic non est reseruata excommunicatio; admittentes tamen nullo modo sunt excommunicatæ. Sanchez supra num. 80.

Dices ex Merolla disp. 4. c. 3. n. 444. quod quãdo in lege pœnali est expressa ratio, & procedit in alium casum nõ expressum, lex pœnalis extenditur ob identitatem rationis: sed ratio assignata in motu proprio Gregorij XIII. procedit tam in ingressu prætextu licentiæ, quam sine, nam hoc fecit, vt consuleretur quieti regulariũ, vt vitarentur perturbationes, scandala, & mentis à spiritualibus auocationes, &c. ergo tam erunt excommunicati intrantes, vel admittentes sine tali prætextu, quã cum tali prætextu.

11 Respondet Sanchez supra num. 78. dupliciter, primò negando, quod fieri possit extensio ex identitate rationis in lege pœnali, teste Rodriquez quæstionum regul. tom. 1. q. 47. ar. 1. in fine, ad casum nõ expressum. Secundò, quod non est eadem ratio in vtroque casu, nam multò audaciores sunt ad ingressum, qui sub prætextu licentiæ ingrediuntur, quam qui sine tali prætextu. Pontifex enim intendit reprimere eorum audaciam, vt supra dixi.

Dices, quod hæc lex, & si pœnalis sit, tamen est fauorabilis, & ideo extendenda ad alium casum similem, cum sit in fauorem animarum.

12 Respondet idem Sanchez suprà, quod lex fauorabilis extendenda est ad casum similem, non verò ad casum diuersum; qui enim ingrediuntur cum licẽtia, audaciter, cum dominio, & sine timore ingrediuntur, motus enim Gregorij intellexit reprimere eorum audaciam, quæ non inuenitur in ingredientibus sine tali licentia. Ita Sãchez loco citato.

Dices ex Tamburrino de iure Abbatiss. disp. 22. q. 1. n. 3. quod saltem ingredientes ad malum finem sunt excommunicati ex Bulla Pij V. quæ incipit, Circà Pastoralis &c.

Respondeo, in hac bulla à me lecta, & perlecta nihil inueniri de ingredientibus ad clausuram, sed tantum ibi Pontifex loquitur de monialibus exeuntibus à clausura, vt videri potest in tom. 2. Bullarij.

Patet ergo ex dictis, talem monialem nullo modo incurrere in Excommunicationem Pontifici reseruatam, & in motu proprio Gregorij XIII. expressam.

SVMMARIVM.

In lege necessariò requiritur bonum cõmune. num. 1.

Lex est coordinatio rationis in ordine ad bonũ commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. eod. num.

Lex respicit necessariò bonum cõmune, vt finẽ cui, non verò vt finem cuius. eod. num.

Bonum commune in lege requisitum non expectatur à legislatore, nec à subdito, sed in ipsa entitate legis contineri debet num. 2.

Intentio legislatoris bona, vel praua est aliquid personale, & ideo legi non afficit, si lex habeat alia requisita. eod. num.

Legislator fert legem tanquam persona publica, & caput comitiorum, eod. num.

Praua intentio iudicis non obest sententiæ iustæ. eod. num.

Bonitas in re præcepta non ponitur à præcipiente, sed supponitur. eod. num.

Res referibilis in commune bonum est materia legis, & si actu non referatur à legislatore. nu. 3.

Quando cessat finis legis tantum priuatiuè in aliquo casu speciali, non cessat obligatio legis. nu. 4.

Correctio fraterna respicit essentialiter subiectum corrigendum, non esse incorrigibile. nu. 5.

Præceptum correctionis fraternæ est affirmatiuum cõtinens obligationem indefinitam, & non coarctatam ad hoc tempus. nu. 6.

Quando cessat ratio adæquata legis in generali, cessat obligatio legis in generali. Non verò cessat, quãdo cessat ratio legis in speciali, non ab entitate præcepta in se, sed prout est à tali operante. nu. 7.

Lex, seu materia legis, siue consideretur in casu particulari, siue in casu vniuersali semper habet bonum commune pro suo vltimo fine. eod. num.

Lex præcipit materiam, quæ est ab indiuiduo, sed non prout est ab indiuiduo. nu. 8.

Finis legis à fine operantis differt; Nam potest operans per actionem peccaminosam legi satisfacere num. 9. qui ieiunat ob vanã gloriam, ieiunio præcepto satisfacit. eod. num.

Quãdo finis legis est diuisibilis, & cessat secundum vnam partem, obligatio legis cessabit etiam secundum vnam partem num. 10.

Quãdo ratio impositionis gabellæ sunt duæ æquales necessitates, si cessat vna necessitas, cessat obligatio gabellæ pro medietate. eod. num.

Locutio cum monialibus est interdicta ab Episcopo, quæ habilis sit ad disturbandum moniales, non verò quæ actu disturbet. eod. num.

Ciues tenentur ad leges communitatis, non vt singuli, sed vt pariles componentes vnum corpus, & sic adhoc, vt cesset obligatio legis ab indiuiduo, debet cessare finis legis à tali, non pro vt indiuiduo, sed vt pars communitatis est. num. 11.

Quãdo cessat præsumptio iuris, & de iure, tunc cessat obligatio legis; At quãdo cessat præsumptio iuris tantum, tunc non cessat obligatio legis. num. 12. & 16.

Præsumptio iuris & de iure dicitur quãdo lex habet pro subiecto præsumptionem: vnde fundata in tali præsumptione aliquid statuit & quod præsumit, verum putat, etiam in casu particulari, & indiuiduo. num. 13.

Sponsalia de futuro per copulam formalem subsequentem transeunt in legitimum matrimonium. eod. num. hoc tamẽ intellige, si copula formalis subsequatur; Nam si subsequãtur oscula, tactus, & etiam defloratio sine seminatione in vase legitimo, sponsalia non transeunt in legitimum matrimonium. eod. num.

Neque transeunt sponsalia de futuro in legitimum matrimonium, si copula antecessit. eod. num.

Et hæc doctrina de sponsalibus conditionatis vera est, vbi Concil. Trid. non est receptum. At vbi receptum est, verificatur de matrimoniis contractis sub conditione. num. 14.

Veritas præfertur præsumptioni. eod. num.

Lex fundata in præsumptione iuris, & de iure non obligat in conscientia. eod. num.

Qui post sponsalia de futuro accedit cum animo fornicario ad talem sponsam, sponsalia non transeunt in absolutum matrimonium, & si contrahit absolutè cum alia, hæc secũdum matrimonium tenet. eod. num.

Hæres, qui non confecit inuentarium, in conscientia non tenetur de proprio vltra vires hereditatis num. 15.

Non tenetur quis soluere debitum falsè probatum in iudicio. Innocens probatus nocens, & vt talis excommunicatus, non tenetur se abstinere à communione fidelium, si scandalum absit. eod. nu.

Præsumptio iuris tantum est, quando lex non præsumit fraudẽ, aut aliud incommodum in vnoquoq; casu particulari, sed videt fraudẽ possibilem, ad quam euitandam aliquid statuit. nu. 16.

Lex præcipiens solemnitates in contractibus, vel testamentis, annullat contractus, & te-

sta-

stamenta, etiam si præsumptio cesset. eodem num.

Testamentum nullum in foro fori ex defectu solemnitatum, est etiam nullum in foro conscientiæ. num. 17.

Potest testator apponere conditiones in testamento, quibus non seruatis testamentum erit nullum etiam in foro conscientiæ. eod. num.

Ius positiuum potest inhabilitare aliquem ad simpliciter testandum, & ad taliter testandum. eod. num.

Testamentum non subscriptum à testibus, vel non signatum, pro non facto habetur. eod. num.

Testamentum non subscriptum à testibus est nullum, ex defectu voluntatis testatoris, qua inhabilitatur ad taliter testandum. num. 18.

Hæres extraneus institutus in testamento minus solemni nullo modo est tutus in conscientia. eod. num.

Lex ciuilis positiuè resistit hæredi extraneo instituto in testamento minus solemni. num. 19.

Si hæres extraneus institutus in testamento bene solemnitatibus confecto esset tutus in cõscientia, non posset iudex spoliare hũc hæredem hæreditate relicta, & illam tribuere hæredibus venientibus ab intestato. eodem num.

Qui habet testes deponentes voluntatem testatoris, si faciunt oppositum, dici non potest, quod sint in bona fide. nu. 20.

Duo testes sufficiunt ad testificandum in quacumque causa etiam criminali, vbi agitur de vita, eod. num.

Si testator faciat primum testamentum, & ipsum solemnizet, & postea velit renouare primum, & incipiat facere secundum, & ipsum non perficiat, quia fuit morte præuentus, hæreditas debetur hæredi in primo testamento instituto. nu. 21.

Testamentum imperfectum ratione solemnitatum valet ad pias causas. nu. 22.

Testamentum dicitur deficere in solemnitatibus à iure ciuili requisitis, si non adsint septem testes vel si omnes non sint masculi, & puberes, vel si non omnes sint rogati, vel si non omnes sint subscripti, vel tale testamentum non sit subscriptum manu testatoris, si sciat scribere, vel si est sine hæredis institutione, vel si notarius non sit rogatus, vel si testator non teneat testamentum scriptum in manu sua, & illud declaret esse suum, vel si testamentum non sit scriptum, & sigillatum à testibus in præsentia testatoris. eodem num.

Testamentum dicitur ad pias causas, quando hæres institutus est ecclesia, monasterium, paupertas, &c. huiusmodi. nu. 23.

Potestas ecclesiastica habet ordinare homines ad finem supernaturalem, qui est salus animæ. num. 24.

Alexander III. derogauit legibus ciuilibus annullantibus testamenta minus solemnia. eod. num.

In testamento ad pias causas requiruntur duo, vel tres testes ad hoc, vt valeat in foro fori, in forò verò conscientiæ nõ requiruntur testes. nu. 25.

Requiritur verò, vt disponens habeat potestatem disponendi, & ille, in cuius fauore disponitur, sit capax; & quod dispositio sit libera. eod. num.

Ius canonicum requirit testes in testamento ad hoc, vt possit probari in foro fori, non ad hoc, vt testamentum valeat in foro conscientiæ. eod. num.

Testamentum imperfectum respectu voluntatis testatoris non tenet etiam ad pias causas. num. 26.

Schedula relicta, & firmata manu testatoris, si non fuit lecta, & publicata ab ipso testatore, non tenet etiam ad pias causas. eod. num.

RE-

RESOLVTIO XV.

An quando bonum commune, seu finis legis cessat priuatiuè tantum in aliquo casu speciali, cesset etiam obligatio legis?

1 PRo responsione suppono primò, in lege necessariò requiri bonum commune, cum lex sit ordinatio rationis in ordine ad bonum commune ex Diuo Thoma par. secunda quæst. 96. ar. 1. & 4. Quod commune bonum lex respicere debet, vt finem vltimum, seù vt finem cui, nõ verò vt obiectum, seu finem cuius, & sic lex naturalis de tuenda vita propria, lex charitatis de danda eleemosina extremo indigenti, vel de corrigendo fratrem, & si bonum priuatum respiciũt, tamquam obiectũ, tamen quia dantur toti communitati, sunt commune præceptum, & dantur finaliter ad bonum ipsius communitatis, nam prodest toti communitati conseruatio, subleuatio, & probitas vitę ciuium, & ideo hæ sunt veræ leges. ita Beccanus tract. 3. de ll. cap. 1. q. 6. num. 5.

2 Suppono secũdò, quod bonũ cõmune in lege requisitũ nõ expectatur ab intentione legislatoris, nec operantis. Sed res præcepta ex entitate sua illud continere debet, vt bene à Castro de lege num. 7. vers. ad vltimum &c. Vnde si intentio legislatoris sit praua in ferendo leges, & entitas legis tendat ad commune bonũ, id, quod præcipitur, vera lex est, sicut etiam dicimus de iudicio practico prauo legislatoris: & è contra si intentio legislatoris sit bona in ferendo leges, & entitas præcepta non tendat ad bonum commune, præceptum illud non erit lex. Et ratio huius est, quia intẽtio legislatoris bona, vel praua est aliquid personale, seu est actio priuatæ personæ: ergo nec obesse, nec prodesse potest legi, quatenus ad vtilitatem communẽ spectat, quia Princeps ferendo leges, non vt persona priuata, seu per actionem merè personalem fert, sed tanquam persona publica, & vt caput comitiorum, vt patet. Sicut igitur praua intentio Iudicis in ferendo sententiam iustam non tollit valorem sententiæ, & praua intentio ministri Sacramentorum non tollit Sacramenti valorem; sic nec praua intentio legislatoris tollere debet valorem legis. Igitur bonitas ad legem requisita non est expectanda ab extrinseco, nempe ab intentione legislatoris, nec operantis, sed necessariò requiritur in ipsomet obiecto, seu in re, circa quã lex versatur. Vnde quãdo id, quod à lege prȩcipitur in his, & his circũstantijs, nempe hoc tempore, in hoc loco, in hac gentẽ, & communitate continet vtilitatẽ communem, & sit expediens Reipublicæ; & si intentio ministri sit praua, id quod præcipitur vera lex est, vt diximus, bonitas enim obiecti, seu rei præceptæ non ponitur, seu datur à legislatore, sed supponitur, & ideo hȩc bonitas ab intentione legislatoris non dependet.

Nec obstat, quod talis res præcepta actu non referatur in commune bonũ à legislatore, quum in præcipiendo habeat prauam intentionem.

3 Quia legi sufficit, si res præcepta sit referibilis in cõmune bonũ: omne enim bonum vtile, vt vtile est, de natura sua, aptum est ordinari ad eum finem, ad quem consequendum est accomodatum. His positis.

4 Respondeo ad quæsitum, quod quando finis legis, nempe bonum commune cessat priuatiuè in aliquo casu speciali, obligatio legis non cessat. Et ratio est quia, id, quod præcipitur à lege non est actio, pro vt à tali indiuiduo ordinata ad commune bonum, sed est actio, seu entitas, vt sic, quæ ordinabilis sit à tali indiuiduo ad commune bonum, nam si lex respiceret actionem pro vt est à tali indiuiduo, legislator ferendo leges deberet respicere conditiones vniuscuiusque per-

Digitized by Google

personæ, & sic legislator leges ferret non commnnitati, sed indiuiduis, contra doctrinam vulgatam, quod scilicet lex sit præceptum datum communitati. vt in l. prima & l. Iura ff. de legibus: ergo quando bonitas in entitate præcepta deficit non de natura ipsius entitatis, sed pro vt est à tali indiuiduo, nõ officit legi, quia entitas illa ordinabilis est, ad cõmune bonũ de natura sua, vt supponimus, & vt talis est materia præcepta à lege: quod verò non sit ordinata à tali indiuiduo ad cõmune bonũ, est actio personalis, & omninò extrinseca materiæ legis, seu actioni illi, prout est materia legis, ita ConicK de censuris disp. 14. dub. 14. num. 144.

Nec dicas primò, quod correctio fraterna, seu præceptum correctionis fraternæ non obligat, quando cessat finis in aliquo casu speciali, qui finis est spes emendæ; non enim tenemur corrigere fratrem delinquentem, si desperemus de emenda, & tamen correctio vt sic est præcepta, quæ correctio de natura sua ordinabilis est ad emendã fratris, ergo & si materia, vt sic sit præcepta, tamen si cessat finis in aliquo casu speciali, cessare debet lex ipsa in tali casu.

5 Nam contra est, quia materia correctionis fraternæ non est aliquid absolutum, sed respectiuum, correctio enim fraterna essentialiter connotat subiectum corrigendum, quod non sit in se incorrigibile, sed corrigibile, quia si connotaret subiectum incorrigibile, vana esset correctio, & inutilis, vnde lex correctionis fraternę esset inutilis, & sic nõ obligaret; lex enim inutilis, lex non est, quia lex semper respicere debet commune bonum; vt diximus. Si ergo materia correctionis fraternæ essentialiter connotare debet subiectum corrigendum corrigibile, quando tale subiectum corrigibile non est, illa correctio non est correctio præcepta, quũ non connotet essentialiter corrigibilitatem in subiecto, & consequenter lex correctionis non vrget, non quia cessat finis, sed quia entitas, seu correctio illa, quæ essentialiter non connotat subiectum corrigibile, præcepta non est.

6 Adde cum Suar. lib. 6. de legibus cap. 9. num. 15. quod præceptum correctionis, est præceptum affirmatiuum continens obligationem indefinitam, & non coarctatam ad hoc tempus; & recta ratio dictat, stante incapacitate subiecti non obligare tunc, sed adueniente capacitate. Vnde præceptum correctionis nõ cessat; quia cessat finis, sed potius rationabiliter differtur ad tempus opportunum.

Nec dicas secundò cum Diana prima parte suarum resol. tract. 10. resol. 28. vers. sed vt verum &c. ex Granado in prima secundæ contro. 7. tract. 3. puncto 1. disp. 15. sect. 2. quod quum ratio adęquata legis cessat in generali, (hæc sunt verba Dianæ ex Granado) seu comparatiuè respectu omnium personarum, ac temporum, cessat in generali obligatio legis, ergo quum ratio adæquata legis cessat in aliquo casu speciali, seu comparatione alicuius personæ, & temporis, cessabit obligatio legis in particulari.

Probatur consequentia, quia ita se habet rõ legis in vniuersali ad rõnem cõceptã in generali, sicut lex in particulari ad rationem conceptam in casu particulari: sed quãdo ratio legis cessat comparatione omnium, cessat obligatio legis respectu omninm: ergo quando cessat comparatione vnius, cessabit obligatio legis comparatione illius. Hæc Diana, ex Granado.

7 Nam contra est, quia quando cessat ratio adæquata legis in generali, cessat obligatio legis; nam tunc entitas præcepta remanet sine ratione, & consequenter non potest esse entitas, seù matetia legis, quum remaneat irrationabilis, saltem pro vt est præcepta, & sic verum est antecedens. Sed distinguendum est consequens, cum ratio adæquata legis cessat in aliquo casu seu materia speciali secundum se, & prout est materia legis, cessat obligatio

Digitized by Google

tio legis, concedo consequentiam; cum ratio adæquata legis cessat in aliquo casu, seù materia speciali non secundũ se, sed pro vt est ab aliquo indiuiduo cessare debet obligatio legis, nego cõsequentiam. Et ratio negationis est, quia tunc bonum commune, quod est finis legis non cessat à materia, seu entitate legis, pro vt est præcepta à lege ipsa, quia est præcepta secundum se, & non pro vt est à tali indiuiduo, & sic mirum non est, si cessat obligatio ipsius met legis, nam sufficit, quod materia præcepta ordinabilis sit ad commune bonum, & non quod actu ordinetur à tali indiuiduo, vt dixi. Ad probationem verò consequentiæ dico, quod falsũ est, ly sicut, nam lex siue consideretur in casu particulari, siue in vniuersali, semper habet rationem communem, seu bonum commune pro ratione finali, seu pro suo vltimo fine, & per hoc differt lex à præcepto.

Vnde, si ratio legis cessat in aliquo casu particulari non in se, sed pro vt est ab operante, cessatio illa non est respectu rei præceptæ, pro vt est materia legis, quum res præcepta, pro vt est materia legis, semper retineat commune bonum, saltem aptitudinaliter, vt supponimus; sed cessatio illa est respectu talis indiuidui operantis, vt patet, nam materia illa præcepta semper retinet referibilitatem ad bonum commune, & si actu non referatur ad commune bonum à tali indiuiduo.

8 At materia indiuidua vt sic, nempè quæ est ab indiuiduo, sed non pro vt est à tali indiuiduo, est præcepta, & materia ordinabilis, & nõ cum ordinatione actuali ad commune bonum, est à lege præcepta vt dixi, igitur quando ratio communis, seu vniuersalis legis non cessat in aliquo casu speciali, seu in materia speciali secundum se, & si cesset, pro vt est à tali indiuiduo, quia secundum hanc rationem non est præcepta, obligatio legis cessare non debet in tali indiuiduo.

9 Differt verò finis legis à fine operantis, quum possit operans per actionem peccaminosam legi satisfacere, & tunc entitas illa præcepta non erit peccaminosa, pro vt est materia legis, sed pro vt est à tali indiuiduo, vt patet in ieiunãte in vigilia ob vanam gloriam, & in alijs similibus.

Nec dicas tertiò cum eodem Diana l. cit. quod valet argumentari de toto ad partem, l. quæ de tota ff. de rei vendicatione: sed quando ratio legis cessat in totum, cessat etiam lex in totum: ergo quando ratio legis cessat in partem, in partem etiam cessabit lex.

10 Nam contra est, quia hoc argumentum probat tantum, quod si finis legis sit diuisibilis, & cessat in partem, obligatio legis cessabit etiam in partem, quod nos nõ negamus, exempli gratia, si finis cuiusdam gabellæ in hoc Regno sint duæ necessitates, si cessent ambæ, vtiq; cessabit gabella. At si cesset vna necessitas, gabella cessabit in partem, quia finis, seu ratio impositionis, etiam cessauit in partem, & sic hoc argumentũ nihil probat cõtra nos, quod scilicet si cesset finis, seu ratio legis in aliqua entitate particulari, non in se, & pro vt est materia legis, sed pro vt est à tali indiuiduo, non cesset obligatio legis.

Nec obstat dicere, quod actio indiuidua est à lege præcepta, ergo pro vt est à tali indiuiduo: quum non præcipiatur actio in abstracto à lege, sed quæ est ab indiuiduo. Quia & si præcipiatur actio indiuidua à lege, non tamen præcipitur pro vt est à tali indiuiduo, vt dixi; prohibet enim Episcopus locutionem cum monialibus, adhoc vt moniales nõ disturbentur exempli gratia, consequenter prohibet locutionem, quæ est indiuidua, id est, quæ facienda est ab aliquo indiuiduo indifferenter, sed non pro vt est à Petro exempli gratia, Paulo &c. quando verò in locutione facta à Petro cessat disturbatio monialium, quæ est finis legis, vt supponimus, tunc non cessat in locutione illa Petri possibilitas ad disturbandum, mo-

Digitized by Google

moniales, & si actu non disturbet, & pro vt non disturbat est à Petro, & vt sic prohibita non est, pro vt verò hæc locutio habilis est ad disturbandum, est materia legis, & à lege interdicta, ergo in illa locutione non cessat finis legis, pro vt est materia ipsiusmet legis, & si indiuidua sit, sed pro vt est à tali indiuiduo; ergo non pro vt est materia legis, sed pro vt est à tali indiuiduo caret fine legis.

Nec dicas quartò cum eodem Diana ex Granado locis citatis, quod lex non solum obligat omnes in generali, sed singulos in speciali, ergo sicut deficiente ratione apud omnes; (hæc sunt verba Dianæ) manent omnes de obligati, ita deficiente apud vnum, manebit vnus deobligatus.

11 Nam contra est, quia ad antecedens dico, quod lex obligat singulos in speciali, sed non pro vt singuli sunt, sed pro vt sunt compartes vnius communitatis; singuli enim ciues tenentur ad leges, nō vt singuli; sed quatenus componunt vnam communitatem. Et sic ad consequentiam dico, quod deficiente ratione aqud omnes, remanent omnes deobligati, quia omnes componunt vnum corpus, vnde deficiente ratione respectu huius corporis, deficit obligatio legis respectu omnium compartiū cōponentiū tale corpus, & sic deficiēte fine legis respectu vnius, vt compars est communitatis, debet deficere obligatio legis respectu huius, concedo consequentiam; deficiente fine legis respectu vnius, vt indiuiduum est, deficere debet obligatio legis, vtique negatur consequentia. Quia cum abligatio legis deueniat huic indiuiduo ex eo, quia est compars huius communitatis, deobligatio in tali debet cessare in ipso prius, vt compars est, & deinde, vt indiuiduum est. At quando cessat finis in aliquo, vt indiuiduum est, tunc non cessat finis in tali, vt pars communitatis est, quia vt pars communitatis est, ei præcipitur aliquid ordinabile ad bonum commune, & sic bonum commune aptitudinale respectu huius indiuidui est finis legis, & entitas præcepta, & licet non ordinetur actu ad cōmune bonum à tali indiuiduo, tamen ordinabilis est ad tale commune bonum, ergo nō cessat in tali obligatio legis secundum quod ille tenetur ad legem, licet cessat finis in tali casu speciali. Quia aliter dicendo, prius deobligaretur, vt indiuiduū, & deinde, vt compars, quod dici non potest, nam quum tunc non amittat esse compartis, deobligari non potest à lege communi.

Nec dicas quintò, quod cessante præsumptione in aliquo casu speciali, cessat obligatio, siuè legis, siuè præcepti, ergo à fortiori cessante fine legis in particulari cessare debet obligatio legis. Nam præsumptio, in qua lex, seu præceptum fundatur, est occasio, cur lex, aut præceptum feratur. Si enim per falsos testes Petrus sit declaratus debitor tuus, Iudex fundatus in hoc præcipit dicto Petro, vt tibi soluat debitum, finis enim Iudicis in hoc præcepto est vt ponatur æqualitas inter te creditorem, & Petrum debitorem, occasio verò huius præcepti fuit præsumptio, quia nimirum secundum allegata, & approbata Petrus præsumitur debitor tuus; omnes tamen fatentur, quod dictus Petrus non tenetur in conscientia dictum debitum tibi soluere; quod si per vim soluat, pōt clā recipere omne solutum, & hoc ideo, quia præsumptio cessat. Sic etiā fuisti institutus hæres Ioannis, exempli gratia, & non feciſti inuentarium, & condemnatus fuisti à Iudice ad soluenda debita excedentia vires hæreditatis, non teneris soluere debita illa, etiam post sententiam secundum veriorem doctrinam, teste Suar. tomo primo summæ lib. 4. cap. 15. num. 37. Et hoc ideo, quia lex illa fundatur in præsumptione, quod scilicet occultasti bona hereditatis; vnde si re vera non occultasti, præsumptio

Digitized by Google

cessat, & cessat etiam obligatio legis: ergo à fortiori cessabit obligatio legis in casu particulari, si cesset finis in casu particulari.

12 Nam contra est, quia non semper verum est, quod quando cessat præsumptio legis, cessat ipsius obligatio, sed tunc tantum cessat obligatio legis, cessante ipsius præsumptione, quando præsumptio est iuris, & de iure; at quãdo est præsumptio iuris tantum, tunc, & si cesset legis præsumptio, tamen non cessat legis obligatio, quia de hac præsumptione philosophamur, vt de fine legis. Ita Vasquez in 1.2. disp. 164. cap. 3. Basil. Pont. lib. 5. de matrim. cap. 5. num. 6.

13 Dicitur præsumptio iuris, & de iure, quando lex habet pro suo fundamento, seu subiecto, præsumptionem ipsam, etiam in casu particulari; vnde lex fundata in tali præsumptione aliquid statuit, quia quod ipsa lex præsumit, verũ putat etiam in casu indiuiduo, & particulari; sic est præsumptio Pontificis in cap. veniens il secondo & in cap. is qui fidem, de sponsalibus. Vbi Pontifex statuit, sponsalia de futuro per copulã formalẽ subsequutã transire in legitimum matrimonium. Dixi per copulã, nã oscula, & tactus nõ sufficiũt, imo nec conatus ad consũmandum sufficit, nisi re vera cõsummetur, vt decernitur in cap. fin. de sponsalibus, ita Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. concl. 3. Imo Panor. tenet, quod licet quis puellam defloruerit, si tamen non seminauit in vase legitimo, sponsalia de futuro cum tali puella contracta non transire in legitimum matrimonium. Et ratio huius est, quia quum Ecclesia in tali casu ex præsumptione procedat deuiando à communibus regulis iuris, non debet id iudicare, nisi absoluta fuerit consũmatio, & hanc opinionem communem appellat Siluester verbo matrimonium secondo §. 16. Dixi præterea per copulam subsequutam, nam si copula antecessit, & sponsalia subsequuntur, sponsalia hæc non transeunt in legitimum matrimonium, vide Sotum loc. cit. Determinauit verò Pontifex in prædicto cap. veniens, & in cap. 5. quod sponsalia conditionata transeant in matrimnnium absolutum, si subsequatur copula, non quia Pontifex putauit, quod ad legitimum matrimouium non requiratur consensus absolutus, sed quia putat, quod nemo velit cum peccato fœminam cognoscere, quum possit sine illo: & hoc præsumit Pontifex, non vt plurimum, sed simpliciter in omnibus copulis habitis post sponsalia contracta, etiam si talis copu-

14 la sit à Petro, vel ab alio indiuiduo. Quæ doctrina vera est, vbi concilium Tridentinum non est acceptatum: & vbi concilium est acceptatum verificatur de matrimonio contracto sub conditione, non verò de sponsalibus. Ita Basil. Pont. lib. 3. de matrimonio cap. 14. num. 6. Hæc verò præsumptio dicitur iuris, & de iure: iuris, quia ita præsupponitur, seu præsumitur esse factum hoc particulare. Dicitur de iure, quia stante hac præsũptione iuris, de iure aliquid statuitur; verũ si talis præsũptio cessat, & vera non est, obligatio legis in coscientia etiam cessabit; nam veritas præfertur præsumptioni, argument. ex cap. super hoc de renunciatione, & docet Abbas in cap. quia plerique num. 18. de immunitate Ecclesiastica. Couarr. in cap. quum esses num. 9. de testamentis. Nauar. in cap. Ita quorundam de Iudæis notabili 10. num. 29. vnde etiam præceptum Iudicis, seu superioris fundatum in simili præsumptione, cessat, si talis præsumptio cessat, & de hac præsumptione verificatur illud axioma, quod scilicet lex fundata in aliqua præsumptione falsa non obligat in coscientia. Nam quum tunc corru[illegible]damentum legis, lex ipsa, co[illegible]t. Hinc est, quod quand[illegible] de futuro, acce[illegible] marita-

[illegible] no forni-

ca-

cano, vt ipſe
iure ipſo co
poſtea alia
mam re
matrimonium
ſu abſo
matrimo
fuit cum
copula
coſ
qui
hab
al
pu
t
al
a
15 in
qui
ſun
in ta
ſolen
tatis. Se
occulta
Ita Sanchez
85. num. 6
cendum de
enim tenet
ſententia de
ſa præſumptio
eſt de excom
innocentem, q
hic talis non
communione fidel
abeſt. Ita Pontius lib. 5. de
nio cap. 5. num. 9.

16 Præſumptio iuris
quando ſcilicet lex non
dem, aut aliud inco
quoque caſu particulari
ſumit, vt plurimum in
putat in illa re vt plurimum
occaſionem præberi, vt
in
contingat, &
mitidam hanc
m
b vnde periculum

inſtituto: ergo
itur, quod pro-
orent voluntа-
lla hæreditaria
us ab inteſtato,
us ſolemni:
mperfectum ra-
on valere in foro
ientiæ, niſi ſit ad
ad pias cauſas, &
bus requiſitis de
tum erit validum
Vaſquez l. cit. nu.
. 19. dub. 2. Dici-
ficere in ſolemni-
iure ciuili, ſi non
, vel ſi omnes non
eres, vel ſi non om-
l ſi non omnes ſub-
non ſit ſubſcriptum
ſcribere ſciat, vt vi-
conſultiſſima. C. de
n quando teſtamẽtum
inſtitutione. Ita Iulius
mentum q. 6. num. 8.
s non ſit rogatus, vel ſi
ntum ſcriptum non te-
ua, & illud declaret eſſe
ntum, ſic etiam ſi teſta-
ſit ſcriptum, & ſigillatum
præſentia teſtatoris. De
mibus vide Affl. dec. 143.
verò teſtamentum eſſe ſa-
pias cauſas, quando hæres,
inſtitutus, eſt cauſa pia, videli-
leſia, monaſterium, Pauperes
uſmodi, vt benè Leſſ. l. cit.

dicti eſt,
habet ordi
finem ſup
ergo
ad

Digitized by Google

cessat, & cessat etiam obligatio legis: ergo à fortiori cessabit obligatio legis in casu particulari, si cesset finis in casu particulari.

12 Nam contra est, quia non semper verum est, quod quando cessat præsumptio legis, cessat ipsius obligatio, sed tunc tantum cessat obligatio legis, cessante ipsius præsumptione, quando præsumptio est iuris, & de iure; at quãdo est præsumptio iuris tantum, tunc, & si cesset legis præsumptio, tamen non cessat legis obligatio, quia de hac præsumptione philosophamur, vt de fine legis. Ita Vasquez in 1.2. disp. 164. cap. 3. Basil. Pont. lib. 5. de matrim. cap. 5. num. 6.

13 Dicitur præsumptio iuris, & de iure, quando lex habet pro suo fundamento, seu subiecto, præsumptionem ipsam, etiam in casu particulari; vnde lex fundata in tali præsumptione aliquid statuit, quia quod ipsa lex præsumit, verũ putat etiam in casu indiuiduo, & particulari; sic est præsumptio Pontificis in cap. veniens il secondo & in cap. is qui fidem, de sponsalibus. Vbi Pontifex statuit, sponsalia de futuro per copulã formalẽ subsequutã transire in legitimum matrimonium. Dixi per copulã, nã oscula, & tactus nõ sufficiũt, imo nec conatus ad consũmandum sufficit, nisi re vera cõsummetur, vt decernitur in cap. fin. de sponsalibus, ita Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. concl. 3. Imo Panor. tenet, quod licet quis puellam deflorauerit, si tamen non seminauit in vase legitimo, sponsalia de futuro cum tali puella contracta non transire in legitimum matrimonium. Et ratio huius est, quia quum Ecclesia in tali casu ex præsumptione procedat deuiando à communibus regulis iuris, non debet id iudicare, nisi absoluta fuerit consũmatio, & hanc opinionem communem appellat Siluester verbo matrimonium secondo §. 16. Dixi præterea per copulam subsequutam, nam si copula anteceſſit, & sponsalia subsequuntur, sponsalia hæc non transeunt in legitimum matrimonium, vide Sotum loc. cit. Determinauit verò Pontifex in prædicto cap. veniens, & in cap. 5. quod sponsalia conditionata transeant in matrimnnium absolutum, si subsequatur copula, non quia Pontifex putauit, quod ad legitimum matrimouium non requiratur consensus absolutus, sed quia putat, quod nemo velit cum peccato fœminam cognoscere, quum possit sine illo: & hoc præsumit Pontifex, non vt plurimum, sed simpliciter in omnibus copulis habitis post sponsalia contracta, etiam si talis copu-

14 la sit à Petro, vel ab alio indiuiduo. Quæ doctrina vera est, vbi concilium Tridentinum non est acceptatum: & vbi concilium est acceptatum verificatur de matrimonio contracto sub conditione, non verò de sponsalibus. Ita Basil. Pont. lib. 3. de matrimonio cap. 14. num. 6. Hæc verò præsumptio dicitur iuris, & de iure: iuris, quia ita præsupponitur, seu præsumitur esse factum hoc particulare. Dicitur de iure, quia stante hac præsũptione iuris, de iure aliquid statuitur; verũ si talis præsũptio cessat, & vera non est, obligatio legis in coscientia etiam cessabit; nam veritas præfertur præsumptioni, argument. ex cap. super hoc de renunciatione, & docet Abbas in cap. quia plerique num. 18. de immunitate Ecclesiastica. Couarr. in cap. quum esses num. 9. de testamentis. Nauar. in cap. Ita quorundam de Iudæis notabili 10. num. 29. vnde etiam præceptum Iudicis, seu superioris fundatum in simili præsumptione, cessat, si talis præsumptio cessat, & de hac præsumptione verificatur illud axioma, quod scilicet lex fundata in aliqua præsumptione falsa non obligat in coscientia. Nam quum tunc corruat fundamentum legis, lex ipsa corruere debet. Hinc est, quod quando quis post sponsalia de futuro, accessit ad sponsam sine animo maritali, seu coniugali, sed cum animo forni-

ca-

Digitized by Google

cario, vt ipsemet optimè nouit, etiam si iure ipso cogatur cum ipsa habitare, si postea aliam ducit, non potest ad primam redire, quia posterius fuit verum matrimonium; nam fuit cum consensu absoluto, vt supponimus, prius verò matrimonium non fuit verum, quia fuit cum consensu conditionato. Nec copula subsequuta aliquid operatur in conscientia ad consensum absolutum, quia, vt supponimus, ille talis nunquã habuit per talem copulam animum absolutum contrahendi. Imo postquã ad primam accessit animo fornicario, potest ducere aliam, quantum est ex vi huius legis præsumentis consensum absolutũ ratione copulæ subsequutæ: nisi teneatur contrahere cum prima ratione damni illati, & fidei præstitæ,

15. Ita Vasquez l. cit. n. 16. & 17. sic etiam quia non fecisti inuentarium lex præsumit, quod occultasti bona, & fundata in tali præsumptione te condemnat ad soluendum debitum vltra vires hæreditatis. Si re vera, bona hæreditatis non occultasti, cessat hæc obligatio legis. Ita Sanchez tomo 1. summæ lib. 4. cap. 15. num. 67. in fine. Sic etiam est dicendum de debito falsè probato, non enim tenetur quis illud soluere, quia sententia de soluendo fundatur in falsa præsumptione. Sic etiam dicendum est de excommunicatione lata contra innocentem, qui probatus est nocens, hic talis non tenetur se abstinere à communione fidelium, vbi scandalum abest. Ita Pontius lib. 5. de matrimonio cap. 5. num. 9.

16 Præsumptio iuris tantum ea est, quando scilicet lex non præsumit fraudem, aut aliud incommodum in vnoquoque casu particulari, sed illud præsumit, vt plurimum in illa re, seu lex putat in illa re vt plurimum maximam occasionem præberi, vt fraus, aut aliud incommodum contingat, & ideo aliquid statuit ad euitandam hanc fraudẽ, quæ vt plurimum euenire potest, & si actu nõ eueniat, vnde periculum fraudis est per modum obiecti ideo enim aliquid statuit ad hoc, vt euitetur fraus possibilis, & quando hæc præsumptio cessat in aliquo casu speciali, obligatio legis non cessat, quia tunc præsumptio se habet per modum finis, vt optimè Vasquez loc. cit. num. 19. Ita est lex præcipiens contrahi cum tali, & tali solemnitate, aliter contractus sit nullus, sic etiam lex testamenti, quod stipuletur cum tot testibus, & cum his, & his solemnitatibus; quia verò fraus præsumpta à lege non consideratur in singulis casibus, sed vt plurimum; nec fraus est subiectum, in quo lex fundatur, sed potius obiectum, & per modum finis; ideo si deficiunt solemnitates in aliquo speciali testamento, testamentum erit nullum, etiam si nulla fraus intercessit, quia in hoc testamento sine solemnitatibus potest intercedere fraus, & si de facto non intercessit, & fraus præsumpta, vt possibilis, & non vt actualis fuit obiectum legis, & ad finem euitandi illam introductæ, seu præceptæ fuerunt solemnitates in testamentis à lege, vt optimè Suarez lib. 5. de legibus cap. 24. num. 5. Adde, quod legislator ferens legem testamentorum, vel contractuum suæ communitati, potest iustè decernere, quod aliquod testamentum in particulari sit nullum deficiendo in solemnitatibus, etiam si fraus non intercessit propter bonum commune aliorum testamentorum, in quibus non rarò fraus interueniret, si lex de solemnitatibus testamentorum non seruaretur; bonum enim priuatum postponẽdũ est bono communi. Ita Vasquez l. cit. num. 19.

Nec obstat dicere, quod quando præsumptio iuris cessat, cessat etiam obligatio legis in foro fori tantum, nõ verò in foro conscientiæ. Si enim fuisti institutus hæres in testamento minus solemni, hæreditas est tibi debita in foro conscientiæ, & si in foro fori non possis illam petere, vt ait Pontius lib. 5. cap. 5. num. 13.

Digitized by Google

17 Quia quando testamentum deficit in solemnitatibus non valet, neq; in foro fori, neq; in foro coscientiæ, nisi fit ad pias causas. Ita Vasquez in opusc. de testamentis cap. 3. dub. 1. Bonac. de contractibus disp. 3. q. 1. punct. 3. num. 2. & alij apud ipsos. Et ratio est, quia sicut testator potest apponere aliquas conditiones in testamẽto, quibus non seruatis, testamentum erit nullum, etiam in foro conscientiæ, ita poterit ius positiuum apponere aliquas conditiones in forma testamenti, seù in modo testandi ob bonum publicum, quibus non seruatis, testamentum erit nullum. Nam sicut potest ius positiuũ inhabilitare aliquem ad simpliciter testandum, ita poterit prescribere formã ad taliter testandum; sed de facto lex positiua prescripsit formam testamẽti, qua non seruata vult testamentum esse nullum, vt patet in l. hac consultissima Cod. de testamentis, vbi hæc habes. Non subscriptum à testibus, ac non signatum testamentum, pro infecto haberi constituit. & subdit in §. ex imperfecto. Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti (nisi inter solos liberos à parentibus vtriusq; sexus habeatur) non volumus &c. & in §. ex eo instit. quibus modis testamenta infirmentur, hæc habes; Imperfectum testamentum nullum est &c. Ergo si non seruatur talis forma à lege præscripta, testamentum erit nullum etiam in foro conscientiæ.

Nec satisfacit Less. de iust. lib. 2. cap. 19. dub. 3. num. 26. dicendo, illas leges loqui de nullitate in foro externo, quia in foro externo (hæc sunt verba Lessij) non datur actio ex tali testamento; lex enim ciuilis ei non assistit, non tamen ei resistit.

18 Quia dum in dicta l. hac consultissima dicitur, voluntatem tenere defuncti non volumus &c. ergo inhabilitat testatorem ad taliter disponendum. Si enim vellet textus testamentum inhabilitare tantum in foro fori, dixisset potius, Non volumus testamentum valere, nam testamentum deseruit in foro fori, & producitur pro acquirenda hæreditate, non verò voluntas testatoris. Quum ergo dicat, Nolumus voluntatẽ defuncti tenere, signum est, quod inhabilitat testatorem ad disponendum sine solemnitatibus; voluntas enim testatoris esset ratio, cur possit ille talis sic institutus hæres hæreditatem adire in foro conscientiæ: at si non solum testamentum, sed neq; voluntas testatoris tenet, nec habet vnde sit tutus in conscientia talis institutus hæres in minus solemni testamento: non enim est tutus ex testamento, quia hoc nullum est in conscientia, neq; ex dispositione legis, ergo non remanet, ex quo capite sit tutus.

Adde, quod textus iam dixerat paulo ante in vers. non subscriptum &c. testamentum non subscriptum, vel non signatum, pro infecto haberi, quod est verum saltem in foro fori. Quum ergo subdat, ex imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti non volumus, manifestè colligitur, quod non solum declarat testamentum nullum, sed etiam inhabilitat ad aliter disponendum, quam per solemne testamentum. In testamento enim imperfecto, continetur testamentum non subscriptum, sicut species in genere.

Nec est verum, quod Lessius putat; nempè quod lex ciuilis huic instituto in testamento minus solemni non resistit, & si non assistat. Nam lex ciuilis huic sic instituto positiuè resistit, quum text. subdat hæc verba, Si in huiusmodi voluntate liberis alia sit persona mista: certum est, eam voluntatem defuncti quantum ad illam dumtaxat permistam personam pro nullo haberi, sed liberis accrescere &c.

19 Quum verò tex. spoliet hæreditate extraneum institutum hæredem cum filijs testatoris in testamento minus solemni, & partem huius tribuat filijs testatoris in eodem testamento minus solemni relictis hæredibus, manifestè lex positiuè resistit huic hæredi extraneo

neo in testamento minus solemni relicto.

Insuper si testamentum sine solemnitatibus valeret in coscientia, sequeretur, quod si hæres in tali testamento institutus esset in possessione hæreditatis, nō posset iudex spoliare talē hērēdē hac hæreditate, & illā tribuere veniētibus ab intestato, nā sic faciēdo faueret apertè iniustitiæ, & causa ipsius Iudicis hæredes ab intestato possiderent, quod rationali iure debetur hæredibus ex testamento.

Nec satisfacit Less. loco cit. n. 28. dicendo, quod præsupponuntur bona fide agere venientes ab intestato, nec scire, aliam esse defuncti voluntatem, & ideo datur eis repetitio.

20 Nam quomodo bona fide agere possunt venientes ab intestato, & ignorare voluntatem testatoris, si exempli gratia, testamentum deficiat tantum in testibus? si enim testes subscripti sint quatuor tantum, testamentum erit nullum ex eo; quia deficit in sufficientia testium; & tamen habet hoc testamentum quatuor testes testificantes voluntatem testatoris. Duo.n. testes sufficiūt ad testificandum in quacumq; causa, ēt criminali, vbi agitur de vita, l. vbi numerus ff. de testibus? & S. Matthæus cap. 18. ait in ore duorū, vel trium stat omne verbum. Et ipsemet Less. fatetur l. cit. num. 25. ergo à fortiori debent sufficere ad testificandam voluntatem testatoris: non enim dici potest, quod bona fide agant venientes ab intestato ex eo, quia ignorant voluntatem testatoris, nam voluntatem testatoris sufficienter cognoscunt per quatuor testes. Et etiam quod Iudex sciat venientes ab intestato rectè scire voluntatem testatoris, adhuc bona illa ipsis adiudicat, vt patet in simili casu expresso in l. ex parte ff. de admittenda legatione, vbi expresse constat voluntas defuncti de reuocando testamentum, & alium hæredem instituendo; & tamen quia cœpit facere tantum aliud testamentum, & non perfecit, hæreditas fuit adiudicata hæredi solemniter instituto: ergo non quia à Iudice creditur, quod procedant bona fide, & ignorent voluntatem testatoris bona illa hæreditaria adiudicantur venientibus ab intestato, stante testamento minus solemni.

22 Dixi, testamentum imperfectum ratione solemnitatum non valere in foro fori, nec in foro conscientiæ, nisi fit ad pias causas, quia si sit ad pias causas, & deficiat in solēnitatibus requisitis de iure ciuili, testamentum erit validum in vtroque foro. Ita Vasquez l. cit. nu. 17. Less. lib. 2. cap. 19. dub. 2. Dicitur testamentum deficere in solemnitatibus requisitis à iure ciuili, si non adsint septem testes, vel si omnes non sint masculi, & puberes, vel si non omnes sint rogati; vel si non omnes subscripserint, vel si non sit subscriptum manu testatoris, si scribere sciat, vt videre est in l. hac consultissima. C. de legibus, sic etiam quando testamētum est sine hæredis institutione. Ita Iulius Clarus §. testamentum q. 6. num. 8. Item si Notarius non sit rogatus, vel si testator testamentum scriptum non teneat in manu sua, & illud declaret esse suum testamentum, sic etiam si testamentum non sit scriptum, & sigillatum à testibus in præsentia testatoris. De quibus omnibus vide Affl. dec. 143.

23 Dicitur verò testamentum esse factum ad pias causas, quando hæres, qui est institutus, est causa pia, videlicet Ecclesia, monasterium, Pauperes &c. huiusmodi, vt benè Less. l. cit. num. 1.

24 Ratio verò dicti est, quia potestas ecclesiastica habet ordinare actiones hominum ad finem supernaturalem, qui est salus animæ, ergo potestas hæc Ecclesiastica se extendit ad submouendum, & tollendum omnia, quæ impediunt cursum, & studium bonorum operum pertinentium ad salutem animarum, ergo potest Pontifex, in quo residet plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, his legibus ciuilibus derogare. Sed de facto Alexāder Tertius his legibus dero-

derogauit, vt in cap. relatum il primo de testamentis, vbi hæc habes; Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est in ore duorum, vel trium stat omne verbum &c. ergo testamentum sine solemnitatibus erit validum ad pias causas, etsi deficiat in solemnitatibus à iure ciuili præscriptis.

25 Requiruntur verò in testamento ad pias causas duo, vel tres testes ad testificandum in foro fori tantum, at in foro conscientiæ non requiruntur testes inquit Less. l. cit. num. 7. nam in his testamentis sufficit quod sufficiens sit de iure naturali, nempè vt disponens habeat potestatem disponendi; ille, in cuius fauorem disponitur sit capax dispositionis, & dispositio sit libera. Quod patet, nam nulla solemnitas iuris ciuilis requiritur in his testamentis, vt patet ex præcitato cap. relatum, neq; testes requiruntur de iure Canonico, nam ius Canonicum non requirit testes ad hoc, vt valeat dispositio in foro conscientiæ, sed vt possit probari in foro externo, quantum satis est, vt Iudex pro ea dispositione sententiam ferat, quum dicat textus ibi. Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam, non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis; loquitur igitur tantum in foro externo, non autem in foro conscientiæ.

26 Dixi, si testamentum ad pias causas deficiat in solemnitatibus requisitis de iure ciuili, nam si testamentum sit imperfectum respectu voluntatis testatoris, non valet etiam ad pias causas. Exempli gratia testator graui morbo laborans plura disponit circa proprium testamentum etiam ad pias causas, & dicit, Sic volo testari. Dum ergo iusserat, aut animo destinauerat, vt Notarius, & testes vocarentur, & fieret solemne testamentum, obijt. Hoc testamentum erit nullum, etiam ad pias causas. Ita Couarruuias in dicto capitulo relatū, Il primo, qui nonnullos citat. Thomas Sanch. lib. 4. consil. mor. cap. 1. dub. 7. num. 5. sic etiam si fuit inuenta schedula manu testatoris scripta, si non fuit lecta, & publicata ab ipso testatore non tenet ex defectu voluntatis etiam ad pias causas. Ita Grammaticus decis. 62. num. 14. qui citat Oltrandum cons. 119. Et ratio huius est, quia hæ non sunt veræ dispositiones, sed præparatoria dispositionum, & sic testator non disposuit, sed præparauit se ad disponendum, vt optimè Decius in cons. 149. & 488.

SVMMARIVM.

Qui certò scit, se nullum habere impedimentum ad matrimonium contrahendum, non potest licitè matrimonium contrahere sine denunciationibus, nu. 1. & num. 5.

Denunciationes præcepta sunt denunciationes, quæ possunt detegere impedimenta, non quæ actu detegunt. eod. num.

Et si cesset finis à publicationibus pro vt sunt à tali iudice duo contrahentes, cum certò scias talis contrahens, se nullū habere impedimentum, tamen non cessat obligatio illas præmittendi, num. 2.

Quãdo lex positiua prohibet aliquod malum, quod primò mouet legislatorem, est periculū mali, quod ex tali actione potest sequi. ratio verò proxima mouens est dirigere cõmunitatem in euitationem illius mali, num. 3.

Prohibitio facta à lege non solum cadit supra casum, in quo hic, & nunc est periculum mali prohibiti, sed etiam supra omnes casus particulares, etiam vbi tale periculum abest. eod. num.

Quod matrimonium contrahatur sine impedimento debet cõstare non solum contrahentibus, sed etiam ecclesiæ, num. 4.

Qui sine licentia Episcopi matrimonium contrahit sine denunciationibus, peccat mortaliter num. 5.

Præceptum de præmittenda denunciationes an-

se

te matrimonium est de materia graui. n. 6.

Matrimonium sine denunciationibus contractum dicitur clandestinum. eod. num. eædem pœnæ dantur pro matrimonio clandestino, ac pro matrimonio contracto sine solemnitatibus, & eadem incommoda, & mala retinent matrimonia sine solemnitatibus contracta, ac clandestina. eod. num.

Qui contrahit sine denunciationibus, si postea aduertat habuisse aliquod impedimentum dirimens, desperatur de dispensatione. nu. 7.

Thomas Sanchez, & alij putant, quod qui relinquit vnam tantum publicationem, peccet tantum venialiter. num. 8.

Quod sit peccatum mortale, putant alij, & verius. eod. num.

Quando parua materia trahit secum totam rationem malitiæ prohibitæ, tunc parua non dicitur in ordine ad peccatum. nu. 9.

Qui panem diurnum furatur villico, & si valoris dimidij caroleni, peccat mortaliter. eod. num.

Qui fragmentum Eucharistiæ, vel guttam olei sancti pretio vendit, simoniam cõmittit. nu. 10.

Grauitas, vel leuitas peccati non desumitur à materia præcepta, sed à fine, ad quem materia ordinatur. nu. 11.

Quoties materia vnius peccati venialis non cõtinuatur saltem moraliter cũ materia alterius peccati venialis, vel quoties effectus relictus ab vno peccato veniali non potest cõtinuari cũ altero effectu relicto ab altero peccato veniali, multiplicatio transgressionum nunquam constituit peccatum mortale, num. 12.

Qui in diuersis diebus festiuis habet animum paruo tempore laborandi, non est in statu peccati mortalis. Qui vouit recitare orationem angelicam singulis diebus, vel modicã eleemosinam dare, si habet animum nõ dicendi per annum integrum, non est in statu peccati mortalis. eod. num.

Qui modicum cibum sumit singulis diebus quadragesimæ, non peccat mortaliter. Secus verò est dicendum, si eodem die festiuo parum temporis laborat, vel si eodem die quadragesimæ pluries parum cibi sumit; iunc enim transgressor peccat mortaliter. eod.

Effectus productus ab vna publicatione non continuatur cum altero perducto ab altera publicatione. nu. 13.

Vna publicatio, & si materia leuis sit, tamen continet in se totam malitiam, & respicit adequatè finem præcepti publicationum. num. 14.

RESOLVTIO XVI.

Quidam contraxit matrimonium post secundam publicationem, relicta tertia, cum certò sciret, se nullum habere impedimentum, an peccauit mortaliter?

1 PRo responsione suppono primõ, quod si quis certò sciat, se nullã habere affinitatem, vel consanguinitatem, vel aliquod impedimentum cum aliqua, non potest licitè cum hac contrahere matrimonium sine denunciationibus. Ita Pont. lib. 5. de matrimonio cap. 30. num. 3. Conick. de Sacramentis disp. 26. num. 51. Thom. Sanch. tomo 1. de matrimonio lib. 3. disp. 5. num. 6. Et ratio est, quia à Conc. Trid. præcipiuntur publicationes, quæ de natura sua detegere possint impedimenta, & si nunquam detegant. Nam si publicationes, quæ actu detegunt impedimenta, essent præcepta, sequeretur, quod nunquam aliquis teneretur præmittere denunciationes ad matrimonium, nisi dubitaret de aliquo impedimento, quod est falsum apud omnes. Sequela patet, quia publicationes essent frustratoriæ, stante, quòd nullum dubium esset de impedimento.

2 Vnde, & si finis præcepti cesset in his publicationibus, pro vt sunt à tali indiuiduo, quia tale indiuiduum certò scit nullum habere impedimentum; non tamen cessat finis à publicationibus secundum se consideratis, & pro vt præscindunt à tali indiuiduo, quia si secun-

Digitized by Google

secundũ se considerentur,& pro vt prescindunt à tali indiuiduo cõtrahente, habiles sunt ad detegendum impedimenta.

3 Confirmatur primò, quia quãdo lex positiua prohibet aliquam actionem, primum motiuum huius prohibitionis est periculum mali, quod ex tali actione natum est sequi; proxima tamen ratio huius prohibitionis est dirigere communitatem in euitationem illius mali. Ita Conick. disp. 26. dub. 2. n. 21. vnde prohibitio illius actionis non solum cadit necessariò supra casum, in quo hìc,& nunc est aliquod periculum illius mali, sed etiam generatim supra omnes casus particulares, etiam vbi tale periculum non sit, quia alias ferè omnes homines sibi persuaderent, vel ratione imprudentiæ, vel ratione temeritatis, sibi hic,& nunc nullum tale periculum imminere, etiam vbi maximè immineret. Lex enim præcipiendo intelligit hanc imprudentiam dirigere, & temeritatem refrænare immediatè. Vnde quandiù illud periculum in generali manet, nunquam cessat tota ratio legis positiuæ,& consequenter nec obligatio ipsius, sed,& si cessat periculum in particulari contrahendi cum affine, nõ tamẽ cessat periculũ in communi, vt patet; ergo nec cessat obligatio præmittendi denunciationes.

4 Confirmatur secundò, quia quod sponsi contrahant sine affinitate, seu in gradu prohibito, nõ solum debet constare coniugibus contrahentibus, sed etiam Ecclesiæ, coram qua cõtrahunt, & à qua ferè proueniunt impedimenta matrimonij: sed Ecclesia nõ iudicat, id sibi sufficienter constare, nisi fiant publicationes, aut Iudicio Episcopi remittantur, vt optimè Coninc. disp. 27. dub. 6. num. 88. vers. nec sufficit &c. Ergo tenetur vnusquisque denunciationes præmittere, etiam si certò sciat, nullum habere impedimentum ad cõtrahendum.

5 Suppono secundò, peccare mortaliter eum, qui sine denunciationibus cõtrahit matrimonium. Et Ratio est, quia de hoc adest præceptum latum à Concilio Lateranensi cap. 51. relatum in cap. fin. de Clandestinis desponsationibus, & idem præceptum renouatur in Concilio Tridentino sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 1. vbi hæc habes. Sancta Synodus præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur, à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

6 Et quod hoc præceptum sit de materia graui, patet tum ex multis incommodis,& malis, quæ subsequi possunt, si contrahatur matrimonium sine denunciationibus. Vnde ab aliquibus Doctoribus etiam clandestinum matrimonium tale vocatur, vt glos. in præcitato cap. finali, verb. clandestina il secondo: quod verum est non solum quoad pœnã, nam eædem pœnæ dãtur pro matrimonio contracto sine solemnitatibus, ac pro clandestino matrimonio, vt videre est in præcitato cap. finali §. si quis vero,& probat Sanchez de matrimonio lib. 3. disp. 1. num. 7. sed dicitur etiam clandestinum hoc matrimonium quoad incommoda, & mala, præsertim quod sicut matrimonium clandestinum contrahi potest cum multis impedimentis, non solum impedientibus, sed etiam dirimentibus; ità etiam matrimonium contractum sine solemnitatibus, seù denunciationibus. Oriebantur etiam multæ rixæ, & discordiæ inter consanguineos clandestinè contrahentes, quæ etiam oriri possunt inter consanguineos contrahentes sine denunciationibus. Nec obstat, quòd hic,&nunc non sit tale periculum, nam cessat tantum lex in particulari,& non in entitate præcepta, vt optimè Conich. loco cit. dub. 5. n. 51. Tum etiam grauitas huius præcepti colligitur à pœna imposita contra tales

sine

Digitized by Google

sine denunciationibus contrahentes à
7 Concilio Tridentino loco cit. cap. 5. quæ est desperatio dispensationis, si post taliter contractum matrimonium contrahentes aduertant contraxisse in gradu prohibito ignoranter. Vnde Cõcilium reddens de hac pæna rationem subdit; Non enim dignus est, qui ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit &c. ergò signũ est, præceptum hoc obligare ad mortale; non enim Concilium appellasset sic contrahentẽ temerarium contemptorem præceptorum ecclesiæ, si materia leuis esset, & eius transgressio peccatũ veniale. Nec solet ecclesia tàm acriter, & rigorosè punire venialem culpam; esset enim valdè improportionata pæna hæc ad culpam venialem. ita Pont. de matrimonio lib. 5. cap. 30. n. 3. Coninch. loco citato. Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 5. num. 6. His positis.

8 Ad casum propositum respondet Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 5. num. 7. non peccare lethaliter, tum quia materia est leuis, tum quia est materia partialis præcepti. Idem sentit Barbosa de potestate Episcopi par. 2. allegatione 32. num. 5. Diana par. 3. tract. 14. resolutione. 336.

At hæc doctrina non placet Ægidio de Coninch. disp. 27. dub. 6. nu. 51. nec etiam Basilio Pontio lib. 5. de matrimonio cap. 30. num. 3. & dicunt quòd omittere vnam tantum publicationem sine iusta causa omittendi sit
9 peccatum lethale. Et ratio est, quia quando parua materia præcepti trahit secum totam rationem malitiæ prohibitæ, tunc materia illa, & si parua in se, & entitatiuè considerata, tamen nõ dicitur parua quoad peccatum. Patet primò in furto, nam si quis furatur vilico panem necessarium ad illius diei victũ, & si panis ille sit valoris dimidij caroleni, fur peccat mortaliter, nã panis ille ablatus continet in se malitiam notabilis furti, quum notabiliter fur ille lædat villicum priuando illum victu illius diei. Grauitas enim furti desumitur ex iniuria notabili data proximo, & consequenter ex notabili damno illato. Ita Vasquez de restitutione cap. 5. §. 1. dub. 5. num. 30. circà finem, & cap. 9. §. 1. num. 24. vers. fateor &c. Quia verò damnum illatum in casu proposito est notabile, ideo parua illa quantitas habet malitiam peccati mortalis. Ita Sotus de Iustitia lib. 5. q. 3. ar. 3. vers. ad tertium argumentum.

10 Patet secundò in simonia, nàm quia in minima parte Sacramentorum vendita est tota malitia simoniæ, quæ malitia est vendere pretio res spirituales, etiam venditio vel minimę partis, nempe guttæ olei Sancti, vel fragmenti Eucharistiæ est peccatum mortale, vt optimè Suarez de religione tom. 1. lib. 3. num. 5. & sequenti, & fatetur ipsemet Thomas Sanchez in summa lib. 1. cap. 4. num. 1. sed tota malitia derelictionum omnium trium publicationum est, quia derelinquitur medium aptum ad manifestandum impedimenta, quæ malitia ita adæquatè inuenitur in vna tantum publicatione distributiuè accepta, sicut in omnibus tribus collectiuè acceptis, nam ità est habilis prima ad manifestandum impedimenta etiam vt præcisa, & independenter à secunda, & tertia, sicut omnes tres simul acceptæ, nam ita in prima potest inueniri, qui impedimenta manifestet, sicut in omnibus tribus, ergo & si vna publicatio sit materia partialis, & parua, quia continet in se totam malitiam prohibitam à præcepto, debet esse peccatum mortale, sicut est mortale peccatum relinquere omnes tres.

11 Confirmatur primò, quia ad grauitatem, vel leuitatem præcepti agnoscendã nõ est inspicienda materia præcepti secundum se solã, sed est inspiciendus finis, ad quem materia illa ordinatur à Superiore: ità ipsemet Thomas Sanchez in summa lib. 1. cap. 4. n. 2. in fine, ex Vasquez in 1. 2. q. 96 ar. 4.

disp. 158. cap. 6. n. 59. sed finis adæquatus legis trium publicationum inuenitur in vna tantum publicatione, num finis huius legis est, vt diximus, detectio impedimentorum, ne contrahatur cum impedimentis, quæ detectio ita esse potest in vna publicatione, ac in tribus, ergò & si vna publicatio sit parua materia secundum se considerata, quia continet totam rationē finis, relictio vnius debet esse peccatū mortale, vel est dicendum quod neq; relictio omnium trium sit peccatum mortale, contra secundum suppositum.

12 Confirmatur secundò, quia quoties materia vnius peccati venialis nequit continuari cum materia posterioris peccati venialis saltem moraliter, ità vt vtraq; materia prò vna reputetur; vel quoties effectus relictus ab vno peccato veniali continuari non potest cum altero effectu relicto ab altero peccato veniali, tunc multiplicatio transgressionis præcepti in tali materia parua non constituit materiam graue, nec peccatum mortale, quia quum omnes illæ materiæ diuersæ sint, nec vnam componant neq; physicè, nequè moraliter, singulæ diuisæ manebunt, & ità paruulæ, sicut prius erant antequam vna sequebatur alteram. Ità Thomas Sanchez loc. cit. num. 9. Patet hoc in illo, qui diuersis diebus festiuis paruum tempus consumit, nam etiā si habeat propositum sic laborandi per totum annum, non peccat mortaliter, quia materiæ illæ non continuantur, & quia quæq; constituat vnum integrum diem: sic etiam qui efficit, vt in eodem die festiuo plures laborent parua temporis parte, & si labores isti vniti efficiant notabilem partem temporis, tamen quia illa modica singulorum tempora minimè vniuntur, ideo nec præcipiens, nec laborantes peccant mortaliter: sic etiam vouens in honorem diei singulis diebus recitare orationem angelicam, vel modicam eleemosynam pauperibus præbere, si per annum integrum orationem Angelicam, vel eleemosynam nō persoluat, quia materiæ illæ non continuantur, dum pendent à die, non peccat mortaliter, ità Sanchez loc. citato num. 12. & 14. sic etiam sumens modicum cibi singulis diebus quadragesimæ, quia fractiones illæ non continuantur moraliter, ideò non peccat mortaliter, vt vult idem Sanchez loco citato. num. 11. secus verò dicendum est, quando quis eodem die festiuo pluries parum laborat, vel pluries modicum cibi sumit in eodem die ieiunij; tunc hic peccat mortaliter statim, ac materia ascendit ad notabilem laborem, vel ad notabilē comestionem, quia materiæ, & effectus moraliter continuantur, vt optimè Sanchez loco citato, & Vasquez supra num. 6. Sed vna publicatio nullam habet connexionem cum altera, neq; moraliter, neq; physicè, quum sint faciendæ diuersis diebus physicè distinctis, nec effectus à prima publicatione productus connexionem habet cum effectu producto à secunda; nam si prima vnum impedimentum manifestat, & secunda alterum; primum impedimentum nullam habet connexionem cum secunda quantum est de natura sua: ergò si vna publicatio est materia peccati venialis, omnes tres erunt materia trium peccatorum venialium, ergo qui relinquit omnes tres peccat ter venialiter tantum, quod nec ipse Sanchez loc. citato de matrimonio admittit: ergo vel dicendum est, quod relinquere vnam sit peccatum mortale, vel quod relinquere omnes tres sint tria peccata venialia, quum materiæ, & effectus sint inter se omnino distincta.

14 Nec obstat, quod dixit supra Thomas Sanchez, quod scilicet vna publicatio sit materia leuis, & partialis. Quia materia leuis, & partialis, quando continet in se totam malitiam, & respicit adæquatè finem præcepti; tunc & si parua in se, & materialiter considerata, tamen grauis censenda est, & efficit lethalem culpam, vt dixi.

lib

Pa-

Digitized by Google

Patet ergo ex dictis, talem contrahentem post secundam publicationem relicta tertia peccare mortaliter, & si validum sit matrimonium.

SVMMARIVM.

Ioannes Sanchez putat, puerum teneri ad præceptum communionis statim, ac ad vsum rationis peruenit. nu. 1. verior tamen est oppositæ sententia. num. 24.

Inter præceptum cõmunionis, et præceptum cõfessionis adest differentia insinuata in cap. omnis vtriusque sexus, etc. nu. 2.

Præceptum communionis obligat cum ordine ad prudens iudicium confessarij. eod. nu. et num. 4.

Qui consilio confessarii ipsum non absoluentis in fine anni ad finem experiendi, an habeat propositum firmum non peccandi, vel ob alias similes causas, non confitetur, non facit contra præceptum confessionis. num. 3.

Qui non est in peccato mortali non tenetur ad annuam confessionem, et si in paschate teneatur ad communionem. nu. 4.

Præceptum confessionis obligat absolutè, præceptum verò communionis obligat ad reuerenter accipiendam ipsam. nu. 5.

Cap. omnis etc. præcipiendo annuam confessionem intendit determinare tempus post peccatum mortale commissum. nu. 6.

Reuerentia requisita in sacramento altaris oritur ab amore erga illud. nu. 7.

Pueri non facilè inflammantur ad amandum id, quod non vident. eod. num.

Præceptum de cõmunione in paschate expressum à Concilio Tridentino non obligat primo anno discretionis. nu. 8. & se remittit ad præceptum expressum in cap. omnis, &c. quod cap. obligat cum ordine ad prudentiam confessarij. eod. num.

Maior discursus requiritur ad confessionem, quam ad communionem. nu. 9.

Obligatio legis pendet à voluntate legislatoris, & tantum ligat, quantum legislator intendit ligare. nu. 10.

Ad inducendam obligationem communionis non valet argumentari à maiori discursu requisito in confessione. nu. 11.

Quidam puer nouem annorum arguit, hostiã non esse consecratam. nu. 12.

Annus septimus dicitur annus discretionis. nu. 13.

Argumentum à particulari ad vniuersale non valet. eod. num.

Aethyopibus, & semifatuis dandũ est viaticũ, non verò danda est eucharistia infantibus statim, ac ad annũ discretionis peruenerunt, quia ab istis speratur perfectior deuotio, quæ semper cum cognitione perficitur, non verò ab illis. nu. 14.

Reuerentia, quæ requiritur ad communionem, non est solum, quod quis sit in gratia, & ieiunus, quia sic etiam perpetuò amentes tenerentur ad præceptum communionis, sed requiritur etiam deuotio erga hoc sacramentum. nu. 15.

Deuotio est actus voluntatis, quo quis promptè se tradit ad Dei famulatum, & supponit actum cõemplationis, seu meditationis. eod. num.

Quando concurrunt duo consilia, relinquendũ est illud, quod minus bonum affert. nu. 16.

Prudens confessarius debet respicere non solũ bonum præsens puerorum, sed etiam futurũ. eod. num.

Ex communione cum tenui deuotione oritur in infantibus abusio sacramentorum. eod. num.

Prudentia confessarij respicere debet non solũ bonum pueri, sed etiam bonum sacramenti. eod. num.

Aethyopes, & Semifatui non sunt communicandi sæpe intra annum. num. 17.

Cautum est in cap. omnis, &c. quod pueri non sunt communicandi statim, ac ad vsum rationis peruenerunt. nu. 18.

Communio si consideretur secundum se, vna disponit ad aliam communionem. nu. 19.

Deuotio erga hoc sacramentum pendet à voluntate hominis libera. eod. nu.

Qui abutitur gratia diuina, vt duo e.g. se reddit indignum ad recipiendum iterum eandem gratiam, qui verò ista bene vtitur, ei communicatur gratia, vt quatuor, &c. nu. 19.

Vtilius est puero bis sacramentum sumere, quã semel, at non est vtilius deuotioni in sacramento requisita. eod. num.

Puero non est denegandum viaticum, si vsum ratio-

rationis habet, & si sit deneganda communio in paschate. n. 20.

Præceptum viatici est de iure diuino; præceptum communionis in paschate est de iure ecclesiastico. eod. num.

A pueris in articulo mortis non speratur maior deuotio erga eucharistiam, nec timetur abusio sacramentorum. eod. num.

Confessarius non debet expectare maximum gradum deuotionis ad ipsos obligandum præcepto Eucharistiæ, sed sufficit expectare aliqualem deuotionem, ita vt non timeatur abusio sacramentorum. nu. 21.

Puer obligatus ad præceptum confessionis nõ indiget prorogatione confessarij, vt excusetur à præcepto communionis, sed indiget iudicio confessarii ad hoc, vt obligari incipiat. nu. 22. & 23.

Excusatio à præcepto supponit obligationem præcepti, seu præceptum obligare. eod. nu. 33

Pueri non tenẽtur ad præceptum communionis statim, ac peruenerunt ad vsum rationis. num. 24.

RESOLVTIO XVII.

An pueri teneantur ad præceptum communionis in Paschate statim, ac ad vsum rationis peruenerunt?

1 REspõdent Ioãnes Sanchez in selectis disp. 26. à nu. 4. à Castropalao de lege tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. nu. 7. quod tenentur.

Probant ex cap. omnis vtriusq; sexus de pœnitẽtijs, & remissionibus, vbi adsunt hæc præcisa verba. Omnis vtriusq; sexus fidelis postquã ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter cõfiteatur proprio sacerdoti, & iniũctã sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus à tali perceptione duxerit abstinẽdum, alioquin, & viuẽs ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriẽs christiana careat sepultura.

2 At respondet Suarez tomo de eucharistia disp. 70. sect. 1. quod in ipso cap. insinuatur differentia inter Sacramentum pœnitentiæ, & eucharistiæ: nam pœnitentia absolutè præcipitur annuatim, at communio præcipitur cũ quodam ordine ad prudens iudicium Confessarij, ergo non eodem tempore obligat Confessionis præceptum, ac Communionis.

Sed Suario respondet Ioannes Sanchez supra num. 7. quod non per hoc deducitur non obligare eodem tempore præceptum communionis, ac confessionis. Nam ordo præscriptus à canone ad confessarium ideo positus est, quia aliquæ possunt afferri causæ, quibus excusatur quis à transgressione præcepti communionis, & si in paschate eucharistiam non suscipiat v. g. (hæc sunt verba Sanchez) Quando distulit absolutionem Confessarius, vt experiretur, an propositum pœnitentis sit firmum ex mente aliquorum, vt diximus &c. Aut quia absoluere neutiq; poterat donec pœnitens occasionem proximam peccandi vitaret &c. At nulla potest offerri occasio, vel saltem difficilius multò, quod quis non confiteatur, & ob id concilium Lateranense in prædicto cap. absolutè præcipit confessionem, communionem verò in ordine ad confessarium.

3 Sed pace tanti viri hæc responsio nõ placet, nam illę causæ non magis excusant à communione in Paschate, quam ab annua confessione; si enim quis accedit vltimo die anni ad confessionem, & Confessarius vult experiri, an habeat firmum propositum non peccandi, vel si non abstulit occasionem proximam, dimittit illum, vt occasionem tollat, hic pœnitens non peccat contrà præceptum annuæ confessionis, ergo si ob has causas concilium requirit iudicium confessarij in præcepto implẽdo cõmunionis, magis dicitur cõfessarij iudiciũ postulare in præcepto confessionis, illæ enim causæ magis excusant à confessione, quam à communione, vel saltem prius à confessione, & postea à commu-

Digitized by Google

muuione, & nisi à confessione excusarent, non excusarent à communione.

4 Addo primò ex eodem Ioãne Sanchez n. 17. quià si quis non sit in peccato mortali excusatur ab annua confessione, & si non sit in peccato mortali tenetur ad communionem in Paschate, ergo Sacramentum confessionis recipit aliquam excusationem, quã non admittit præceptum communionis, vt optimè Fagundez secundo ecclesiæ præcepto lib. 1. cap. 3. num. 2. in fine pag. 287. ergo si ob causam excusantem à præcepto concilium Lateranense remisisset ad prudens iudicium confessarij communionem in paschate, magis debebat remittere annuam confessionem ad confessarij prudẽtiã, vt discerneret, esset ne in peccato mortali pœnitens, & sic teneri ad annuam confessionem, vel non esset in peccato mortali, & sic excusari ab annua confessione. Sed non se remittit in præcepto cõmunionis, ergo signũ est, q nõ ob causam excusantẽ remisit Cõcilium Lateranense in præcepto communionis ad prudentiam confessarij; sed quia intendit obligare cum ordine ad prudentiam confessarij.

5 Addo secundò ex Thoma Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. nu. 6. quod quando cap. si quis præcipit confessionem, absolutè præcipit, quando verò præcipit communionem, præcipit cum addito, vt reuerenter accipiant communionem, ergo maior discrẽtiõ desideratur in communione, quam in confessione.

6 Addo tertiò ex eodem Thoma Sanchez vbi supra; quia in cap. omnis, &c. ecclesia intendit determinare tempus præcepti diuini confessionis post peccatum commissum, explicat enim, quod posito peccato actuali teneatur infrà annum ad confessionem de iure diuino, non sic præcipiendo communionem.

Dices, quod etiam ad Sacramentum pœnitentiæ accedere debemus cum reuerentia, sicut accedere debemus ad eucharistiam; ergo si ratione reuerentiæ requisitæ non denegatur pueris Sacramentum pœnitentiæ, neque ratione reuerentiæ deneganda est eucharistia eisdem.

7 Respondeo, quod reuerentia requisita in Sacramẽto pœnitentiæ oritur à cognitione propriæ culpæ, & à timore gehennæ, cum ergo infans scit peccare, cognoscit propriam culpam, & cum intelligat ob talem culpam mereri gehennam, statim timorem concipit illius culpæ, & sic reuerenter se gerit ergà hoc Sacramentum, vt remissionem obtineat: at quum reuerentia in eucharistia oriatur ab amore, non facilè pueri inflammantur ad amandum id, quod nõ vident, nisi tantum per fidem: pueri enim de facili ad timorem, & cum difficultate ad amorem illius rei, quam non vident, inducuntur: facilius enim actũ attritionis, quam contritionis, seu amoris eliciunt.

Probat secundò idem Sancius suprà num. 5. ex Concilio Tridentino sess. 13. can. 9. & rescribens verba concilij sic illa refert, Si quis negauerit, oẽs, & singulos Christifideles vtriusque sexus, cum ad annum discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta præscriptum sanctæ matris ecclesiæ, anathema sit, & subiungit Sancius. Vnde haud facilè excusari possunt contrarium censentes, quin aduersentur Cõcilio, docẽtes, non esse præceptum eucharistiam recipiendi fidelibus positũ, licet peruenerint ad vsum rationis. Hæc Sancius.

8 Sed ex hoc canone oppositum colligitur, scilicet pueros statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, non teneri ad communionem in Paschate, nisi cum ordine ad prudẽtiam confessarij. Nam in Concilio Tridẽtino impresso Venetijs anno 1616. apud Marcum Antonium Kalterium impressorem fol. 90. adsunt hæc verba, Si quis negauerit, omnes, & singulos Christifideles vtriusque sexus cum ad annos discretio-

tio-

Digitized by Google

tionis,&c. non verò cum ad annum, vt transcribit Sancius; cum ergo conciliũ obligat omnes fideles, cum ad annos discretionis peruenerint, non limitat ad primum annum:& cum addat iuxtà præceptum Sanctæ matris ecclesiæ, & præceptum sit in cap. omnis vtriusque sexus, vt ex postillo eiusdem concilij, & cap. omnis non obligat fideles ad communionem in Paschate, nisi cum ordine ad prudentiam confessarij, igitur Concilium anathematizat illos, qui negauerint, fideles teneri ad communionem in Paschate iuxta prudentiam confessarij. Quod aduersarij non negant, sed potius Sancius improbat.

9 Probat tertiò idem Sancius suprà n. 4. vers. nec minor &c. quia maior discursus requiritur ad confessionem, quam ad communionem, vt ex D. Thoma opusc. 65. §. de eucharistia n. 80. sed pueri statim, ac peruenerunt ad vsum rationis tenentur ad annuam confessionem, ergo eo magis ad communionẽ in Paschate. Nec dicas, quod etiam si requiratur maior discursus ad confessionem, quàm ad communionẽ, tamen requiritur maior reuerentia ad communionem, quam ad confessionẽ, quæ non potest inueniri in puero, quia reuerentia requisita in adulto est tantum, quod sit in gratia, & ieiunus: sed puer potest recipere in gratia, & ieiunus, ergo si sic suscipit, suscipit cum reuerentia requisita. Nec quod pueri illo ipso die, aut hora colludant cum suis æqualibus, vllo modo derogat reuerentiæ, cum id sine peccato fiat, & in simplicitate cordis: maiorem profecto irreuerentiam esse cogitari potest, quod iam adulti ludant, & forte cum periculo peccandi, nec ob id tamen eis denegatur eucharistia. Nec dicas etiã adultos contra consilium de reuerentia eucharistiæ debita agere ludendo post illam susceptam, sicut & pueri. Quia consilium est, eucharistiam sumere, & consilium post illam susceptam non ludere; sed salubrius sequẽdũ est relicto minus bonum afferente. At quis non videat, maius bonum conciliari puero communicanti, & consequenter maius malum ex contrario, quam sit carentia boni obuenturi, si post susceptam non luderet? Hæc Ioannes Sancius.

10 Hæc probatio optima esset, quando obligatio legis non penderet à voluntate legislatoris, seu præcipientis: at quià de facto pendet, & ità obligat, sicut legislator intendit obligare; ideò discursus Sancij nihil probat contra aduersarios, nam præceptum communionis in paschate est in cap. omnis vtriusq; sexus ex Concilio Lateranensi, sed ibi præcipitur cum ordine ad prudentiam confessarij, ergo non obligatur statim, ac ad vsum rationis peruenerit infans, sed quando videbitur prudenti confessario. Præceptum verò confessionis cum non sit impositum cum tali ordine, ideo statim obligat, ac ad vsum rationis peruenerit.

11 Nec valet argumentari à maioritate discursus ad inducendam obligationẽ in præceptis ecclesiasticis, quià posset quis ità ad hominem argumentari. Maior discursus requiritur ad cõfessionem, quam ad ieiunium: sed tenetur infans ad præceptum confessionis annuæ statim, ac ad vsum rationis peruenerit, ergo tenetur etiam ad præceptum ieiunij. Vtique negatur consequentia, quia obligatio pendet à voluntate legislatoris, & quia legislator nõ intendit obligare infantes ad ieiunium, nisi in certa ætate, & intendit obligare ad confessionem statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, ideo ad confessionem tenẽtur, non verò ad ieiunium; sic dico de communione in Paschate, quia ad consilium confessarij se remittit cap. omnis &c. ideò quando videbitur confessario obligatur puer ad communionẽ in Paschate.

12 Probat quartò Sancius supra nu. 3. vers. & fauet &c. ex quodam exemplo in promptuario discipuli in littera E. exempl. 26. de puero nouem annorum, qui cum in articulo mortis eucharistiã sibi

sibi porrigi postularet instanter, sacerdos tamen iudicans non esse tutum illi ministrari, hostiam non consecratã detulit; at puer statim clamans dixit. Quatè me decipere vultis? quo cognito à sacerdote, intelligenteque à spiritu sancto fuisse reuelatũ, corpus Christi suscipiendum afferens puero communicauit, & deuotè, & sanctè puer recepit.

13 Sed ex hoc exemplo nihil colligitur in fauorem Sancij, nam si erat nouem annorum, ergo statim, ac ad vsum rationis peruenit ex instinctu spiritus sancti eucharistiã nõ petijt: cũ regulariter in septimo anno vsus rationis aduenit. Quod si Sancius dicat, quod huic puero in nouo anno vsus rationis aduenit, hoc prius debet probare, & non supponere: nec puer dixit, nisi eucharistiam præberent, se in peccato contra præceptum ecclesiæ decedere, vel quod sacerdotes peccarent non ministrando, cum ipse teneretur ad præceptum ecclesiæ communionis in paschate. Adde, quod non valet argumẽtari à particulari ad vniuersale, quia sic tenerentur pueri ad annuam confessionem in quinto anno, quiá legimus in dialogis Sancti Gregorij, quendam puerum in quinto anno raptum fuisse è paternis brachijs à dæmonibus ob peccatum blasphemiæ, periurij, & mẽdacij, vt notat glossa in cap. pueris de delictis puerorum, verbo grãdiusculis. Si ergo non tenentur ob hoc exemplũ ad annuam confessionem, nec tenentur ad communionem in Paschate ob exemplum adductum à Sancio.

14 Confirmat suum dictum Sancius suprà ad hominem contrà Henriquez lib. 8. cap. 42. num. 3. qui ait, habentes vsum rationis, sed debilem, & imperfectum, vt sunt quidem Æthyopes, & semifatui, sclusa irreuerentiæ periculo, admittendos esse ad communionem non solum in articulo mortis, sed etiam in Paschate &c. si ergo semifatuis neganda non est eucharistia, quare pueris capacibus adhuc ad dignoscendam malitiam peccati mortalis danda non erit?

Respondeo, quod non sine prudentia cõfessarius denegare debet eucharistiam infanti, etiã si in septemnio sit; non verò semifatuo, vel Æthyopi. Nam de Æthyope, & semifatuo non speratur maior cognitio, nec maior feruor deuotionis ergà eucharistiam, sicut speratur de puero, nam puer crescendo ætate, crescit etiam cognitione, cum magis cognoscat id, quod agit, & sic perficitur cognitio infantis cum ætate, quod non speratur in semifatuo. Et quia res spirituales nõ solũ nõ retinent feruorem, quo esse ceperunt, sed semper decrescunt, nec sicut incipiunt, sic vsq; ad mortẽ perseuerãt, sed cũ decremẽto potius deuotionis, quã cum augmento, pergunt; ideò ne pueri incipiãt recipere eucharistiã cũ tam tenui cognitione, in deuotione, & irreuerentia, vt tractu temporis vilescat apud ipsos hoc Sacramentum, expectare debemus perfectiorem cognitionem, quam tempus parit, vt cum maiori deuotione, & reuerentia incipiat communicatio puerorum.

Dices ex eodem Sancio n. 4. quod reuerentia requisita in adulto ad recipiendam eucharistiã est tantum, quod sit in gratia & ieiunus: sed potest puer suscipere in gratia, & ieiunus, ergo puer habet reuerentiam requisitam.

15 Respondeo, quod nõ sufficit tantum, quod sit in gratia, & ieiunus, quia si hoc sufficeret sequeretur, quod etiam perpetuò amentes tenerentur ad communionem in Paschate, quia hi possunt esse ieiuni, & sunt in gratia, quam per baptismum receperunt, sed requiritur ex D. Thoma 3. parte q. 80. ar. 9. deuotio ergà hoc Sacramentum, & quia deuotio prouenit à cognitione, regulariter crescente cognitione deuotio crescit, nam deuotio ex eodem D. Th. 2. 2. q. 82. ar. 1. & 3. est actus voluntatis, quo quis promptè se tradit ad Dei famulatum, & supponit actum cõtemplationis, seu meditationis, vt ex

eodem Sancio disp. 23. num. 2. qui est actus intellectus, & quantum crescit cognitio, seu meditatio, tantum crescit regulariter deuotio, & quia cognitio infantis sēper recipit maiorē perfectionē, & in dies perficitur, ideò prudenter agit, qui infantem non communicat, nisi ad aliquam perfectiorem ætatem peruenerit, & consequenter aliquam perfectiorem cognitionem, & deuotionem ergà hoc Sacramentum habuerit, ne vilescat apud ipsum hoc Sacramentum.

16 Dices ex eodem Sancio num. 15. duo sunt consilia, vnum negatiuum, quod quis nō accedat ad Sacrā mensam, nisi feruēter, & deuotè dispositus: alterum affirmatiuum, quod quando est accessurus, curet deuotè disponi: sed quando concurrunt duo consilia, relinquere debemus illud, quod minus bonum affert, & amplecti illud, quod maius bonum præstat, & maius bonum affert puero sumptio eucharistiæ, quam abstinentia ab illa ob deuotionē tenuem: ergo non est deneganda eucharistia puero ob defectum deuotionis perfectioris.

Respondeo, quod prudentia Confessarij, ad quem spectat obligationem communionis pueris inducere, non solum debet respicere vtilitatem actualē pueri, sed etiam reuerentiam, & vtilitatem cultus ergà hoc Sacramentum in futurum; prudentia enim est prēuidere, & prouidere futuris; at quia ex communione cum tenui deuotione in infantibus ordinariè oriri solet abusio Sacramenti, & experientia docuit, quòd pueri, seu infantes illi, qui statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, & communionē sumpserunt cum nulla, vel tenui deuotione, tractu temporis non timuerunt accedere ad eucharistiam cum peccato mortali, vel saltem sine deuotione, in præiudicium eucharistiæ, ideò prudenter agit confessarius denegando eucharistiam pueris statim, ac ad vsum rationis peruenerunt. Ad argumentū igitur in forma, respōdeo ad minorem, quod maius bonum affert puero sumere eucharistiam cum ad vsum rationis peruenerit, sed non maius bonum affert reuerentiæ debitæ Sacramento, & sic etiam si deneganda non est eucharistia ob bonum pueri, tamen denegari debet ob bonum Sacramenti, quod bonum Sacramenti respicere etiam debet prudentia confessarij. Ne igitur sequatur abusio, & vilescat apud catholicos in futurum hoc Sacramentum, denegandum est pueris statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, & expectanda maturior ætas, vt accedant cum perfectiori cognitione, & sic augeatur deuotio ergà hoc Sacramentum.

17 Hinc est, quod iure optimo Henriquez lib. 8. cap. 42. num. 3. ait, quod semifatuis, & habentibus vsum rationis debilem, & imperfectum, vt sunt Æthyopes, non est deneganda eucharistia in articulo mortis, & in Paschate, non tamen frequenter communicandi sunt intrà annum. Nam & si Sacramentum sit idem, & suscipiens idem: tamen quia potest oriri abusio, & irreuerentia eucharistiæ apud tales homines, si videant, de facili hunc cibum sibi præberi, ideò vt magni æstiment, & reuerenter accedant, non sic de facili communicandi sunt, non ob bonum ipsius semifatui, sed ob reuerentiam ipsius Sacramenti. Quod si experientia iudicaret, quod semper hic semifatuus cū maiori, vel saltem æquali reuerentia ad hoc Sacramentum accederet, vtiquè communio huic deneganda non esset.

Dices ex eodem Sancio supra n. 15. vers. Nec satisfacit &c. quod cautum non est in sacra scriptura, nec in Sanctis Patribus, nec in aliquo iure, vt quis nō accedat ad eucharistiam, nisi sit feruenter dispositus: nec quod habeat maiorem deuotionem, quam habere possit, & deinde accedat: ergo hoc non debet impedire sumptionem eucharistiæ puero.

18 Respondeo, quod hoc satis cautum est in cap. omnis &c. dum se remittit

ad

Digitized by Google

ad prudentiam Confessarij, si enim vellet statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, obligare pueros, sicut obligauit ad annuam confessionem, sufficiebat dicere, & vti ijsdem verbis, quibus vsus erat in præcipiendo annuam confessionem. Cum ergo cap. omnis, &c. se remittat ad prudentiam Confessarij, & omnes prudentes Confessarij, & vniuersi ferè Doctores expectandam esse dicunt maiorem capacitatem in puero, & non statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, illis Euchariſtiam tribuēdā, vt pueri cum maiori cognitione, deuotione, & reuerentia accedant; Dicēdum est sufficienter expressum fuisse in canone, accessum pueri ad Euchariſtiam esse debere non cum tenui deuotione, sed cum maiori feruore, &c.

Dices ex eodem ibidem, quod communio pueri cum tenui deuotione disponat ipsum puerum ad secundam communionem, vt cum maiori deuotione fiat, cum ergo possumus habere primam communionem cum tenui deuotione, & secundam cum feruentiori deuotione, & puero magis conferant duæ communiones, quam vna cum feruentiori deuotione, & sic saluatur reuerentia Sacramenti, deneganda non est puero Euchariſtia, &c.

19 Respondetur, quod si consideramus Sacramentum secundum se, vtique disponit vna communio ad aliam communionem, & sic disponit quantum est ex parte Sacramenti, & ex opere operato ad faciendam aliam feruentiorem. At quia dispositio ad recipiendum Sacramentum pendet etiam ex libertate arbitrij, & sic homo, licet per diuinam gratiam, tamen liberè elicit actus deuotionis, quæ à voluntate proueniunt, atq; adeò ex opere operantis: hinc fit, quod voluntas potest repugnare ad recipiendam diuinam gratiā, quam conferre potest hoc Sacramentum. Quanto ergo magis impreparatus accedit homo ad hanc mensam diuinam, eò magis est indispositus ad recipiendam diuinam gratiam, & sic eò minùs est dispositus pro secunda communione. Gratia enim diuina hoc ordine procedit ordinariè; quod quando quis abutitur gratia Dei, vt duo v. g. Deus denegat huic gratiam, vt tria, quam non denegaret, si benè vsus fuisset illa, vt duo; cum ergo puer recipiat gratiam, vt duo v. g. in prima communione, & abutatur illa non correspondendo cum gratiarum actione, vel aliquo alio actu deuotionis, non solùm non est magis dispositus pro secunda communione, sed est magis indispositus, quia Deus denegabit etiam gratiam, vt duo in prima communione habita ratione abusionis illius; cum ergo vna communio cum tepiditate facta non possit disponere ad aliam communionem ratione abusionis gratiæ habitæ in prima communione, deneganda erit communio puero statim, ac ad vsum rationis peruenerit, non solùm ne priuetur gratia intensiori, quam haberet, si cum maiori deuotione Euchariſtiam reciperet, sed etiam ne abutatur tractu temporis hoc Sacramēto, & vilescat apud ipsos Euchariſtia. Hinc fit, quod & si vtiliores sint puero duæ communiones, quàm vna, tamen quia vtilius non est reuerētiæ debitæ sacramento in futurum, ideò prudenter agit Confessarius denegando Euchariſtiam in tali ætate.

20 Dices, quod infantibus in articulo mortis deneganda non est euchariſtia, & tenentur recipere communionem; ergo etiam tenentur illam recipere in Paschate, quia non est maior ratio de vna, quam de alia, sic Sancius supra nu. 15. vsque ad 17.

Respondeo primò, quod communio in articulo mortis est de iure diuino, in Paschate verò est de iure Ecclesiastico; cum ergo lex ecclesiastica obliget iuxta intentionem legislatoris, & legislator Ecclesiasticus non vult obligare fideles in Paschate, nisi cum ordine ad prudentiam Cōfessarij; hinc fit, quod non tenetur fidelis ad communionem in Paschate, nisi ità vi-

debitur Confessario, ac eum obligatio iuris diuini in articulo mortis non remittat se arbitrio Confessarij, hinc est quod deneganda non est Eucharistia puero in extremis constituto.

Respondeo secundò, quòd de puero in articulo mortis non spectatur maior deuotio, nec timetur abusus Sacramenti, cum sit prima & vltima communio, ideò deneganda non est, sicut diximus de semifatuis. Hæc doctrina deducitur ex Suario 3. parte disp. 79. sect. 1. in fine.

Dicces ex eodem Sancio supra, ex hoc probari, quod nimis tardè danda esset Eucharistia, licet pueri essent maximè capaces deuotionis, cum possint commodius tempus expectare ad vberiorem maneiscendam.

21 Respondeo, quod imprudenter ageret Confessarius expectando maximũ gradum deuotionis, sed quando videt in puero esse aliqualem deuotionem, vt abusio tractu temporis nõ timeatur, tunc debet illi eucharistiam tribuere, Hoc omnis prudentia docet, nam sicut imprudenter agit per defectũ, qui statim, ac ad vsum rationis peruenit puer, Eucharistiam imbuit, ita imprudenter agit per excessum, qui longum tempus expectat.

Probat VI. Ferdinandus à Castropalao supra n. 7. volens, quod pueri statim, ac ad vsum rationis peruenerunt, teneantur ad communionem in Pascha: sed fundat expressa consultatio Confessarij, de eucharistiam sumendo

22 non tenere. Probat enim sic. Pueri discretionem habentes, & obligandi præcepto confessionis, vel indiget prorogatione Confessarij, vt excusetur à communionis præcepto, vel non indiget. Si indiget prorogatione, ergo signũ est illa non stante, obligatũ esse: si verò illa non indigent, ergo omnis non æqualiter de præcepto Confessionis, & Communionis habetur, quod videtur falsum, cum verba vtriusque sint æque expressa ad hanc obligationem plus exprimatur, quam discretionem.

At hæc opinio à Castro subsistere non potest. Quia si pueri statim, ac ad vsum rationis perueniunt tenentur Eucharistiam in Pascha te sumere, vt putat Ferdinandus à Castropalao, non potest Confessarius sine rationabili causa ab hoc præcepto ipsos eximere; quod si causam excusantem habeant; non Confessarius, sed causa ipsos excusat à tali præcepto.

23 Ad argumentum igitur in forma respondeo, quod puer discretionem habens indiget consilio confessarij, nõ vt excusetur à præcepto communionis, (sic enim verè teneretur, nã excusatio supponit obligationem) sed vt obligari incipiat, consilium enim Confessarij complet principium obligans puerum ad communionem; nam cap. omnis vtriusque sexus non intendit pueros obligare, nisi accedente consilio Confessarij, iudicantis, an habeant habilitatem ad communionem: sicut dicitur in legibus panalibus, quæ & si condignæ sint delictis, tamen luere non tenentur reos pœnas illas, nisi post sententiã iudicis, accedente enim sententia iudicis dicitur reus ad æquatè obligatus sic puer non dicitur ad æquatè obligatus ad præceptum communionis, quidum non accedat consilium cõfessarij. Confessarius igitur est veluti iudex iudicans, an talis puer tam talis, & tanta capax sit, vt teneatur ad præceptum, quia

24 Pueri ergo pueris, postquam peruenerunt ad vsum rationis, non censentur statim ad præceptum communionis secundum veriorem & communissimam sententiam Doctorum. Nam ita sentit Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 241. cap. 4. num. 38. Henriquez lib. 8. cap. 5. Fagundez tertio Ecclesiæ præcepto, lib. 1. cap. 5. num. 20. & ex Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 36. sect. 2. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 41. q. 10. Toletus lib. 6. cap. 15. num. 2. Conick de Sacram. 8. art. 1. dub. 1. num. 10. Filliutius tom. 1. tract. 4. cap. 7. n. 190. Sanchez de legibus disp. 14. sect. 13. num. 3. & alij apud ipsos.

SVM.

SVMMARIVM.

Nec affinitatem ex copula illicita, nec impedimentū inde ortum esse à natura, putat Thomas Sanchez. At quod affinitas tantum oriatur à natura, & impedimentum ab Ecclesia, putat Basilius Pontius nu. 1.

Affinitas ex copula illicita est à natura, sicut & impedimentum. nu. 2.

Vnitas carnis tam habetur à coniunctione licita, quam illicita. eod. num.

Ex vnitate carnis oritur affinitas. eod. num. & num. 5.

Matrimonium est nullum ratione reuerentiæ inter consanguineos. nu. 3.

Affinitas, & consanguinitas pari passu ambulant. eod. nu.

Reuerentia oritur ex gradu: vnde illi, qui maior est in gradu, maior debetur reuerentia. eod. num.

Odia, &c. non oriuntur ab vnitate carnis per copulam illicitam, sed à dedecore coniuncto cum tali vnitate. num. 4.

Dedecus non prouenit ab vnitate carnis, sed ab æstimatione hominum. eod. num.

Amicitia inter affines supponit vnitatē carnis. num. 5.

Alexander Imperator lumine naturæ ductus prohibuit, ne filii ducerent concubinas parētum. num. 6.

Maximum scelus est, quod pater, & filius ingrediātur causa fornicandi ad eandem puellam. num. 7. & hoc non ratione incestus, sed ratione scandali. ead. num.

Consanguinitas, quæ prouenit ex copula fornicaria, est vera, & propria consanguinitas. num. 8.

Affinitas, quæ est re vera affinitas, pari passu ambulat cum consanguinitate. n. 9.

Dauid concubinas suas ab Absalon cognitas reputauit pro nuribus, quia prius ipsas Dauid non cognouerat. n. 10.

Aliud est dicere, quod matrimonium sit abominabile, aliud, quod sit nullum. num. 11.

Odia non oriuntur per se ex copula illicita, sed tantum per accidens, & ratione dedecoris coniuncti cum tali copula. num. 12.

Affinitas inducitur non à conciliatione amicitiæ, sed ab vnitate carnis, num. 13.

Sunt eadem nomina ad significandum affines per copulam illicitam, ac quibus vocantur affines per cōpulam licitam. num. 14.

Amor filiorum in patrem naturaliter inclinat eos, vt amēt, & reuereantur eos, qui sunt quodammodo vnum cum patre. n. 15.

Lex, Non facile &c. quę videtur dicere nō oriri ex copula illicita affinitatem, loquitur quoad effectus ciuiles, nempe quoad successionem &c. huiusmodi. num. 16.

Impedimētum affinitatis ex copula illicita ortū habet à natura, non verò à iure positiuo. num. 17.

RESOLVTIO XVIII.

An impedimentum affinitatis ex copula illicita ortum habeat à natura, vel à iure positiuo?

1 REspondet Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 65. num. 9. quod nullo modo oriatur affinitas à natura per copulam illicitam. At Basil. lib. 7. cap. 33. n. 4. dicit, quod oriatur affinitas de iure naturæ, sed impedimentum sit de iure ecclesiastico. Rationes adducuntur à Sanchez supra, quia experientia teste potius inter eos oriuntur odia, & inimicitiæ. Cōfirmatur à signo, primò enim cum sint nomina imposita affinibus per copulā cōiugalem, nulla sunt imposita affinibus per copulam fornicariam ad significandam amicitiam aliquam inter eos. Secundò quia filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reuerentiam aliquam fœminæ cognitæ à suo Patre; ergo nullum naturale vinculum inde oritur. Tertiò quia ex illicito coitu non oriebatur iure antiquo Romano affinitas, sed ex solis nuptijs, vt constat ex l. nō facile, §. affines, & §. sciendum ff. de gradibus affinitatis. Hęc Sanchez.

2 At hæc doctrina Sanchez, & Pontij omninò displicet Coninch. disp. 32. dub. 4. nu. 48. vers. cōclusio prima. sicut Riccíullo de iure pers. lib. 2. cap. 5. nu. 10. & Rebellio lib. 3. q. 15.

concluſ. 2. Et ratio eſt, quia vnitas carnis tam habetur à coniunctione licita, quam illicita, teſte D. Paulo prima ad cor. 6. dicēte, Ergo mēbra Chriſti faciā membra meretricis? abſit. an neſcitis, quia qui adhæret meretrici, (ſcilicet per fornicationem, de qua ibi Apoſtolus loquitur) vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne vna &c. Sed ex hac vnitate carnis oritur naturalis affinitas, cū hæc ſit fundamentū affinitatis, cap. fraternitatis 35. q. 10. vbi eſt, Si vna caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorū propinquus vni pertinere, niſi pertineat alteri? ergo ex copula fornicaria oritur naturalis affinitas.

Dices ex doctrina Baſilij ſupra, quod hoc matrimonium ſit illicitum de iure naturæ, non verò nullum.

3 Sed contra eſt primò. Nam matrimonium eſt nullum ratione reuerentiæ debitæ inter conſanguineos, ex D. Thoma 2. 2. q. 154. ar. 9 in corp. ſed conſanguinitas, & affinitas pari paſſu ambulant, cap. 1. & toto titulo extra de conſanguinitate, & affinitate, ergo ſi reuerentia inducit nullitatem inter conſanguineos, debet etiam inducere inter affines, cum eadem; nam eadē reuerentia debetur affinibus, quæ debetur conſanguineis: reuerentia enim oritur ex gradu, vnde illi, qui maior eſt in gradu, maior reuerentia debetur, & gradus conſanguinitatis, & affinitatis pari paſſu ambulant, vt in Concilio Moguntino ſub Rabano can. 30. & Vuormatienſi can. 78. teſte eodem Baſilio ſupra num. 3.

Dices ex Sanchez ſupra, quod non omnis vnitas carnis naturalem affinitatem inducit, ſed illa tantum vnitas, quæ conciliat amorem, amicitiam, & reuerentiam inter cōſanguineos vnius partis cum altera parte. At vnitas orta à copula fornicaria potius gignit diſcordias, odia, & inimicitias inter ipſorum affines; ergo non gignit naturaliter affinitatem inter eos.

4 Sed contra eſt primò. Nam odia non oriuntur ab vnitate carnis ſecundum ſe, ſed à dedecore coniuncto cum tali vnitate carnis. Dedecus enim, in quo odium fundatur, ſupponit vnitatem carnis conſtitutam in ſuo eſſe naturali. vnde dedecus non prouenit ab vnitate carnis ſecundum ſe, ſed potius ab æſtimatione hominum, & ſic ab extrinſeco potius ortum habet hoc dedecus, quam ab intrinſeca natura vnitatis carnis. Quod patet ex eo, quia vbi coniunctio non æſtimatur turpis, dedecus non oritur à tali illicita coniunctione, & ſic nec odia excitantur per talem vnitatē carnis: cū ergo odia, &c. non oriantur per ſe, & ab intrinſeco ex tali vnitate carnis, ſed potius per accidens, & ex extrinſeco, conſequenter apta eſt talis copula ſecundum ſe reconciliare conſanguineos vtriuſque partis, & ſi per accidens odia pariat. Sicut coniunctio licita, & ſi aliquando inimicitias potius pariat, quam amicitias, quia per ſe apta eſt amicitias conciliare, hinc eſt, quod affinitatem induc it naturaliter.

5 Contrà eſt ſecundò, quia affinitas non oritur ex amicitia ſequuta ex tali copula, ſed oritur ex eo, quia per talem coniunctionem facti ſunt inter ſe vna caro. Nam amicitia ſupponit vnitatem carnis, & niſi hæc amicitia talem vnitatem carnis ſupponeret, nunquam affinitatē induceret; amici enim quamuis intrinſeci, nunquam dicuntur affines, niſi talem carnalem copulam ſupponant: & vice verſa: & ſi nūquā ſe cognoſcāt, ſi talis copula præceſſit, verè ſunt affines; ergo nō ex amicitia, ſed ex vnitate carnis affinitas oritur. Cū ergo vnitas carnis æqualiter habeatur à copula licita, ac illicita: hinc eſt, q̄ æqualiter affinitas oritur à copula licita, ac illicita.

6 Probat ſecundò Coninch ſupra, quia Alexander Imperator iudicium naturale ſequutus l. liberi 4. C. de nuptijs, ſtatuit, ne filij ducerent concubinas parentum, quia hoc minus religioſum, & probabile eſt; vbi clarè oſtendit ex tali copula, aliquam affinitatem naſci.

At poſſet reſpondere Pontius, quod

ex

Digitized by Google

ex hoc textu potius colligitur, matrimonium hoc esse nullum de iure positiuo, quam naturali, nam ibi textus nõ prohibuit tale matrimonium ex eo, quod sit simpliciter irreligiosum, vel quod nullo modo probetur, sed vti minus religiosum, & probabile: ergo cõtinet in se aliquam religiositatem, & probabilitatem, & si non tantam, quantam si vxor non fuisset concubina Patris: ergo non est simpliciter contra religionem, & consequenter contra Ius naturale pietatis, quod nullitatem inducat. Verba enim textus hęc sunt. Liberi concubinas parentum suorum vxores docere non possunt, quia minus religiosam, & probabilem rem facere videtur. Qui si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt. Vbi vide, quod ibi Imperator dicit, talem filium committere crimen stupri, quod stuprum non impedit matrimonium, nisi tantũ de iure positiuo, quando raptum interuenit, vt in l. vnica C. de raptu virginum. Si enim cõtraheretur affinitas, vt putat Coninch, potius diceret Imperator, talem committere incestum, quã stuprũ. Nec valet dicere, quod ibi Imperator vsurpauit stuprum pro incestu, nam quũ ibi agatur de pœna imponenda transgressoribus illius legis, vt glosa ibi, debebat loqui cum proprietate verborum, ne erraretur in punitione. Igitur ex hoc textu tantum colligitur, tale matrimonium continere aliqualẽ turpitudinem, & sic peccare contrahẽtes, non verò quod sit simpliciter nullum de iure naturæ.

7 Probat tertiò Coninch ex Amos secundo, vbi tanquã grauissimum scelus exageratur, quod Pater, & filius inierunt fornicandi causa ad eandem puellam, cuius nulla est alia ratio, quàm quia per talem copulam contrahitur affinitas.

At ex hoc capite nullo modo probatur intentum, quia ibi Amos exaggerat hoc delictum ratione scandali, ad quod Pater filium inducebat, & ideò dicit, Filius, ac Pater eius ierunt ad puellam, violarunt nomen sanctum meum. Vel dici potest, quod ibi nõ loquitur Propheta de quauis puellá, sed de puella, quæ est vxor filij, vel Patris, quod lege vehementer prohibebatur, vt in Leuit. 18. & ita intelligit hunc lõcum D. Hieronymus teste Ribera in eodem loco, & sic non loquitur de cognatione contracta per copulam illicitam.

8 Probat deinde Ricciullus supra lib. 2. cap. 5. num. 10. quia consanguinitas proueniens ex complexu fornicario est vera, & propria consanguinitas; nam in ea viget naturalis pudor, l. adoptiuus, §. nec vulgo quæsitum, ff. de ritu nuptiarum. l. & nihil interest 54. ff. eodem: ergo eadem ratione affinitas; quia consanguinitas, & affinitas paribus gressibus ambulant, cap. 1. & toto titulo extrà de affinitate, & consanguinitate.

At posset respondere Sanchez, quod ad contrahendam affinitatem, seu consanguinitatem sufficit, quod pendeat quis ex eodem sanguine; & quia sunt ex eodem sanguine, qui oriuntur ex complexu fornicario, ideò dicuntur consanguinei at ad contrahendam affinitatem requiritur copula, quę reconciliet amicitiam inter consanguineos vtriusque partis, qualis non est copula fornicaria. Nec valet dicere, quod cõsanguinitas, & affinitas pari passu ambulant, quia sic loquendo Ricciullus supponeret, quod deberet prius probare: nam supponeret, affinitatem esse,

9 & sic pari passu ambulare cum consanguinitate: at quia affinitas non est ex copula fornicaria, ideò non potest pari passu cum consanguinitate ambulare in casu nostro. Affinitas enim existens ambulat pari passu cum consanguinitate, & non illa, quæ nullo modo est. Et si diceret, quod in recipiẽdo esse pari passu ambulant affinitas, & consanguinitas, supponit, quod prius debet probare, nam hoc est, quod quęritur à Sanchez, an affinitas oriatur de iure naturæ, sicut consanguinitas.

Pro-

Digitized by Google

Probat secundò Ricciullus supra n. 11. quia legimus lib. 2. Regum n. 20. decem concubinas Dauid, quas filius eius Absalon violauerat, inclusas ab eodem Dauide fuisse, vt in viduitate viuerent, & nusquam amplius ab eo fuisse cognitas. Quod certè non fecisset, nisi iure diuino, & naturali quodã pudore ad hoc se adstrictum putasset. Hæc Ricciullus.

10 At respondere posset Basilius, quod Dauid concubinas illas non cognouit antequam Absalon eas cognouisset, secundum opinionem aliquorum; postea verò reputauit eas pro Nuribus, ad quas accessus prohibitus erat de iure diuino positiuo, vt Leuitici 18. & ideò post mortem Absalonis recluſit eas, vt veluti viduæ plorarent viduitatem propriam, vt in secundo Reg. 20. verba enim textus hæc sunt, Cumque veniſſet Rex in domum suam in Hierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendã domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens, & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsquè in diem mortis suæ in viduitate viuentes, &c. vbi vide, quod textus viduas illas appellat: viduæ enim supponunt proprium virum mortuum: ergo Dauid existimauit, illas esse vxores Absalonis, qui mortuus erat, & non proprias, nam si proprias vxores existimasset, non viduas, sed nuptas, & de adulterio, & incestu eas appellasset.

Respondeti potest secundò, quod ex hoc textu tantum colligitur, esse contractam cognationem de iure naturæ, & sic peccare illos, qui contrahunt cum tali cognatione, quod verò matrimonium sit nullum, hoc non probatur.

Probat deindè idem Ricciullus per textum in cap. nec eam videlicet q. 5. vbi æqualiter inquit, incestuosum esse coitum, & abominabilem Deo, & hominibus, si quis ducat aliquam, quæ vxor fuit proprij consanguinei, ac quæ ab eo illicitè est cognita, & licet videatur loqui cum christianis, tamen parificat vtrumque coitum, illumque asserit esse Deo, & hominibus abominabilem: signum euidens, quod eius prohibitio non descendit simpliciter ab homine, & sic ab ecclesiæ constitutione, sed etiam à Deo. Hæc Ricciullus.

Sed contra est primò. Nam conceditur à Pontio, quod hæc prohibitio etiam descendat à Deo per ius positiuũ, vt in Leuit. 18. vbi habes, *Turpitudines vxorum consanguineorum non sunt reuelandæ: & sic dicitur hic accessus abominabilis etiam Deo per tale ius positiuum*, non verò hæc prohibitio prouenit à Iure naturali, hoc enim est probandum à Ricciullo. Nec dicas, quod ibi Leuiticus loquitur de vxoribus, non verò de concubinis; Nam respondet, quod appellantur ijsdem nominibus vxores, ac concubinæ, vt supra dixi: Nurus enim non solum appellatur vxor filij, sed etiam eius concubina, &c. Quod si hæc responsio non placet.

11 Respondet *secundò idem Pontius*, quod ratione abhominationis non colligitur, nisi quod peccaret is contrahendo cum tali impedimento, quia Deus abominatur talem contractum; At quod sit nullum matrimonium adhuc remanet improbatum: sicut si quis iurauit non mutare testamentum factum, & deindè mutet testamentum factum, illicitè facit, & si teneat testamentum: & matrimonium initum contra sponsalia iurata tenet, cap. sicut de sponsalibus: & valet venditio facta alicui cum traditione contrà venditionẽ alteri factam, & iuratam absque traditione, l. traditionibus C. de pactis. l. quoties C. de rei vendicatione: ita abhominabile Deo erit matrimonium contractum in tali gradu affinitatis, quia illicitè contrahitur, & cum culpa, non verò erit nullum &c.

12 Ad primum fundamẽtum Sanchez respondet primò Coninch supra n. 50. vers. ad tertium, negando, quod ex tali copula oriantur odia, & inimicitiæ, quantum est ex natura copulæ, sed odia, & inimicitiæ oriuntur à dedecore

Digitized by Google

re coniuncto cum tali copula, vnde apud eos, vbi concubinatus non est turpis, nec odia, nec inimicitiæ oriuntur, & filij habent reuerentiam erga concubinam patris.

13 Respondet secundò, quod affinitas inducitur non à concilitione amicitiæ, sed ab vnitate carnis, quę æqualiter habetur per copulam fornicariam, ac per copulam legitimam, vt ex D. Paulo supra &c.

14 Ad cõfirmationem respondet idem Coninch supra num. 50. vers. ad primum, quod falsum est, non esse nomina imposita ad significandum affines per copulam illicitam; nam eisdem planè nominibus vocantur facti affines ex copula fornicaria, atque facti ex copula legitima, quod autem non solemus tales ijs hominibus appellare, hoc fit, quia talis affinitas probro ducitur propter copulam illicitam, quam supponit, & ideò communiter occultatur.

15 Ad secundum respondet idem Coninck l. c. vers. Amor enim, & reuerentia &c. Quod amor, & reuerentia in patrem naturaliter inclinat filios, vt ament, & reuereantur eos, qui sunt quodammodo vnum cum patre. Hinc apud eos, quibus concubinatus non est turpis, est aliqua reuerentia filiorum erga concubinam patris. Et quamuis inter respublicas benè institutas concubinatus reddat concubinã vilem, ac detestabilem filijs ipsius concubinarij, vtpote quæ parenti sit causa turpitudinis, & perditionis; ijdem tamen rationes duco, etiam patre mortuo eiusdẽ copulam honorem, tanquam rem, quæ sic contra reuerentiam patri debitam eò quod is, qui filius turpitudinem reuelat, patris turpitudinem cenſetur reuelare, cum quo illa vna caro facta est, in quo omnis ratio affinitatis in ordine ad præsentem effectum consistit. Hæc Coninck.

16 Ad tertiũ respondet idem Coninck ad secundum &c. quod lex illa nihil facit ad rem, primò quia probaret etiam ex fornicatione nato non contrahere cognationem, quia eodem modo de cognatione, & affinitate loquitur. Secundò quia alias apertè contradiceret l. liberi supra citatæ. Tertiò quia solum dicit, affinitatem non contrahi ex nuptijs interdictis, incæstuosis scilicet, non absolutè, sed quantum ad aliquos effectus ciuiles, v. g. successionem, & similes, quia lex noluit concedere hæc priuilegia ijs nuptijs, quas damnabat, vnde ibidem etiam statuit diminutos capite, siue qui ciuitatem, vel libertatem perdiderunt, aut quibus aquæ, & igni interdictum erat, perdere omnem cognationem, & affinitatem, quod de vinculo naturaliter ante contracto dici nequit; neque enim per ea fratres poterant detinere esse fratres, aut priuigni esse priuignos. Hæc Coninch.

17 Igitur concludendum est, impedimentum affinitatis ex copula illicita prouenire à natura, non verò à iure positiuo ecclesiastico, & hoc tantum ex ratione adducta à Coninck num. 2.

SVMMARIVM.

Pœnitens potest dare patri indigenti eleemosynã à confessario pro pœnitentia impositam. num. 1.

Filius tenetur præstare alimenta patri ex virtute pietatis. num. 2.

Obiectum Quod virtutis pietatis est cultus, & obsequium externum, qui cultus partim cõsistit in honore deferendo parentibus, & hoc per se; partim in necessarijs vitæ subsidijs, quando ea aliunde non habent, & hoc per accidens. eod. num.

Quando pater habet, vnde viuat, filius non tenetur alimenta præstare. num. 3.

Paupertas in patre est ratio formalis obligans filium ad præstandum alimenta patri. eod. num.

Dum confessarius dat pro pœnitentia alicui, vt soluat decem e. g. pauperibus, includit omnes, qui dicuntur pauperes in ordine ad ipsum pœnitentem. num. 4.

Qui habet vnde pesendi alimenta non dicitur pauper respectu aliorũ, bene tamẽ respectu

eius, qui tenetur alimenta præstare. num. 5.

Episcopus, qui ordinauit pauperem habentem ius petendi alimenta à patre diuite, non tenetur ipsum ordinatum alere. num. 6.

Per vnicam solutionem potest quis satisfacere pietati, & pœnitentiæ iniunctæ à confessario. num. 7.

Pietas intendit tantum sublevationem patris à miseria; pœnitentia iniuncta à confessario intendit tm solutionem eleemosynæ, etiam si sublevatio miseri non sequatur. eod. num.

Materia præcepta à confessario debet esse libera non secundum entitatem, sed secundum respectum, quem dicit. num. 8.

Qui habet pœnitentiam de danda eleemosyna pauperi, potest illam tribuere extremè indigenti. eod. num.

Eleemosyna tributa patri indigenti secundum quod dicit sublevationem patris à miseria non est præcepta à confessario, secundum quod dicit solutionem vt sic, non est præcepta à pietate. eod. num.

Filius tenetur alimenta præstare patri ex debito legali, sed ratione paupertatis patris. num. 10.

Non implicat, aliquem reportare commodum per accidens ex pœnitentia à confessario iniuncta. num. 11.

Quod ex præcepto fit, pœnale dicitur. eod. nu.

Opus debitum vel ex præcepto ecclesiæ, vel ex præcepto iustitiæ potest à confessario pro pœnitentia sacramentali iniungi. nu. 12.

RESOLVTIO XIX.

Quidam habuit pro pœnitentia à confessario, vt solueret decem pauperibus, an possit dare illa Patri pauperi, cui ipse pœnitens tenetur alimenta præstare?

1 REspondeo, quòd talis pœnitens potest dare illa decem patri indigenti. Ita Henriquez in summa lib. 5. de Pœnitentia cap. 21. num. 3. littera Q. pro probatione

2 Suppono primò, quod filius tenetur præstare alimenta Patri ex virtute pietatis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 101. art. 2. in corpore. Et obiectum Quod virtutis pietatis est cultus, & obsequium externũ, ad quod hæc virtus ordinatur. Qui cultus consistit partim in honore parentibus suo loco, & tempore deferendo, & hoc per se: partim in necessarijs vitæ subsidijs præbendis, quando ea aliundè non habent, & hoc per accidens, vt si sint capti ab hostibus liberentur, si egestate laborant, sustententur: si pressi mœrore, recreẽtur, vt colligitur Matth. 15. Ità Lessius de iustitia lib. 2. cap. 46. num. 5.

3 Suppono secũdò, quod quãdo Pater non indiget alimẽtis, quià habet vnde viuat, filius non tenetur alere patrem, nam alimenta, & alia subsidia debentur Patri per accidens, seu secundum id, quòd ei accidit, non verò per se; nã per se debetur tantum cultus, vt inquit D. Thomas loco citato: vnde paupertas in patre est ratio formalis obligans filium ad præstandum alimenta; ità habetur in l. si quis à liberis, iuncta gloss. ff. de liberis agnoscendis. l. fina. §. ipsum autem C. de bonis, quæ liberis, vbi hæc habes. Ipsum autem filium, vel filiam; filios, vel filias, & deinceps alere Patri necesse est, non propter hæreditatem, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ à parentibus alendos esse liberos imperauerũt, & ab ipsis liberis parentibus, si inopia ex vtraq; (idest alterutra) parte vertitur, &c. vnde gloss. subdit, ex vtraque. i. ex hac, vel ex illa, non coniunctiuè, quia si ambo essent inopes, vnus alium alere non teneretur, vt suprà de alendis liberis l. 2. &c. Idem determinatur in l. filiæ C. de patria potestate, vbi hęc habes in rubrica, Filia tenetur alere matrem pauperem. His positis.

4 Probatur primò nostra responsio affirmatiua. Nam talis pœnitens tenetur dare illa decem pauperibus: sed Pater dicitur pauper respectu filij; idcò enim tenetur alimenta præstare, quia pater est pauper in ordine ad filiũ, nisi enim pauper esset, non teneretur filius alimenta præstare, vt in secundo sup-

po-

posito, nec excluditur à Confessario talis Pater pauper, ergo poterit pœnitens Patri, qui est pauper illa decem dare.

5 Nec dicas, quod qui habet ius petendi alimenta non dicitur pauper, vt dicit Merolla tom. 2. dub. 34. n. 382. ex Surdo de alimentis titulo 7. q. 37. & consequenter dando illa decem Patri, dantur non pauperi.

Quia contrà est, nam qui habet ius petendi alimenta, verè dicitur pauper respectu eius, qui tenetur ipsi alimenta præstare; nam ratio, vt filius teneatur alimenta præstare, est paupertas Patris, vt dixi in primo supposito, & si non dicatur pauper respectu aliorũ, qui alimẽta præstare non tenentur. Nec Surd. dicit aliquid contrà nos. Nam deducit ex cap. Episcopus de præbendis,

6 quod non teneatur Episcopus alere clericum pauperem, quem ipse Episcopus ordinauit sine titulo ecclesiæ, si talis clericus habeat Patrem diuitem, à quo possit alimenta petere, quia qui habet ius petendi alimenta, non dicitur pauper, vbi vides, quod loquitur de clerico paupere respectu Episcopi ordinantis, & respectu huius non dicitur pauper, & si dicatur pauper respectu Patris, à quo alimenta petere potest.

7 Probatur secundò, quia per vnicam solutionem factam patri, saluatur finis Quòd Pœnitentiæ, & finis Quod pietatis, ergo per talem solutionem satisfit pietati, & non tenetur quis ad aliam solutionem. Antecedens, in quo tota vis est, probatur, nã id, quod pietas intendit, est subleuatio Patris à miseria, seu à necessitate, in quam incidit, cum hoc spectet ad pietatem per accidens; & in tantum filius tenetur, in quãtum pater est in tali necessitate, & alliundè non habet modũ exeundi ab illa, vt ex primo supposito: finis verò Quod pœnitentiæ est solutio eleemosynæ, siue ex hac solutione sequatur, siue non sequatur subleuatio pauperis à miseria: Nam si pœnitens tribuat eleemosynam illam pauperi, qui per talem eleemosynam nullo modo subleuetur, verè satisfacit pœnitentiæ, ergo per vnicam illam actionem saluatur finis Quod vtriusq; virtutis, & consequenter satisfit pietati, & pœnitentiæ.

Confirmatur, quia si talis pœnitens velit prius satisfacere pœnitentiæ, & deinde pietati, & tribuat eleemosynã illam Patri, iam Pater exit à miseria, & cum amplius non indigeat alimentis, non tenetur filius amplius illa præstare, vt ex secundo supposito; ergo non tenetur amplius satisfacere pietati, & consequenter non tenetur ad aliam solutionem.

Nec dicas cum Merolla loco cit. quod pœnitentia debet esse de materia libera, quando ex coniecturis aliud nõ constet: ergo non est vera, immò falla (vt vtar verbis Merollæ) nostra sententia.

8 Quia contrà est, nam vel Merolla intelligit, quod materia pœnitentiæ debet esse libera, id est materia, quæ nõ sit sub præcepto, & hoc intelligit non secundum id, quod respicit materiam præceptã, sed secũdũ entitatẽ ipsã materiæ, sine vllo respectu, & hoc falsum est, etiam secundum ipsummet Auctorem. Nam ipsemet Auctor l. c. n. 379. dixerat cum Victoria, Soto, Henriquez lib. 5. de pœnit. cap. 21. num. 3. in cõment. littera Q. Ledesma in summa Sacram. vbi de satisfactione dub. 9. in fine. Emanuele Sà verb. satisfactio n. 9. Sanchez lib. 1. summæ cap. 14. nu. 6. Ferdinando à Castro tom. 1. par. 3. disp. 1. punct. 20. num. 8. quod pœnitens satisfacit, si dat eleemosynam à confessario præceptam extremè indi-

9 genti, & si confessarius iusserit, dari eleemosynam illam pauperi vt sic: & hoc ex eo, quia potest vna entitas secundum vnum respectum satisfacere pœnitentiæ, & secundum alium respectum satisfacere misericordiæ. Vel intelligit, quod materia secundum respectum ad obiectum Quod pœnitentiæ,

Digitized by Google

non sit præceptum, & hoc vtiquè verum est. At nihil contrà nos: Nam solutio illa eleemosynæ, pro vt dicit subleuationem Patris à miseria, non est præcepta à confessario, & si præcepta sit à pietate, & secundū hunc respectum dicitur libera: At secundum quod hæc eleemosyna dicit solutionem vt sic, est à confessario præcepta, & est materia pœnitentiæ, & secundum hunc respectū nō est materia pietatis, sed pœnitentiæ, vt dixi: est igitur libera hæc entitas eleemosynæ secundum respectum requisitum à pœnitentia, seu secundum quod præcipitur à pœnitentia.

10 Nec dicas cum eodem Auctore, quod filius teneatur debito legali, quod per iudicem compelli potest, ad subueniēdum Patri. Nam contrà est, quia ideo tenetur, & pōt cōpelli à iudice, quia Pater pauper est; ergo semper est debitum fundatum in paupertate, & consequenter est ratio includens Patrem intrà alios pauperes: & cum Pater sit inter pauperes respectu filij, potest filius dare patri, quod tenetur dare pauperibus, & ideò potest compelli à iudice ad succurrendum Patri, ad finem subleuandi Patrem à miseria. Quod si fiet ex pœnitentia debitis, vel non debitis, hoc parum curat iudex: sufficit enim Iudici subuentio, & subleuatio Patris à miseria, & quod sit facta à filio.

Nec dicas, quod filius ex pœnitentia iniuncta reportaret à confessario commodum, at pœnitentia semper debet esse afflictiua.

11 Quia contra est, nam filius tunc reportat commodum à pœnitentia per accidens, quia si Pater esset diues nullum commodum reportaret: & hoc nullum inconueniens est respectu satisfactionis iniunctæ: sicut si Pauper haberet pro pœnitentia, vt e.g. tali die in tali ecclesia eucharistiam sumeret, & in illa ecclesia tribueretur eleemosyna sumentibus eucharistiam tali die, hic commodum reportat à pœnitētia, & tamen satisfacit pœnitentiæ: & dicitur esse pœnalis talis actio, quia eo ipso, quod fit aliquid ex præcepto, pœnale est, sicut etiam quando Confessa-
12 rius præcipit pro pœnitētia opus aliàs debitum, vel ex præcepto ecclesiæ, vt v.g. interfit sacro die festo, vel ex debito iustitiæ, vt v.g. soluat illa, quæ debet alteri; quādo opus illud exequitur, pœnitentiæ, & ecclesiæ præcepto, vel iustitiæ satisfacit, vt optimè Alphonsus de Leone de officio, & potestate Confessarij par. 1. recoll. 25. num. 103. Sanchez lib. 1. summæ cap. 14. num. 6. Coninch disp. 10. nu. 68. sufficit enim si cum nouo onere opus illud fiat à pœnitente.

Ex dictis ergo manifestè apparet, posse pœnitentē illa decem à confessario pro pœnitentia iniuncta patri indigenti tribuere, quod verum est, stante quod pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam.

SVMMARIVM.

Qui dubitat an peccatum sit à se commissum, vel an peccatum commissum sit mortale, vel veniale, non tenetur tale peccatum sub dubio confiteri, & si teneatur in articulo mortis (si post tale dubium aliud sacramentum non sumpsit) procurare media, vt se certò ponat in gratia. nu. 2.

Ab ecclesia exigitur tantum à pœnitente, vt confiteatur illa peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit. nu. 2.

Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrūt, non sunt confitenda. eod. num.

Peccata mortalia, pœnitenti occulta, & ignorata ab ipsomet, non sunt confitenda. nu. 3.

Qui dubitat, post factam diligentiam non dicitur amplius dubius, sed ignorans. eod. num.

Vnusquisque in agendo potest sequi opinionē probabilem. num. 4.

Materia dubia sacramentorum potest quis vti, vrgente necessitate; sed non tenetur ex vi sacramenti. nu. 5.

Aqua rosacea est materia dubia sacramenti baptismi. eod. num.

Nullum habemus præceptum diuinum, vt peccatum

Digitized by Google

catum semel commissum, bis confiteamur.

Qui confitetur peccatum dubium, quando exit de dubio tenetur iterum illud confiteri, vt certum. eod. num.

Qui dubitat, an emiserit votum, si post factã diligentiam non exit de dubio, non tenetur ad votum. num. 7.

Vnusquisq; tenetur virtute charitatis se reddere tutum de sua salute. num. 8.

Ex nulla lege, vel præcepto tenemur peccata dubia confiteri. eod. num.

Peccata dubia, etiam si non confiteamur, remittuntur indirectè in sacramento pœnitentiæ. eod. num.

In dubijs tutior pars est sequenda respectu nõ tutæ, non verò respectu tutæ. nu. 9.

In dubijs practicis tutior pars est sequenda, non verò in speculatiuis. nu. 10.

Dubitare, an peccatum à me commissum sit mortale, est dubium practicum. At dubitare, an tale dubium peccatum sit cõfitendum, est dubium speculatiuum iuris. nu. 11.

Poterat Christus Dominus instituere pro materia sacramenti pœnitentiæ peccata dubia, sed de facto non instituit. num. 12.

Vsus ecclesiæ nunquam indicauit, peccata dubia esse materiam necessariam, vel voluntariã sacramenti pœnitentiæ. nu. 13.

Vsus communis ecclesiæ non potest instituere materiam Sacramentorum. eod. nu.

Fauori animarum conducit, vt materia sacramenti pœnitentiæ extendatur, non verò obligatio confitendi, qua odiosa est. nu. 14.

Qui confitetur peccata dubia cum certis in sacramento pœnitentiæ, gaudent beneficijs, quibus gaudent, qui confitentur peccata certa. eod. num.

Non est verum vniuersaliter, quod quidquid remittitur per contritionem, necessariò remittitur cum ordine ad sacramentum pœnitentiæ; cum peccata venialia, & mortalia commissa ante baptismum, & peccata oblita etiam remittantur per contritionem sine vllo ordine ad sacramentum pœnitentiæ. num. 15.

Nullum peccatum certum commissum post baptismum remittitur sine sacramento pœnitentiæ, vel in re, vel in voto, si de illo habeatur memoria; At peccatum dubium, etiam si habeatur memoria de illo, vt dubia, nullum habemus præceptum confitendi. num. 16.

Qui non confitetur peccata dubia, ad nullum periculum se exponit, cum peccata dubia post diligentiam habeantur pro peccatis oblitis. num. 17.

RESOLVTIO XX.

Quidam dubitat, peccatum sit ne à se commissum, an non: Vel certò scit peccasse, sed dubitat, mortaliter ne, an venialiter; An teneatur talia peccata sub dubio confiteri?

1 REspondeo, talem nullo modo teneri peccata illa confiteri sub dubio. Si verò post tale dubium aliud sacramentum non sumpsit, tunc tenetur in articulo, vel periculo mortis aliud sacramentum sumere, vel actum contritionis elicere, vel confiteri alia peccata certa, saltem venialia. Ita Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 45. nu. 3. in glossa lit. P. his verbis. Alias in dubio æquali, vt non tenetur ad votum, & onus præcepti, ità nec ad confessionem illius, &c. & post pauca. At re vera hic potest practicè deponere dubiam conscientiam, & sic excusatur à præcepto: sed in mortis articulo expediret confiteri, si facilem non habet contritionem, aut aliud sacramentum ne se exponat periculo dãnationis, &c. Coninch disput. 7. de integritate confessionis dub. 8. num. 68. his verbis. Qui secundo modo dubitat, an peccauit, (est secundus modus dubitandi secundùm modum Coninch nu. 67. quando vtraque pars ob certas rationes verè est positiuè probabilis) non tenetur confiteri, quia quũ possit probabile formare iudicium, se non peccasse, potest illud sequi, & num. 69. Qui tertio modo dubitat, an aliquid fecerit, quod credit esse peccatum, non tenetur confiteri. Est tertius modus dubitandi secundùm eundem Coninch n. 67. quãdo pro neutra parte occurrũt

Digitized by Google

sufficientes rationes, vt possit de ea probabile iudicium ferri. Est etiam Ioannis Præpositi in tertia par. q. 5. de integritate confessionis dub. 3. nu. 117. qui dicit, quod hanc opinionem existimauit Lessius esse probabilem, à se consultus.

2 Probatur primò ex Concilio Tridétino sess. 15. cap. 1. vbi hæc habet. Cõstat enim, nihil aliud in Ecclesia à Pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suũ mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. Pro quibus fideliter cum Propheta dicimus. Ab occultis meis munda me Domine, &c. Si ergo in Ecclesia exigitur tantum à Pœnitentibus, vt ipsi confitcantur illa peccata, quibus post factam diligentiam, se Deum mortaliter offendisse meminerint. Igitur illa, quibus post factam diligentiam non meminerunt mortaliter offendisse, non sunt necessariò confitenda. Insuper, si reliqua peccata, scilicet mortalia, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, nõ sunt confitenda, sed sunt inclusa in cõfessione facta, in qua ipsa non fuerunt expressa; etiam peccata dubia, an sint mortalia, vel an sint commissa, non tenetur quis confiteri; sed sunt inclusa in confessione, in qua illa non fuerunt expressa: nam hæc post factam diligentiam adhuc dubia remanent, & consequenter occulta, & sic non occurrunt, vt mortalia diligenter cogitanti.

3 Confirmatur, quia peccata mortalia pœnitẽti occulta, & ignota ab ipsomet pœnitente non sunt confitenda ex Cõcilio Tridentino. Sed peccatum dubiũ modo explicato, est omninò occultum, & ignoratum à pœnitente, nam qui dubitat post præmissam moralem diligentiam, amplius non dicitur de illa re dubitare, sed omninò ignorare rem illam, de quà prius dubitabat, vt optime Ioannes Sanchez disp. 24. num. 3. vers. similiter. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 41. num. 40. vers. secundò probatur, &c. cum post factã diligentiam non appareat, vt mortale, neque vt commissum: ergo peccatum dubium ex Concilio Tridentino non est confitendum, &c.

4 Probatur secundò, quia vnusquisq; in agendo potest sequi opinionem probabilem: sed qui dubitat, an peccatum à se commissum sit mortale, vel veniale, habet probabilitatem ex vtraque parte, si dubium sit positiuum, cũ habeat rationem pro vtraque parte, ergo potest formare iudiciũ practicũ, se scilicet non peccasse, & sic practicè deponere dubium; ergo simpliciter nõ tenetur peccata dubia subijcere clauibus.

5 Probatur tertiò, quia in alijs sacramentis, quando dubitamus, an materia remota sit habilis, tunc possumus tempore necessitatis illa vti, sed non tenemur vi sacramenti, & si teneamur ex vi charitatis, ne scilicet cum possimus probabiliter procurare proximi salutẽ, illam negligamus. Sic aqua rosacea, quæ est materia dubia sacramenti baptismi, cum dubitetur, an sit formaliter aqua, tempore necessitatis, si deficit aqua naturalis, seù vsualis, possumus, sed non tenemur illa vti ex vi sacramenti: ergo sic etiam dicendum est de peccato dubio, quod possumus, sed nõ tenemur illud submittere clauibus. Antecedens est omnium. Consequentia patet: nam sicut est materia remota sacramenti Baptismi aqua: sic est materia remota sacramenti pœnitentiæ peccatum: ergo sicut possum, sed non teneor vti aqua rosacea ad baptizandum, si aqua vsualis deficit, ità possum, sed non teneor submittere clauibus peccatũ dubiũ: ergo peccatũ mortale dubium, si sit saltẽ veniale certũ, est materia voluntaria, & non necessaria sacramẽti Pœnitentiæ, & cum possum peccata dubia per aliud medium

à me

Digitized by Google

à me expellere, secundum omnes, ideo neque teneor ex præcepto charitatis illa submittere clauibus.

6 Cõfirmatur primò, quia nullibi expressũ est præceptũ Diuinũ, vt peccator bis confiteri teneatur peccatũ semel cõmissum, ergo dicendũ est, q̃ peccatũ dubiũ non sit materia necessaria. Sequela patet, nam postquã peccator confessus est peccatum dubium, si recordetur, peccatum illud fecisse certò, tenetur iterum illud cõfiteri, vt certũ; ita Sanchez lib. 1. Summæ cap. 10. nu. 69. Turrianus de pœnitent. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6. Diana 3. p. tra. 4. res. 91. ergo tenetur bis confiteri peccatum semel commissum.

7 Confirmatur secundò, quia qui dubitat, an votum emiserit, & post diligentiam non exit de dubio, non tenetur ad votum; ergo qui dubitat, an peccatũ commiserit, post factam diligentiam non tenetur ad confessionem.

Quod verò in articulo, vel periculo mortis teneatur elicere actum contritionis, si anteà non fecit, vel aliud sacramentum, vel aliud medium iustificans sumere, est non solum Doctorum præcitatorum, sed etiam Pauli Laymã lib. 1. tract. 1. cap. 4. num. 37. vers. nota secundò, &c.

8 Et patet, quia vnusquisque tenetur ex lege charitatis se reddere tutum de sua salute, & sic tunc contrà charitatẽ ageret exponendo se periculo probabili damnationis.

Si verò vnum ex dictis medijs adhibuit, non tenetur illa confiteri, quod patet, nam non tenetur ex lege positiua Christi, quia esset nimis seuera obligatio accusandi se de ijs, quæ se commisisse ignorat; nec habemus hãc obligationem expressam in lege euangelica: Nec tenetur ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quãdoquidẽ accipiẽdo aliud sacramentũ, vel confitendo peccata certa per accidens, remittuntur etiam peccata, quæ ignorantur, & sic est tutus de salute.

Obijcitur primò, quia in dubijs tutior pars est eligenda: maximè in materia salutis, & sacramentorum; sed tutius est, peccata illa subijcere clauibus, quàm non: ergo necessariò sunt subijcienda, ne forte, si homo per peccatum mortuus sit spiritualiter, nunquam reuiuiscat.

9 Respõdet primò Fagundez, q̃ tutior pars est eligenda respectu non tutæ, nõ verò respectu tutæ, sicut esset in casu nostro.

10 Respondetur secundò distinguendo maiorem, quando dubium est omninò practicum, concedo; at si dubium est speculatiuum, ex quo cum alijs principijs põt alia conclusio practica deduci, quod .s. nos non teneamur aliquãdo onus subire, tunc falsa est maior; quum tunc non sit semper tutior pars respectu dubij eligenda: ex dubio enim speculatiuo, an peccatum sit mortale, vel veniale, vel an sit, vel non sit commissum, potest deduci conclusio practica: ergo non teneor illud clauibus submittere, cum clauibus submittẽda sint tantum peccata certa ex dictis. Et sic falsa est minor, nam non est magis tutum elicere actum cõtritionis, vel aliud sacramentum suscipere, quàm peccatum illud dubium cum alijs certis cõfiteri, in vtroque enim casu recipitur gratia remittens omnia peccata.

Dices, quòd quando dubito, an peccatum à me commissum sit mortale, vel veniale, tunc dubium hoc est practicum, non speculatiuum, ergo teneor confiteri saltem cum hoc dubio.

11 Respondetur, quod dubitare, an peccatum à me commissum sit mortale, vel veniale, vtique est dubium practicum facti: at dubitare, an peccatum dubium hoc modo sit subijciendum clauibus, vel non, hoc non est dubium practicum facti, sed speculatiuũ iuris, fũdatũ in dubio facti practico: Dubito enim, an sit lex diuina, vel humana obligãs me ad subijciendum clauibus tale peccatum dubium: lex enim diuina certa est de confitendis peccatis mortalibus manifestis, & claris, vt dixi

ex

ex Concilio Tridentino, & quia ex hoc dubio speculatiuo, & alijs principijs possum deducere conclusionem practicam, me scilicet non teneri peccata illa confiteri, ideò non teneor.

Obijcitur secundò, quod dubium, quo quis dubitat, nùm peccauerit, vel nùm peccatum commissum sit mortale, vel veniale, esse potest cum morali certitudine de obligatione illud confitendi, ergo nihil obstat, quòd non sit materia necessaria.

12 Respondetur concedendo antecedens; potuisset tamen Christus Dominus instituere pro materia necessaria huius sacramenti etiam peccata dubia: sed an de facto sic instituerit, hoc non constat, sicut constat de cæteris materijs sacramentorum; nec nos debemus onus nouum imponere fidelibus, quod à Christo Domino impositum non est. Immò oppositum colligitur ex dubio speculatiuo, an scilicet peccata dubia sint confitenda, iuncto principio practico, quod melior sit conditio possidentis suam libertatem, concludimus.n. non teneri Christianũ confiteri peccata dubia, nec etiam Christum Dominum ad id illos obligasse.

Dices, constat ex communi vsu Ecclesiæ, peccata dubia esse materiam necessariã sacramenti pœnitentiæ, nam semper fideles peccata dubia subijciunt clauibus.

13 Respondeo, vsum Ecclesiæ nunquã indicasse, peccata dubia esse materiam necessariam sacramenti pœnitentiæ, & ideo quando illa fideles confessi sunt, semper addiderunt materiã certã, siuè necessariã, siuè volũtariã, quia iudicauerunt, vel dubitarũt, peccata dubia nõ esse materiã necessariã, nec sufficiẽtem. Adde, quod communis vsus ecclesiæ non potest cõstituere materiam sacramentorum, quum sacramenta sint instituta tantum à Christo Domino: nec ex eo, quod fideles solent illa cõfiteri, dicendum est, quod sint materia necessaria; nam etiam fideles semper solent confiteri peccata venialia, omissiones, & cætera huiusmodi, & tamen nemo dixit, quòd hæc sint materia necessaria sacramenti pœnitentiæ. Vsus enim ecclesiæ indicauit, peccata dubia non esse materiam necessariam.

Dices secũdò, ergo peioris cõditionis esset, qui haberet peccatum dubiũ, quam qui haberet peccatum certum. Nam ille non haberet remedium in hoc sacramento, & hic haberet.

14 Respondet Ioannes de Lugo de pœnit. disp. 8. sect. 2. num. 66. quod fauori animarũ conducit, vt nõ extendatur obligatio, quæ odiosa semper est. Vnde poterit, si voluerit, peccata dùbia quis confiteri cum peccatis certis, & sic gaudere beneficio sacramenti pœnitentiæ, sed non tenetur illa confiteri.

Obijcitur tertiò, peccatum dubium est obiectum necessarium contritionis, ergo est etiam obiectum necessarium sacramenti pœnitentiæ. Consequentia patet, nam contritio non remittit peccata, nisi cum ordine ad claues: ergo si remittit peccatum dubium, etiam in ordine ad claues debet remittere, ergo est materia necessaria clauium.

15 Respondeo negando antecedens, nam peccatum dubium potest remitti per contritionem, vel per susceptionem alterius sacramenti, vel si implicitè cum alijs peccatis quis confitetur, sicut peccatum oblitum. Et sic nego consequentiam: non enim verum est, quod quidquid remittitur per contritionem, necessariò remittitur cum ordine ad sacramentum pœnitentiæ, quia peccata venialia, peccata mortalia cõmissa ante baptismum, peccata oblita etiam remittuntur per contritionem, & tamen non sunt materia necessaria huius sacramenti, qui enim conteritur de venialibus, vel de mortalibus, vt sic, & habet alia peccata, de quibus nõ recordatur, & qui conteritur de peccatis commissis ante baptismum, recipit gratiam, & tamen non tenetur illa submittere clauibus.

Dices, nullum mortale commissum

post

Digitized by Google

post baptismum, de quo habetur memoria, remittitur sine ordine ad claues, ergo quum habeamus memoriam de tali peccato dubio, non potest remitti sinè ordine ad claues.

16 Respondeo distinguēdo antecedēs, nullū mortale cōmissū post baptismū remittitur sine ordine ad claues, de quo habetur memoria, si verè sit peccatum mortale, & cū certitudine morali, vtiq. verū est: si dubiè sit peccatū mortale, hoc grātis dicitur, quum nullum habeamus locum in Sacra Scriptura ad id nos obligantem, nec rationem sufficienter nos conuincentem; igitur vsque ad moralem certitudinem numquam peccatum dubium fit materia necessaria huius sacramēti pœnitētiæ.

Dices, quia qui omittit cōsiteri peccatum dubium, exponit se periculo omittendi materiam necessariam, scilicet peccatum mortale: si autem peccatum dubium confitetur, nulli periculo se exponit, ergo tenetur ad hanc secūdam partem, ne se exponat tali periculo.

17 Respondeo, quod ad nullum periculum se exponit voluntarie post factam diligentiam, nam post factam diligentiam, si adhuc dubius remanet, & peccatum esset re vera cōmissum, vel esset mortale, tale peccatum habetur veluti oblitum, quum non sit cognitum, & qui non confitetur peccatum oblitum, ad nullum periculum se exponit; alioqui enim vnusquisque teneretur confiteri omnia peccata, quæ potuisset facere tēpore præterito, & in sua iuuentute, quia aliter exponeret se periculo non confitendi, quod re vera patratum fuit, & sic totus mundus impleretur scrupulis. Ex dictis ergo manifestè apparet, quod quando quis dubitat, an peccatum sit commissum, vel an peccatum commissum sit mortale, vel veniale, non tenetur talia peccata dubia sub dubio cōfiteri.

SVMMARIVM.

Peccatum omissionis consistit formaliter in sola negatione actus debiti, & per hanc differt à præcepto negatiuo. num. 1.

Peccatum commissionis, & omissionis non differunt formaliter. eod. num.

In lege Euangelica sunt consilia, & præcepta: præcepta important necessitatem, consilia verò voluntatem, vnde hæc dantur de ijs, per quæ melius, & expeditius homo potest consequi beatitudinem, illa verò dantur de ijs, quæ simpliciter sunt necessaria ad beatitudinem. num. 2.

Omissiones de præcepto sunt per se confitendæ; omissiones verò de consilio non tenetur quis confiteri, nec potest; & si per accidens potest esse astrictus ad illarum confessionem. num. 3.

Commissio contra præceptum est materia necessaria, quantum est de natura sua, & si per accidens, nempe ratione paruitatis materiæ, vel imperfectæ deliberationis potest esse materia voluntaria. num. 4.

Voluntarium dicitur non solum id, supra quod cadit actus volūtatis, sed etiam quod est in nostra potestate, vt fiat, vel non fiat. nu. 5.

Ipsum velle dicitur voluntarium. eodem n.

Non operari secundum consilium, nullum est peccatum, nec est contra præceptum, sed præter ipsum. num. 6.

Deus examinabit operationes hominum ad punitionem, circa actus peccaminosos, & ad iustificandum causam Dei circa omissiones. num. 7.

Reddituri sumus Deo rationem de bonis inspirationibus. eod. num.

Non dicitur prodigus, qui non acquirit bona, ad quæ acquirenda nullum habet ius. n. 8.

Sacerdos, qui numquam celebrat, non peccat mortaliter per se, sed potest peccare per accidens nempe, vel ratione scandali, vel si sit Parochus, vel si de hac celebratione habeat præceptum, vel ratione consuetudinis, qua reputantur improbi, & rei Sacerdotes nūquam celebrantes. num. 9.

Probabiliter dantur actus indifferentes. n. 10.

Actus omissionis confessionis potest esse aliquando virtuosus, si ideo quis non pareat internæ inspirationi, E.g. quia videt ad id non

non teneri; vnde obediret, si Deus ad id ipsum obligaret, & hic erit actus religionis, vel si non pareat, quia vult vti propria libertate à Deo ipsi concessa circa consilia, & hic dicitur actus propriæ charitatis, siue amicitiæ naturalis. eod. num.

Religiosi tenentur exequi consilia per accidens, nempe ratione voti. n. 11.

Vouere est de consilio, executio voti est de præcepto. eod. num.

Si ad opus indifferens accedit votum, fit opus necessarium. eod. num.

Non omnis contritio est materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, sed contritio de peccatis commissis post baptismum. n. 12.

Contritio de omissione, non est contritio sufficiens in Sacramento pœnitentiæ. eod. n.

Omissiones consiliorum possunt esse per accidẽs materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, nempe ratione voti, vel si non adimpleantur ob contemptum, vel indignationem contra Deum. num. 13.

RESOLVTIO XXI.

An teneatur quis, vel saltem possit confiteri omissiones sine aliis peccatis.

1 PRo responsione suppono primò, peccatum omissionis consistere formaliter in sola negatione actus debiti: potest enim intelligi perfectè constitutum per hanc negationem tãtum, & per eandem opponitur præcepto negatiuo. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 71. ar. 1. in corpore, & ad tertium. Nec differt formaliter à peccato commissionis, sed tantum materialiter, nam differentia materialis desumitur ab entitate naturali specifica actuum malorum. Sic ad eandem speciem homicidij formaliter pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio, quamuis actus sint specie diuersi secũdum entitatem, seu naturam: differentia verò formalis desumitur in ordine ad obiectum: vndè quoties obiectum cõmissionis, & omissionis est idem, toties omissio, & commissio non differunt specie; (loquor, hic de specie largè accepta, quam negatio, vel priuatio habere potest) tunc enim ad idem ordinãtur, & ex eodem motiuo procedunt. Sic auarus ad congregãdam pecuniam, & rapit aliena, & nõ soluit ea, quę soluere debet. Gulosus ad satisfaciendum gulæ, & superflua comedit, & ieiunia debita prætermittit, & sic de cęteris huismodi. Vndè hęc duo præcepta omissionis scilicet, & commissionis non differunt formaliter, sed tãtum materialiter. Ita D. Thomas loco citato q. 72. art. 6. in corpore.

2 Suppono secundò, in lege Euangelica èsse consilia, & præcepta, quæ inter se differunt secundum D. Thomam 1. 2. q. 108. art. 4. in corpore. Nam præceptum importat necessitatem, vndè datur de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ Beatitudinis. Consilium verò ponitur in opinione eius, cui datur, & sic datur de his, per quæ melius, & expeditius homo potest consequi finem prædictum. Homo igitur constitutus inter mundana, & spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit, quantò plus inhæret mundanis bonis, tantò plus recedit à spiritualibus, & è contra. Hinc est, quod quando homo totaliter inhæret rebus huius Mundi, & in eis suum finem constituit, & illis vtitur, quasi essent regulæ suarum operationum, tunc totaliter excedit à spiritualibus bonis, & hæc deordinatio tollitur per præcepta: At si vult consequi suum vltimum finem beatitudinis non est necesse, vt totaliter mundana abijciat, quum possit beatitudinem cõsequi, vtẽdo illis bonis temporalibus, dum suum finem in eis non constituat; sed expeditius ad beatitudinem perueniet, omninò, & totaliter bona huius mundi abijciendo, & de hoc dantur consilia Euangelica. Bona autem huius mundi, quæ ad vsum humanæ vitæ pertinent, consistunt in diuitijs exteriorum bonorum; in delicijs carnis, & in honoribus. Ita prima Ioannes 2. Omne, inquit, quod est in mundo aut est con-

Digitized by Google

concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Diuitiæ enim spectant ad concupiscentiã oculorũ, delitiæ carnis ad concupiscentiam carnis; honores verò spectant ad superbiam vitæ. Diuitiæ abdicantur per paupertatem, delitiæ carnis per castitatem, honores verò per obedientiæ seruitutem. Directio verò horum trium totaliter, secundum quod possibile est, spectat ad consilia euangelica, quæ, si simpliciter obseruantur, talis obseruantia spectat ad consilia simpliciter proposita, & isti sunt formaliter Religiosi. Si verò obseruantia sit horum consiliorum in aliquo speciali casu, pertinet ad consilia secundũ quid, ideſt, tantum in casu illo: puta si homo emittat votum paupertatis simpliciter, obseruat consilium euangelicum. Si verò dat eleemosynam aliquam pauperi, quando dare non tenetur, obseruat consilium euangelicum, quantum ad factum illud, & sic de cæteris. His positis.

3 Respondeo, teneriquẽpiã confiteri omissiones de præcepto per se, omissiones de consilio non teneri per se confiteri, nec posse, etsi per accidens potest esse astrictus ad illarum confessionem.

4 Patet, nam omissio formaliter non differt à commissione in materia præcepti, vt ex primo suppositio; sed commissio contra præceptum est materia necessaria, quantum est de natura sua, & potest esse materia voluntaria per accidens, nempè vel ratione paruitatis materiæ, vel ex ratione imperfectæ deliberationis; ergo ità etiam est dicendum de omissione.

Obijcies, quia non est peccatum, nisi sit voluntarium, ex D. Augustino in libro de libero arbitrio: sed omissio non potest habere actum voluntatis, quum nullum habeat esse, consistit enim in negatione, ergo omissio non põt esse peccaminosa, & consequenter materia necessaria sacramẽti pœnitentiæ.

5 Respõdeo cum D. Thoma 1. 2. q. 71. art. 5. ad secundum, quod aliquid dicitur voluntarium non solùm quia supra ipsum cadit actus voluntatis, sed etiã quia in potestate nostra est, vt fiat, vel non fiat, vt dicitur in tertio ethic. vndè etiam ipsum velle potest dici voluntarium, in quantum in potestate nostra est velle, & non velle: igitur omissio voluntaria est, quatenus homo voluntariè nõ vult, quod debet ex præcepto velle.

Quod omisiones consiliorum non sint necessariò confitendæ per se, nec sint materia sufficiens voluntaria;

6 Patet, nàm non operari secundum consilium, nullum est peccatum, quia talis operatio nullo modo est contra præceptum, sed tantum præter ipsum; aliter enim peccaret, qui vxorem duceret, & qui non efficeretur Religiosus, & qui à curis sæcularibus non se abstineret, & qui non esset contentus, quibus tegatur, & qui superflua alimenta quæreret, & qui nimium sollicitus esset de salute corporis, & qui mentaliter non oraret, & qui dignitates appeteret, & qui non eligeret locũ inferiorẽ relicto superiori, & qui eleemosynam non præberet pauperi in communi necessitate; ergo si nullum est peccatum non operari secundum consilium, omisio consiliorum non potest esse materia huius sacramenti.

Obijcitur primò, quia de inspirationibus diuinis etiam circa consilia reddituri sumus rationem in extremo iudicio, sed causa non exequutionis non potest esse bona; ergo non exequi, erit malum: ergo omisio consiliorum est mala, & consequenter materia sacramenti pœnitentiæ.

7 Respondeo, quod dupliciter Deus examinabit operationes hominũ: vno modo ad punitionem, alio modo ad iustificationem, ideſt, ad iustificandam causam Dei. Iudicium punitionis fit tantum de actibus peccaminosis, qui fiunt contra præcepta: peccata enim tantum à Deo puniuntur. Iudicium

Digitized by Google

verò iustificationis fit de omissionibus circà consilia, quando ad obseruantiã illorum homines à Deo sunt inspirati. Vndè si contingat, hominem damnari, Deus ostẽdet iustam causam suã, allegãdo, quantis inspirationibus præuenit, & præmuniuit eum, non solum, vt à peccato cessaret, sed etiam, vt consilijs, & sacramentis vteretur, quæ ad salutem illi cessissent, si inspirationibus annuisset. Si enim contingat, hominem saluari, etiam causa Dei iustificabitur, minorem gloriam exhibentis, quàm posset, nam si inspirationibus correspondisset, vberiori certè beatitudine frueretur, & sic sibi imputabit homo, quod cumulatior beatitudo data non sit: & sic est intelligendus locus Pauli 2. ad corint. 5. Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit: ly enim prout gessit, intelligit Suarez tom. 2. in tertiam partem disp. 57. sect. 6. non solum opera, sed simpliciter omnia media, per quæ homines saluari possunt, vel damnari.

Obijcitur secundò, nam prodigalitas vitium est ex D. Thoma 2. 2. q. 119. ar. 2. & consistit in eo, quod aut quis excedat in donando, & largiendo dona propria, aut deficiat in acquirendo ea, quæ foris, & aliunde illi possunt aduenire: sed qui omittit consilia, non acquirit bona spiritualia, quæ potest: ergo talis committit vitium prodigalitatis in spiritualibus, quæ sunt meliora temporalibus, & consequenter omissiones Consiliorum sunt materia sacramenti pœnitentiæ.

Confirmatur, quia Sacerdos, qui nunquam, vel rarò celebrat, peccat peccato prodigalitatis spiritualis, ex communi opinione Doctorum in tertiam partem quæst. 82. art. 20. ergo etiã peccabit, qui impulsus ab interno lumine non correspondebit consilijs; ergo omissio Consiliorum est materia sacramenti pœnitentiæ.

8 Respondeo, non esse vitium prodigalitatis non acquirere bona, ad quæ acquirenda nullum habeo ius, seu debitum, sed possum si volo acquirere illa; aliter enim omnes religiosi committerent hoc vitium, quia possunt, & non acquirunt bona: sic etiam artifices peccarent, quoties plus nõ laborarẽt, quãdo possent plus laborare, & bona vberiora acquirere: facere etiam secundũ consilium euangelicum de non cogitãdo de crastino, cũ posset quis cogitare, etiam esset vitium prodigalitatis, nam non acquirit hodie, quod potest acquirere: sicut etiam, si quis contentus esset, quibus tegeretur, & est manifestè falsum. Igitur bona spiritualia de consilio, quum non habeam debitũ acquirendi, non teneor acquirere, sicut teneor acquirere bona spiritualia de præcepto, in hoc enim differt consilium à præcepto, vt dixi supra.

9 Ad confirmationem respondeo negando antecedens, per se loquendo: Sacerdos enim, qui nunquam celebrat, dummodò non sit Parochus, non peccat per se, sed tantum per accidens ratione scandali, quod si scandalum absit; & habeat bonam intentionem in non celebrando, neque venialiter peccare docet Suarez 3. tomo in tertiã partem disp. 80. sect. 1. Paludanus in 4. dist. 13. disp. 2. ferè in fine. Rosella verb. Eucharistia 3. num. 32. Quod si Sacerdos nunquam celebrando peccabit, peccabit tantum, vel quia de celebratione sit præceptum diuinum, vt in Concilio Tridentino sess. 22. c. 1. secundum Vasquez de Eucharistia disp. 232. vel quia (si præceptum illud datum fuit toti Ecclesiæ, & non singulis sacerdotibus, vel præceptum illud sit circà modum, & finem celebrandi, nempè in memoriam passionis, & non circà substantiam) peccabit tantũ ratione consuetudinis introductæ, qua improbi, & rei putantur Sacerdotes aliquando non celebrantes, & sic per accidens, non ratione prodigalitatis spiritualis, vt optimè Ioannes Sanchez

in

Digitized by Google

in selectis disput. 7. num. 18.

Obijcitur tertiò, quia secundum D. Thomam non datur in rerum natura actus indifferens; ergo illa omissio, vel bona est, vel mala; non bona, quum sit omissio de consilio, quod bonum est, ergo mala, ergo peccaminosa, & consequenter materia saltem sufficiens voluntaria sacramenti Pœnitentiæ.

10 Respondeo, transeat antecedens, quod verum non est secundum Bonauenturam in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. Gabrielem ibidem q. 1. art. 1. Vasquez in 1. 2. q. 18. disp. 52. cap. 2. Respondeo ad primam partem primæ consequentiæ, quod omissio illa est bona implicitè, & consequenter actus virtutis, ad quem actum sufficit, quod qui resistit, ideò resistat, seu non pariat, quia videt se ad id non teneri, in hoc enim actu, Nolo fieri religiosus, quia ad id non obligor à Deo, est imbibitus alius actus necessariò coniunctus, scilicet, vellem si Deus ad id me obligaret, hic enim actus, tanquam actus imperans, est religionis. Vel dic, quod actus nō correspondēdi, seu omittendi consilia, sit actus propriæ charitatis, siuè amicitiæ naturalis; dum enim non exequitur homo diuina consilia, vtitur libertate à Deo sibi concessa: sicuti occidere animalia, non alio fine, nisi vtendo libertate à Deo ipsi concessa in ordine ad occisionem illorum, est actus propriæ amicitiæ, seu charitatis, ad quam pertinet, vt homo iure suo vtatur, & illud illæsum seruet ad faciendum quidquid velit, dummodo non fit contra rectam rationem: at cum non exequi diuina Consilia nō sit contra rectam rationem, vt patet; igitur qui illa non exequitur, vtitur sua libertate circà illa à Deo concessa, & consequenter facit actum virtuosum propriæ charitatis.

Obijcitur quartò, quia saltem Religiosi tenentur exequi consilia, & sic omissio illorum erit materia vel necessaria, vel sufficiens voluntaria sacramenti pœnitentiæ.

11 Respondeo breuiter, Religiosos teneri per accidens, nempè ratione voti, & sic in ipsis omissio consiliorum non est amplius libera; si consilia illa spectant per se ad tria vota essentialia religionis. Vouere. n. est de Consilio, at exequutio voti est de præcepto, c. licet de voto: sicut qui vouit quotidie orare mētaliter, tenetur sub peccato mortali ad tale votum, quia opus indifferens accedente præcepto, non est amplius indifferens, sed necessarium, sicut sunt omnia præcepta circa indifferentia, quę ideo sunt mala, quia prohibita, & non in se: poterat enim Christus de Consilio præceptum facere, vt patet.

Obijcitur quintò, quia de omissione potest quis facere actum contritionis, quia omissio consiliorum est obiectum virtutis pœnitētiæ, vt cōiter dicitur; sed contritio est materia proxima sacramenti pœnitentiæ; ergo omissio consiliorum est materia remota huius sacramenti.

12 Respondeo, quod non omnis contritio est materia proxima sacramenti pœnitentiæ, sed contritio de peccatis commissis post baptismum, vt dicam infra: at contritio omissionis consiliorū non est de peccato commisso, quum omissio peccatum non sit, igitur non potest esse materia remota huius sacramenti. Quomodo enim potest verificari forma sacramentalis, nempè ego te absoluo à peccatis tuis, si re vera pœnitens peccatum non commisit?

13 Quod omissiones consiliorū possint esse materia necessaria, vel sufficiens voluntaria per accidens huius sacramenti, nempè vel ratione voti, vel si nolit quis diuina consilia obseruare ob cōtemptū diuinū, vel ex indignatione contra Deum, patet. Est autē nolle diuinis consilijs obtemperare ex contēptu, quando homo iudicat esse inutile, & vanum annuere Diuinis consilijs, vel si Deum consulentem nihili æstimet: est verò non obtemperare ex indignatione, quando homo non vult

Digitized by Google

Deo obtemperare, ne ipsum Deum in tali re consolatione afficiat: sic Caietanus in summa, verb. contemptus, vers. aduerte hic, &c. Thomas Sanchez lib. 1. summæ cap. 5. nu. 12. Lessius lib. 2. cap. 46. nu. penultimo.

Patet inquã, nã obseruãtia voti est de præcepto, vt dixi, & indignatio, & cõtẽptus Dei sunt mortalia de natura sua; ergo sunt materia sacramenti pœnitẽtiæ. Patet ergo ex dictis, omissiones præceptorum esse materiam necessariam per se sacramenti pœnitentiæ, & consequenter teneri pœnitentes illa confiteri: Omissiones consiliorum neque esse materiam sufficientem sacramenti pœnitentiæ per se, & si per accidẽs possint esse materia necessaria, & sic necessariò confitendæ, vel sufficiens voluntaria, & sic posse, sed non teneri pœnitens illas confiteri.

SVMMARIVM.

Potest quilibet Christianus peccata semel confessa, iterum confiteri, & si non teneatur. nu. 1.

Quod peccata semel confessa non sint materia necessaria, est iam definitum. nu. 2.

Sunt tamen materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ. nu. 3.

Quod non probatur ex subiectione ecclesiæ, cum Christianus innocens, vel materialiter peccator, etiam si velit, non potest iudicari in sacramento pœnitentiæ. nu. 4.

Semel absolutus est formaliter innocens. eodem num.

Infidelis postquam venit ad fidem, etiam si velit, non potest iudicari in sacramento pœnitentiæ de peccatis in infidelitate commissis. eod. num.

Non omnis actus contritionis est materia proxima sacramenti pœnitentiæ. nu. 5.

Aqua in sacramento baptismi est materia ex qua, non circa quam. num. 6. materia circa quam in baptismo est peccatum originale. eod. num.

Sacramentum baptismi non est iterabile, quia peccatum originale iterabile non est; sacramentum pœnitentiæ est iterabile, quia peccata actualia sunt iterabilia in specie, non in individuo. nu. 7.

Peccatum remissum per contritionem, iterum remittitur per sacramentum pœnitentiæ, quia per contritionem remittitur cum obligatione peccatori præsentandi se ad ecclesiam. non verò sic remittitur in sacramento pœnitentiæ. nu. 8.

Verba Ioannis c. 20. Quorum remiseritis, etc. loquuntur de materia remissibili, non de remissa. num. 9.

Non ideo quis potest confiteri peccata semel confessa, quia se reddit tutiorem, nam sic teneretur iterum confiteri, quod dici non potest. nu. 10.

Etiam si quis per diuinã reuelationem sciat, peccata semel confessa esse sibi iam condonata, potest iterum illa confiteri, & de illis absolutionem recipere. eod. num.

Quod possit quis peccata semel confessa, & absoluta, iterum confiteri, probatur tantum ex auctoritate omnium scholasticorum, & ex vsu ecclesiæ. nu. 11.

Peccatum originale remittitur per gratiam sacramenti non iterabilis; peccatum actuale remittitur per gratiam sacramenti iterabilis. nu. 12.

Peccata ritè confessa sunt absoluta in sacramento pœnitentiæ, non immediatè, sed mediante gratia, & sic peccata semel absoluta non possunt iterum absolui formaliter, & in actu secundo, & si possint iterũ absolui virtualiter, & in actu primo. n. 13.

Baptismus collatus B. Virgini Mariæ contulit ipsi Virgini gratiam remissiuam per se peccati originalis, & si per accidens illud non deleuit, quia non erat. eod. num.

Simpliciter innocens non habet materiam proximam, neque remotam sacramenti pœnitentiæ. n. 14.

Sacramentum pœnitentiæ in tantum infundit gratiam, in quantum remittit peccata, siue formaliter siue virtualiter; & sic dicitur sacramentum mortuorum, quatenus confert gratiam de natura sua remissiuam peccati mortalis. num. 15.

Iudices seculares dati sunt ad finiendas lites, & ad publicam vindictam. nu. 16.

Sacramentum pœnitentiæ est institutum per se ad reconciliandum hominẽ cum Deo, & ad

ac-

Digitized by Google

acquirendam amicitiam diuinam, quæ potest magis, & magis augeri, ead. num.

Nomine peccati in fauorabilibus intelligitur tàm veniale, quàm mortale; tàm remissum, quàm non remissum: in odiosis verò intelligitur mortale tantum non remissum. n. 17.

Quando quis iterum confitetur peccata semel in sacramento pœnitentiæ remissa, recipit etiam remissionem pœnæ temporalis iuxta mensuram eius dispositionis, at si pœnam luendam non habet, redditur dignior ad recipiendas gratias. num. 18.

RESOLVTIO XXII.

An possit quis iterũ confiteri peccata semel confessa, & absoluta, ita vt illa tantum præbeat pro materia Sacramenti pœnitentiæ?

1 REspondeo, quod possit, & si non teneatur illa iterum confiteri per se, quia peccata semel confessa sunt materia voluntaria, non verò necessaria sacramenti pœnitentiæ. Ita Hériquez lib. 4. de Pœnitentia in summa, cap. 9. num. 4. Vasquez in 3. par. q. 91. art. 3. dub. 7. num. 1. qui subdit hæc verba. Absque vlla video esse controuersia, neque aliquem legi, qui negaret, scilicèt, hoc nostrum dictum, & si Henriquez lib. cit. dicat esse contra Gulielmum de Rubionibus disp. 15. quæst. 2.

2 Quod peccata semel confessa non sint materia necessaria, est iam definitum in extrauaganti, Vas electionis, de hæreticis, quæ est Ioannis 22. & in extrauaganti, Inter cunctas, de priuilegijs, quæ est Benedicti 11. qui ait, Absurdum esse, vt peccata remissa per Pœnitentiã, cogatur quis iterum confiteri, & liberatus debitor, adhuc ad soluendum maneat obligatus.

3 Quòd verò sint materia sufficiens, non benè probatur à Bonacina de Pœnitentia disp. 10. q. 3. puncto 1. num. 10. dicendo, quod pœnitens, qui ea commisit, & remissionem semel obtinuit, adhuc est subiectus Ecclesiæ, ergò adhuc iudicari poterit ab Ecclesia, si voluerit.

4 Nam subiectio Ecclesiæ non facit, quòd quis possit iudicari in hoc Sacramento, etiam si voluerit, quia innocens Christianus, vel qui peccauit tantum materialiter, etiam quum sit subditus Ecclesiæ, & velit iudicari in hoc sacramento, non potest; quia peccata formalia non præbet, & semel absolutus, est iam factus formaliter innocens in foro conscientiæ; & sic non poterit iterum iudicari, etiam si voluerit in hoc sacramento. Sic etiam infidelis, factus fidelis, etiam si voluerit, non poterit iudicari in hoc sacramento de peccatis commissis tempore infidelitatis. Si ergò peccata nondum iudicata in Sacramento Pœnitentiæ, & si contrita sint, subditus Christianus, etiam si voluerit, non potest clauibus submittere; à fortiori semel iudicata in sacramento pœnitentiæ iterum iudicari non poterunt in eodem sacramento.

Nec satisfacit idem Bonacina dicendo, quòd circà huiusmodi peccata potest adhuc versari materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, & consequenter poterit iterari absolutio.

5 Quia contrà est, nam aliud est dicere, quod potest pœnitens super peccata semel commissa iterum actum contritionis elicere; & aliud est dicere, quod omnis actus contritionis sit materia proxima huius sacramenti. Primum quidem verum est: Secundum verò omninò falsum: quia etiam fidelis, qui peccata commisit tempore infidelitatis potest actum contritionis elicere circà illa peccata, & tamen non potest absolutionem recipere, vt fatetur ipsemet Bonacina loco citato, num. 4. Debebat igitur Bonacina prius probare, quod peccata confessa sint materia remota pœnitentiæ, & deindè verum erat, quod actus contritionis de illis erat materia proxima huius sacramenti.

6 Nec-

Digitized by Google

6 Nec satisfacit paritas aquę eiusdem auctoris in Sacramento Baptismi, quæ potest iterum, & iterum assumi ad baptizandum.

Quia contrà est; nam aqua non est materia circa quam baptismi, sed materia ex qua: materia verò Babptismi circà quàm destruendam est peccatum originale: sicut igitur peccatum originale semel deletum per baptismum non potest iterum deleri, ità peccatum actuale semel per Sacramentum Pœnitentiæ deletum non poterit iterum deleri per idem sacramentum pœnitentiæ.

Nec obstat, quòd sacramentum pœnitentiæ sit iterabile, non verò Baptismi.

7 Nàm contrà est, quià ideò pœnitentia est iterabilis, & non baptismus, quià peccata actualia sunt iterabilia, non verò originale, ergò quia peccatum actuale semel commissum, vt tale individuum, & iam absolutum, iterabile non est, consequenter neque sacramentum circa ipsum iterabile erit: sed erit iterabile circa alia peccata reiterata, & non absoluta: iteratur enim peccatum actuale in specie, non verò in individuo. Nec valet dicere, quòd peccasse actualiter semper perseuerat, quia peccasse originaliter, etiam semper perseuerat.

Nec satisfaciunt alij dicendo, quod peccatum semel remissum per contritionem, iterum remittitur per sacramentum pœnitentię.

8 Nàm disparitas est euidens, quia quando peccatum remittitur per contritionem, remittitur coram Deo, & cum obligatione peccatori præsentandi se ad Ecclesiam; & sic remissio est cum tali onere: at quando remittitur in primo Sacramento Pœnitentiæ, remittitur etiam coram Ecclesia, & sinè vllo onere: igitur mirum non est, si peccatum remissum per contritionem possit iterum remitti per confessionem.

Nec satisfaciunt alij dicendo, quod verba Christi Domini Ioannis 20. sunt valdè vniuersalia, & limitationem non habent, vt restringantur ad vnicam remissionem.

9 Nàm contrà est, quia quum verba loquãtur de remissione, & retentione, de remissibili, & retinibili loquuntur, sed peccatum remissum retineri non potest, & remissio semel facta non potest non esse facta; ergò dicendum est, quod non loquantur de materia remissa, sed de materia remissibili, quæ retineri potest, & remitti.

10 Nec satisfaciunt alij dicendo, quod si quis iterum confiteatur, redditur tutior de absolutione. Nàm, vt optimè obseruat D. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. qnæstiuncula 2. ad 4. non ideò est licitum repetere illa eadem peccata in confessione, quia est incertum, an de illis homo fuerit absolutus, sic enim non tantum posset, sed teneretur iterum repetere peccata illa, sed potest etiam si per reuelationem diuinam certò sciret, se esse absolutum.

11 Probatur igitur nostrum dictum tãtum ex auctoritate omnium scholasticorum, nemine penitus discrepante. Nec Scotus oppositum tenet in 4. d. 19. q. 1. §. ad quæstionem motam, vers. ad argumenta. nec Gabriel in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dubio 3. quia hi Auctores teste Vasquez hic q. 91. art. 3. dub. 7. nu. 3. & 5. sentiunt, licere iterum, atque iterum peccata absoluta confiteri, sed nihil pœnæ temporalis pro illis debitæ remitti virtute absolutionis, & hoc probabilius tantum. An autem hoc dici possit dicam infra.

Probat etiam nostrum dictum communis vsus fidelium, qui semper in Ecclesia confessi sunt peccata iterum confessa, & absoluta, & adest etiam consuetudo in Ecclesia faciendi confessiones generales, quas approbat, & multum commẽdat Leo X. in manuali Romano, teste Henriquez loco citato nu. 4. in Glossa, litera B. qui auctor dicit etiam in dicto num. 4. in textu, esse Christi voluntatem, vt peccata directè abso-

Digitized by Google

absoluta iterũ absoluantur, & sic quod sint materia sufficiens huius sacramenti.

Obijcitur primò, peccatum originale semel remissum per baptismum, non potest iterum remitti per alium baptismum: ergo peccatum actuale post baptismum commissum, & semel remissum per sacramentum pœnitentiæ non potest iterum remitti per aliud sacramẽtum: sicut enim peccatum originale est materia circa quã baptismi, ità peccatum actuale confessionis.

12 Respondeo negando consequentiã, & ratio negationis patet, nam peccatum originale remittitur per gratiam sacramenti non iterabilis, baptismus enim ex Christi institutione iterabilis non est; at peccatum actuale post baptismum commissum remittitur per gratiam sacramenti iterabilis: pœnitẽtia enim iterabilis est ex Christi institutione, cum dixit Petro, Non dico tibi septies, sed septuagies septies; si enim baptismus esset iterabilis, vtique gratia sacramentalis eiusdem etiam reiterabilis esset, & consequenter semel remissum posset iterum remitti in actu primo.

13 Obijcitur secundò; quia peccata semel ritè confessa, verè remissa sunt, & absoluta, ergo non possunt iterum absolui, quod enim semel annihilatum est, non potest iterum annihilari.

Respondeo, distinguo antecedens, peccata ritè confessa, verè sunt remissa per gratiã sacramẽtalẽ, trãseat; vel sũt remissa immediatè, & sine gratia, negatur: & sic distinguo cõsequens, peccata semel absoluta nõ possũt iterũ absolui formaliter, & in actu secundo, concedo: virtualiter, & in actu primo, & negatur. Per primam enim absolutionem confertur gratia sacramentalis, qua formaliter, & in actu secundo peccata sunt absoluta: per secundam verò absolutionem confertur gratia sacramentalis, quæ vim habet remittendi peccata, si non sunt remissa: at quia remissa sunt per primum sacramentum, ideò per accidens in actu secundo non remittuntur. Sicut Baptismus collatus Beatissimæ Virgini Mariæ, teste Suarez 3. par. tom. 2. disput. 18. sect. 3. contulit ipsi Virgini gratiam remissiuam per se peccati originalis, & si per accidens illud non deleuit, quia non erat. Quod ergo semel annihilatum est, non potest iterum annihilari formaliter, & in actu secundo, at potest iterum annihilari virtualiter, & in actu primo; potest enim conferri aliquid, quod ex se sit annihilatiuum illius, & si per accidens non annihilet, ex eo, quia non sit, sic etiam dicimus de gratia à sacramento producta.

Obijcitur tertiò, quia ex hoc sequitur, non implicare gratiam Sacramentalem pœnitentiæ posse etiam simpliciter innocenti conferri, qui nunquam peccatum commisit: sufficit enim, quod gratia sit habilis per se ad remittenda peccata, quod verò actu non remittat, per accidens se habet.

14 Respondetur negando consequentiam, quia simpliciter innocens, qui nunquam peccatum commisit, non habet materiam remotam, & sic neque potest habere proximam huius sacramenti, vt patet; & sacramentum sine materia proxima subsistere non potest, quũ componatur ex hac, & forma, tanquam ex partibus essentialibus, vt diximus alibi. Non habet autem materiã remotã, quia nullum supponimus habere peccatum: neque potest habere proximam, quia non habet, de quo doleat.

Obijcitur quartò, quia sacramẽtum pœnitentiæ in tantum infundit gratiã, in quantum remittit peccata, nam quũ sit sacramentum mortuorum, per se ordinatur ad remissionem peccati, seu finis vltimus huius sacramenti est remissio peccati, sed per secundam absolutionem non remittitur peccatum: ergo per secundam absolutionem non confertur gratia.

Respõdetur distinguendo maiorem, sa-

sacramentum pœnitentiæ in tantum infundit gratiam, in quantum peccata remittit solum formaliter, negatur: vel formaliter, vel virtualiter, & conceditur. Sic enim potest recipere absolutionem, qui cum contritione accedit ad sacramentum pœnitentiæ, & tamen non remittuntur ei peccata formaliter per talem absolutionem. Dicitur verò sacramentum mortuorum, quantum est ex parte sua, & de per se, quod verò aliquando conferatur viuis; nempè contritis, vel cùm venialibus tantum accedentibus, non negat, quod gratia illa non sit de natura sua habilis ad remittenda etiam mortalia; & sic mortuos viuificet. Ad minorem igitur dico, quod per secundam absolutionem remittitur peccatum virtualiter, & si per accidens non remittatur formaliter: Et sic falsa est consequentia.

Obijcitur quintò, in iudicijs forensibus, quando iudex semel profert sententiam in aliquem, statim amittit ius in illum, nisi noua superueniant indicia; ergo à pari postquam sacerdos per modum iudicij semel per sententiam absoluit aliquem, amittit ius amplius recognoscendi illum, nisi nouæ superueniant conditiones necessariò explicandæ circà idem peccatum; ergo peccata ritè semel confessa non possunt esse materia huius sacramenti.

16 Respondeo negando paritatem, & disparitas manifesta est: nam Iudices sæculares dati sunt ad finiendas lites, vt vnusquisque habeat, quod suum est in Republica: vel ad publicam vindictam. Quando ergo quisque habet, quod suum est, & vindicta publica sumpta est, non habet Iudex, quid amplius faciat. At sacramentum pœnitentiæ, & si per modum iudicij, tamen est institutum per se ad reconciliandos homines cum Deo, & ad acquirendam amicitiam diuinam: & quia hæc amicitia potest magis, ac magis augeri per gratiam, ideo potest iterum, & iterum conferri talis gratia sacramentalis per nouum sacramentum.

Obijcitur sextò, sicut Apostoli acceperunt potestatem absoluendi, ita acceperunt potestatem retinendi peccata, sed peccata semel confessa non possunt retineri; ergo neque possunt absolui; ergo peccata semel confessa non sunt materia sacramenti pœnitentiæ.

17 Respondeo cũ Coninch disp. 5. dub. 1. n. 26. quod in fauorabilibus nomine peccati intelligitur tàm veniale, quàm mortale, tàm remissum, quàm non remissũ: in odiosis verò intelligitur mortale tantum non remissum.

Nota tamen, quando iterũ cõfertur sacramentum semel absoluto, remittitur ei etiam pœna temporalis iuxta mensuram eius dispositionis, si pro illa non adæquatè satisfecit, at si pro ipsa adæquatè satisfecit, redditur dignior ad recipiendas gratias. Ita Vasquez 3. par. q. 91. art. 3. dub. 7. nu. 6. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. ad tertium.

Patet hoc, quia cum sacramentum secundò collatum, sit verè sacramentũ pœnitentiæ, vt patet, facit quidquid fecit primum: sed primum contulit remissionem culpæ, & pœnæ, si non totalis, saltem partialis, ergo etiam sacramentum secundò collatum.

Patet ergo, posse quempiam confiteri peccata iterum cõfessa, & hæc sufficere pro materia pœnitentiæ sacramenti, & si non teneatur.

SVMMARIVM.

Neque peccatum originale, neque actuale commissum ante baptismum sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ. nu. 1.

Peccatum originale est peccatum naturæ, & non voluntatis. eod. num.

Vbi non est materia proxima sacramenti pœnitentiæ, ibi forma esse non potest. eod. nu.

Ad tollendum peccatum originale per se est institutum sacramentum baptismi. nu. 2.

Peccatum originale est impedimentum ad gloriam. nu. 3. Sed non possum pœnitere de omni impedimento ad gloriam, sed de impedimento

Digitized by Google

dimento à me posito. eod.num.

Potest quis dolere de offensa Dei ab alio facta, non tamen potest illam physicè retractare. nu.4.

Peccata commissa ante baptismum delentur per baptismum ipsum, sine vlla alia obligatione. nu.5.

Pœnitentia dicitur secunda tabula post naufragium, quia illa indigent peccantes post baptismum. eod.num.

Actus contritionis elicitus ab infideli tempore infidelitatis dicit implicitè sacramentum baptismi, & non confessionis. nu.6.

Baptismus operatur per virtutem Christi, qua medicina vniuersalis est pro omnibus peccatis. num.7.

Magis prodest donum Dei, quàm Ada peccatum. num.8.

Peccata commissa antè Baptismum non sunt materia sufficiens voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ. num.9.

Gratia, qua producitur à Sacramento Pœnitentiæ per se primo, & directè est destructiua saltem in actu primo peccati in tali sacramento expositi. eod. num.

Gratia sacramenti pœnitentiæ non est per se, & directè remissiua peccati actualis commissi ante baptismum. nu.10.

Potest Ecclesia recognoscere infidelem de delicto commisso contrà Ecclesiam ad finem punitionis, non verò ad finem remissionis in sacramento pœnitentiæ. nu.11.

Infidelis non potest iudicari de peccatis in infidelitate commissis ab Ecclesia, post quam venit ad fidem, nisi peccata illa fuerint contrà ipsammet Ecclesiam. nu.12.

Qui Baptizatur, ingreditur in Ecclesiam, vt simpliciter innocens. eod. nu.

Sacramentum Pœnitentiæ, dicitur iudicium voluntarium, quatenus voluntariè peccator confitetur peccata sua; At dicitur iudicium necessarium, quòad electionem Iudicis competentis, seù medij conuenientis, nu.13.

Lapsus post baptismum recipit iustificationem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, ità vt si sinè tali voto iustificari velit, non erit verè contritus. eod. num.

Fidelis potest recipere absolutionem de suis peccatis, qua commisit post baptismum, si sunt contrita; non verò de peccatis, etiam contritis, qua commisit antè baptismum, cum contritio de peccatis subiectis clauibus sit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. num.14.

RESOLVTIO XXIII.

An peccatum originale, vel actualia commissa ante Baptismum sint materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

1 REspondeo, neque peccatũ originale, neque actuale commissum ante baptismum esse materiam, ne sufficientẽ quidẽ sacramenti pœnitentiæ. Est communis sententia, vide Fagundez 2. Eccles. præcep. lib. 2. cap. 1. à nu. 16.

Et quòd peccatum originale non sit materia sacramenti pœnitentiæ, patet, nam peccatum originale nullo modo est voluntarium in tali indiuiduo, cum sit peccatum naturæ, & non voluntatis; ergo non potest homo elicere actum contritionis circà ipsum cum proposito amplius non peccandi, & retractatione; ergò neque poterit recipere formam absolutionis circà ipsũ. Hæc consequentia patet; nam si circà tale peccatum non potest versari materia proxima sacramenti pœnitentiæ, neque poterit tale peccatum esse materia remota, circà quam pœnitentiæ. Ideò enim diximus suprà, peccata actualia commissa post baptismum esse materiam remotam, quià circà ipsa potest versari materia proxima; quæ est contritio, confessio, &c.

2 Confirmatur, quia ad tollendum peccatum originale per se est institutum Sacramentum Baptismi, & non pœnitentiæ; ergò erit peccatum originale materia circà quam Baptismi, & non pœnitentiæ.

3 Obijc. 1. quia peccatum originale est mihi impedimentum ad gloriam; ergò saltem, vt est impeditiuum gloriæ, potest mihi displicere, & illius, vt

peccati præteriti pœnitere, & sic erit materia remota sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo, negando consequentiam, & ratio negationis est, quia non de omni impedimento ad gloriam potest me pœnitere, quia sic etiam de præsenti vita posset me pœnitere, cum vita præsens impediat mihi gloriam: sed potest me pœnitere tantū de impedimento à me posito in ordine ad gloriam, quòd est peccatum actuale tantum, vt optimè Fagundez 2. Ecclesiæ præceptis. cap. 2. num. 16.

Obijc. 3. quia potest quis detestari culpam originalem, vt oppositam pacī cum Deo, & vt offensam Diuinæ Maiestatis; ergò est capax materiæ proximæ, & consequenter potest recipere absolutionem.

4 Respondeo, quidquid sit de antecedente (quia etiam pœnitentia, vt est virtus, solum videtur velle formaliter non dedisse Deo occasionem auersionis, & sic non possum per hanc virtutem dolere de occasione non à me, sed ab alio data, vt est culpa originalis;) quidquid, inquam, sit de hoc, nego tamen consequentiam, quia & si possim dolere de offensa Dei ab alio facta, tamen non possum retractare illam physicè, quia physicè à me non fuit facta, & retractatio est simpliciter necessaria in actibus pœnitentis ad hoc, vt sint materia huius sacramenti, vt dicunt omnes.

Quòd peccata commissa ante baptismum non sint materia necessaria huius sacramenti, est conclusio communis, &

5 Patet, quia peccata commissa antè baptismum delentur per susceptionem baptismatis, nàm baptisma confert primam gratiam; ergò post gratiam baptismalem nullum remanet peccatum, nec obligatio aliqua confitendi; ergò nulla potest esse materia necessaria pœnitentiæ post ipsam gratiam baptismalem. Et ideò si infidelis post susceptum baptismum sine noua culpa moreretur, vtique saluus esset, vt est de fide; ideò enim dicitur pœnitentia, secunda tabula naufragij, post baptismum, quia illis solum est necessaria, qui post baptismū peccauerunt.

6 Confirmatur, quià si infideles iustificentur per actum contritionis, talis contritio non debet includere votum confessionis, cùm in tali statu infidelitatis sint incapaces sacramēti pœnitentiæ, sed tantum votum baptismi, quia dolus baptismus est necessarius in tali statu; non enim spectat ad Ecclesiam iudicare de his, qui foris sunt, prima Corinth. 5. cap. 5. ergo si possunt iustificari sine voto Sacramenti Pœnitentiæ, consequenter peccata illa non sunt materia necessaria huius sacramenti; ideò enim dicemus infrà, non teneri ad præceptum diuinum de confessione infidelem, quià non habet materiam huius sacramenti, quæ est peccatum commissum post baptismum.

Patet, etiam ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. etenim prò ijs, qui post baptismum in peccata labuntur; Christus Iesus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, ergò non prò ijs, qui antè baptismum in peccata lapsi sunt.

Obijc. 1. quia peccatum originale est diuersum à peccatis actualibus antè baptismū cōmissis, ergo hæc peccata debēt habere remedium diuersum, ergò baptismus non potest remittere simul originale, & actualia peccata.

7 Respondet D. Thomas, baptismum operari per virtutem Passionis Christi, quæ medicina vniuersalis est prò omnibus peccatis, ab ipso Christo ordinata; & sic non implicat, vnum remedium cum virtute vniuersali prodesse pluribus infirmitatibus.

Obijc. 2. quia homo per generationem solum contrahit peccatum originale; ergò per regenerationem spiritualem tantum originale remittitur; ergò prò peccatis actualibus antè baptismum commissis aliud remedium est quærendum.

8 Re-

Digitized by Google

8 Respondet D. Thomas, magis posse donum Dei, quàm Adæ peccatum, ex Apostolo ad Rom. 5. quarè licet per generationem carnalem, ex Adamo solum contrahatur peccatum originale, tamen per Christi gratiam in Baptismo receptam, delentur etiam peccata actualia commissa antè ipsum baptismum.

9 Quòd peccata actualia commissa antę baptismum nõ sint materia sufficiens voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ;

Probatur, quia gratia, quã producit Sacramentum Pœnitentiæ, debet per se primò, & directè esse destructiua, saltem in actu primo, peccati in Sacramento Pœnitentiæ expositi. Sic enim verificantur verba illa, Ego te absoluo à peccatis tuis, ideſt, Produco gratiam per se remissiuam peccati à te mihi in hoc Sacramento expositi, secundum communiorem sententiam, vt dicam infrà. Sed peccatum commissum antè baptismum non potest per se primò, & directè remitti in Sacramento Pœnitentiæ per gratiam sacramentalem ipsiusmet pœnitentiæ, vt dixi supra, ergò neque poterit iterum in sacramento pœnitentiæ exponi ad finem recipiendi denuo gratiam sacramentalem pœnitentiæ.

10 Confirmatur primò, quia ideò potest peccator iterum exponere peccata semel confessa in sacramento pœnitentiæ, quia gratia producta in tali sacramento est per se directè remissiua ipsius peccati semel confessi: sed peccatum actuale remissum per baptismũ non est per se directè remissibile à gratia sacramenti pœnitentiæ; ergò semel remissum per baptismum, & antè ipsum commissum non potest iterum exponi prò materia Sacramenti Pœnitentiæ.

11 Confirmatur secundò, quia peccata commissa ante Baptismum, sunt commissa extra Iurisdictionem Ecclesiasticam, & à non subdito; ergò non potest Ecclesia illa recognoscere. Nec potest dici, quòd fiat subditus ratione delicti, quia hoc est verum tantum in delictis contrà Ecclesiam, & ad finem punitionis, non verò remissionis, in Sacramento Pœnitentiæ.

12 Confirmatur tertiò, quia peccator antè Baptismum non potest ab Ecclesia iudicari de peccatis in tali statu commissis, dummodò non sint contra ipsammet Ecclesiam, ergo neque de his postquam baptizatus est. Antecedens patet ex prima Corinth. 5. Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare? Consequentia patet, nam talis ingrediens per baptismum ad Ecclesiam, ingreditur, vt simpliciter innocens respectu Ecclesiæ, quum recipiat gratiam baptismalem simpliciter iustificantem; ergo non habet, de quo ab Ecclesia iudicetur.

13 Nec obstat, quod hoc sit iudicium voluntarium, Quia, & si voluntarium sit respectu peccatoris, quia voluntariè confitetur peccata sua, tamen quòad electionem Iudicis competentis, seù medij conuenientis, non est voluntarium, sed necessarium; non enim lapsus post baptismum potest recipere iustificationem per contritionem tantum sinè voto pœnitentiæ. Immò si hoc velit, eo ipso non erit bona contritio, & consequenter non iustificabitur, sicut neque iustificabitur non baptizatus per sacramentum pœnitentię, quantumuis sit attritus, etiam si velit iustificari per tale sacramentum; sed necessariò debet baptismum recipere; igitur libertas, seù voluntarium non consistit in electione Iudicis competentis, seù medij conuenientis.

Obijcitur, quia fidelis, seù baptizatus contritus de suis peccatis potest recipere absolutionem, & consequenter sacramentum pœnitentiæ: Sed ità supponitur in casu nostro, nam talis est fidelis, cum sit baptizatus, & est contritus; ergo potest recipere sacramentum pœnitentiæ; ergo peccata commissa ante baptismum possunt es-

Digitized by Google

se materia sufficiens voluntaria huius sacramenti.

14. Respondeo ad maiorem cum distinctione: potest recipere absolutionem fidelis, seù baptizatus, contritus de suis peccatis, quæ commisit, vt fidelis, seù baptizatus, & concedo. Potest recipere absolutionem contritus fidelis de suis peccatis, quæ commisit, vt infidelis, & negatur. Baptismus enim respectu peccatorum ante ipsum commissorum in ordine ad confessionem per accidens se habet, seù ac si non esset: non enim omnis contritio circà peccata est materia assumibilis per potestatem clauium pro sacramento pœnitentiæ, sed contritio circa peccata clauibns subiecta; aliter enim etiam infideles, vt infideles possent hoc sacramentum suscipere, si contriti accederent: at paccata illa non sunt clauibus subiecta, quum sint commissa extrà Ecclesiam; nam aliud est dicere, quod baptizatus sit subiectus Ecclesiæ, & aliud, quod peccata huius baptizati sint Ecclesiæ subiecta: Concedimus enim, quod baptizatus sit Ecclesiæ subiectus; negamus verò, quod peccata ab ipso ante baptismum commissa sint subiecta Ecclesiæ; hæc enim baptizatus secum non detulit, nam per baptismum omnia sunt abluta, vt patet, & sic vt Christianus, seù vt baptizatus, est simpliciter innocens; & si peccator sit, vt infidelis. Quando ergo conteritur de illis, conteritur fidelis, non vt fidelis, sed vt infidelis, seù non baptizatus, quià vt sic peccator fuit; ergò talis contritio assumibilis non est per potestatem clauium, quum sit contritio, quę est à fideli, non prò vt fideli, sed prò vt infideli, & extrà Ecclesiam. Ad minorem verò dico, quod conteritur baptizatus; sed non prò vt baptizatus, quià vt sic innocens est, vt dixi, sed prò vt non baptizatus, quià vt sic peccator est, & ideò falsa est consequentia.

Patet igitur ex dictis, peccatum originale, & actualia commissa ante baptismum non esse materiam sufficientem sacramenti pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

Fictio committitur, vel circa substantiam, vel circa rem sacramenti, seù gratiam sacramenti baptismi. num. 1.

Fictio est simulatio externa, dùm quis non gerit in pectore, quod opere externo demonstrat. eod. num.

Fictio circa substantiam sacramenti, dicitur intentionis, & vitiat ipsum sacramentum.

Fictio circa rem, seù gratiã sacramenti dicitur dispositionis, & potest esse, vel negatiuè, quę supponit ignorantiam in baptizato, vel contrariè, quę est duplex, vel formalis, & directè volita, vt obiectum; vel materialis, & indirectè uolita, non vt obiectum, sed vt circumstantia obiecti. eod. nu.

Fictio ex defectu dispositionis contraria considerator, vel prout antecedit, vel prout concomitatur, vel prout subsequitur sacramentum. Prout antecedit non dubitatur, quod sit materia baptismi. num. 2.

Actus interni incipiunt per primum suum esse, & desinunt per primum suum non esse. num. 3.

Peccatum habituale duo dicit, maculam, scilicet, & habitualem voluntatem, qua peccatum commissum tandiù censetur esse in peccatore habitualiter voluntarium, quandiù per verum actum odij, saltem virtualis ab eo non auertitur. num. 4.

Obex gratię consistit in carentia actus odij, quo quis auertitur à peccatis. eod. num.

Peccata concomitantia baptismum, etiam fictionis, quæ sunt completa ante vltimum instans completiuum baptismi, sunt materia baptismi, & non pœnitentię. num. 5.

Peccata omnia, quæ complentur in vltimo instanti completiuo baptismi, sunt materia pœnitentiæ, & non baptismi. eod. num.

Qui ingreditur ad Ecclesiam, vt innocens, non habet obligationem confitendi. nu. 6.

Qui est extra Ecclesiam, non indiget sacramento pœnitentiæ. nu. 7.

Iniuria facta vni individuo sacramento pœnitentiæ remittitur per aliud sacramentum pœnitentiæ. num. 8.

Pecca-

Digitized by Google

Peccatum fictionis, seù peccatum illud, quo quis vult recipere baptismum indispositè, affectiuè tantum, non verò effectiuè, antecedit baptismum num. 9.

Peccata fundantia fictionem, & completa in vltimo instanti completiuo baptismi, enervant vim batismi; sicut peccatum fictionis effectiuè. nu. 10.

Peccatum commissum à subdito Ecclesiæ est per se materia sacramenti pœnitentiæ. n. 11.

Implicat, eodem instanti peccatum recipere suum vltimum esse à peccatore, & simul disponi peccatorẽ ad recipiẽdã gratiã. n. 12.

RESOLVTIO XXIV.

An peccatum fictionis commissum in Baptismo sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

1 PRò responsione suppono primò, fictionem in Baptismo posse dupliciter contingere. Scilicet, vel circà substantiam, vel circà rem tantùm baptismi, quæ est gratia. Nàm quum fictio sit simulatio externa, dùm quis non gerit in pectore, quod opere externo demonstrat; in recipiente baptismum erit simulatio opere ipso exhibita, quando quis in baptismo profitetur, se velle aliquid, quod reuera interius non vult: at quià potest quis fingere velle substantiam Baptismi, & habere animum non recipiendi illum, & etiam habere animum recipiendi Baptismum, & si se videat indispositum ad gratiam illius, nempè quià perseuerat in animo ipsius aliquod peccatum mortale; ideò prima fictio dicitur intentionis, & opponitur substantiæ sacramenti baptismatis, & reddit nullum ipsum sacramentum, & hoc peccatum nullo modo spectat ad confessionem, sed ad baptismum iterum verè suscipiendum: secunda fictio dicitur dispositionis, quæ potest esse, vel negatiuè, vt quando quis est indispositus ignoranter, vel inaduertenter, & tunc nullum committit peccatum fictionis formaliter, quià non peccat simpliciter, nequè secundum quid formaliter, sed tantum materialiter. Vel est indispositus contrariè, & hoc dupliciter, vel quia baptizandus scit, se esse indispositum, & vult sic indispositus baptismũ suscipere, & hæc dicitur formalis, & directè volita, vt obiectum, & hęc est formaliter peccatũ sacrilegij; vel quia tempore, quo vult Baptismum recipere, vult etiam prosequi aliquod peccatum, vel complacet sibi de aliquo peccato, ob quam complacentiam videt, se recipere indispositè baptismum, & hæc dicitur fictio materialis indirectè volita, non vt obiectum, sed vt circumstantia obiecti: & hæc fictio formaliter est illud peccatum, de quo sibi complacet, dùm baptizatur, v. g. odij, si complacet sibi de odio; lasciuiæ, si de lasciuia, &c. materialiter verò, & indirectè est sacrilegium, quum non sit volitum, vt obiectum sacrilegum, sed vt circumstantia obiecti.

5 Suppono secundò, fictionem ex defectu dispositionis contrariæ posse considerari in triplici statu, nempè, vel prò vt antecedit Baptismum, vel prò vt concomitatur, vel prò vt subsequitur. E. g. vult, quis indispositè baptizari, hæc voluntas antecedit baptismũ; concomitatur, quià dùm suscipit, vult indispositè suscipere; & subsequitur, quatenus non potest intelligi peccatum fictionis opere consummatum, nisi prius intelligatur, baptismum esse completum. De prima fictione non dubitatur, an sit materia baptismi, quum ipsum antecedat: dubitatur tantum de concomitante, & subsequente.

3 Suppono tertiò, quod actus interni sicut incipiunt per primum suum esse, ità desinunt per primum suum non esse. Atquè ità non potest dari certum instans, in quo verum sit dicere, Talis actus iam est, & immediatè post non erit, quia aliàs quando duo actus in eadem potentia sibi inuicem succedunt,

Digitized by Google

dunt, quum secundum incipiat per primùm sui esse, deberent dari duo instantia immediatè, quod communiter videtur impossibile; ideò enim forma substantialis, quæ corrumpitur per introductionem alterius, secundum communem sentẽtiam desinit per primum sui non esse.

4 Suppono quartò, peccatum habituale duo includere in se, maculam scilicet, quæ vel est priuatio gratiæ, vel est habitualis à Deo auersio; & habitualem voluntatem, qua peccatum commissum tandiù censetur esse in peccatore habitualiter voluntarium, quandiù per verum actum odij, saltem virtualis ab eo auertatur; & obex gratiæ non consistit in carentia, seù priuatione gratiæ, vel in habituali auersione à Deo: quia si quis tantum cum attritione accedat ad sacramentum pœnitentiæ, non censetur habere impedimentum, & si non habeat gratiam iustificantem, & adhuc à Deo sit habitualiter auersus; sed obex consistit in carentia secundi; nam si quis non habet actum odij, quo auertatur à peccatis, semper dicitur velle peccatum, & consequenter non potest recipere gratiam baptismalem. His positis,

5 Respondeo, quod peccatum fictionis concomitans, seù peccata, quę concomitantur baptismum, si sunt completa ante vltimum instans completiuum baptismi, sunt materia baptismi, & non pœnitentiæ. Peccatum fictionis ex defectu dispositionis contrariæ, quod completur in vltimo instanti completiuo baptismi, est materia sacramenti pœnitentiæ, & non baptismi, sicut etiam omnia alia peccata, quæ durant, vsque ad illud instans completiuum baptismi, & non vlterius.

Quod omnia peccata, quæ committuntur, dùm baptismus suscipitur, si omninò sint completa ante vltimum instans, quando baptismus completur essentialiter, non sunt materia sacramenti pœnitentiæ, sed eiusdem baptismi, etiam si sit peccatum fictionis. Est D. Tho. 3. p. q. 69. art. 10. ad secundum his verbis; Ad secundum dicendum, quod fictio non remouetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua remota baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismũ, & etiam simul existentium cum Baptismo: vndè Augustinus lib. 1. de Baptismo paruulorum, cap. 12. in fine. Soluitur, inquit, externus dies; & quidquid supereſt; soluitur & ipsa hora, momentumque ante Baptismum, & in baptismo. Nec obstat, quod D. Thomas dicat loco citato art. 9. ad secundum, quod Baptismus non sit ordinatus, vt de facto fiat aliquid non fictum, sed vt non fictus aliquis accedens iustificetur; Non in quam obstat, quia ibi loquitur D. Thomas de ficto perseuerante in fictione, vt patet ex argumento sibi proposito, non verò de ficto, qui fictionis pœnituit, & habuit veram contritionem.

Probatur, quia si peccata illa haberent attritionem immediatè ante illud instans completiuum baptismi, remitterentur ab ipso baptismo, cum recipiant suum esse antequam verum sit dicere, Baptismus nunc non est, sed immediatè ante fuit; ergo ad hoc, vt à baptismo remittantur, indigent tantum dispositione; ergo quando per contritionem subsequentem Baptismum disponuntur, & gratia baptismalis reuiuiscit, ab ipsamet gratia baptismali remittuntur, & consequenter sunt materia ipsius baptismi. Antecedens patet, nam si tunc essent dispositа peccata illa per contritionem, essent dispositа prius, quam baptismus compleretur, quum compleatur per primum sui non esse, vt dixi in 3. supposito; ergo adueniente complemento baptismi in illo instanti subsequenti, quum peccatum sit dispositum, non potest assignari ratio, cur non remittatur ab ipso baptismo. Nec dicas, quod baptismus delet hoc peccatum, sed

cum

Digitized by Google

cum obligatione confitendi, quia contrà est, tùm quia hæc obligatio gratis fingitur, & superuacaneè, tùm quia talis immediatè post illud instans com-
6 pletum baptismi ingreditur ad Ecclesiam, & consequenter ingreditur, vt simpliciter innocens, & quum sit in Ecclesiæ innocens, non potest habere hanc obligationem confitendi: tùm quia non esset maior ratio, cur hic teneretur ad confessionem, & non ille, qui in parte temporis antecedenter peccauit, nam sicut hic, ità & ille deliquit extrà Ecclesiam, nam quum talis fictio, seù aliud peccatum consistat in actu voluntatis, desinit esse per primum fuit non esse, vt ex tertio supposito; & consequenter, quando valet dicere, Hic est baptizatus, tunc etiam valet dicere, Peccatum non est. Prima consequentia patet. Secunda verò probatur, nam si per contritionem reuiuiscit gratia baptismalis, per se tollens originale, & inuenit alia peccata dispositæ, debet etiam illa remittere; si enim quando primò non fuit baptismus, nullum adfuisset impedimentum in productione gratiæ, vtiquè peccata illa remisisset, ergo etiam debet gratia, quæ reuiuiscit, illa remittere; quum non sit maioris efficaciæ illa, quàm hæc.

7 Confirmatur, quia aliter sequeretur, quod Sacramento Pœnitentiæ indigerent etiam illi, qui deliquerunt extrà Ecclesiam, & saltem peccata commissa extrà Ecclesiam essent materia necessaria huius Sacramenti. Sequela patet, nam ante illud instans completiuũ baptismi, ille talis non potest dici baptizatus, sed immediatè post illud instans valet dicere, Hic est baptizatus; ergo ante illud instans non est intra Ecclesiam, & indiget Sacramento Pœnitentiæ per aduersarios; ergo indigẽt Sacramento Pœnitentiæ, qui deliquerunt extrà Ecclesiam. Nec est maior ratio, cur hic indigeat, & non alter, qui per horam, vel per longum tempus deliquit, quod est absurdissimum dicere, quum Baptismus sit Ianua Sacramentorum.

Quod peccatum fictionis ex defectu dispositionis contrariæ, quod consummatur in eodem instanti, quo baptismus completur, sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, est D. Thomæ q. 69. art. 9. ad 2.

8 Probatur, quia rationabile non est, hoc numero Sacramentum Baptismi posse remittere peccatum, quod per se, & directè impediuit suum effectum individualem; videmus enim in Sacramento Pœnitentiæ iniuriam factã vni sacramento individuali, non retractari per idem Sacramentum, sed per nouum; ergo quum peccatum illud non possit remitti per nouum baptismum, quum hic iterabilis non sit, dicendum est, remitti per Pœnitentiam.

9 Nec obstat, quod peccatum illud videatur antecedere baptismum, quũ peccatum consistat in voluntate, & voluntas recipiendi indignè baptismum antecedat baptismum ipsum. Quia, contrà est, nam & si peccatum illud antecedat baptismum affectiuè, tamen effectiuè, & quòad consummationem potius videtur subsequi; nàm quum non possit intelligi indigna susceptio, nisi intelligatur baptismus completus, saltem aliqua prioritate naturæ; Baptismus videtur prius esse, quàm indigna susceptio: vndè & si voluntas indignè recipiendi spectet ad baptismũ, & sic si talis non cõtinuet voluntatem indignè suscipiendi ante completionem baptismi, nõ teneatur tale peccatum confiteri, tamen opus consummatum indignè susceptionis spectat ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quod peccata fundantia fictionem, quæ durant vsque ad instans completiuum baptismi, & non vlterius, sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, est Coninch. q. 62. num. 65, cui talis casus videtur impossibilis physicè;

10 Probatur, quia Doctores communiter dicunt, ideò fictionem, seù indignam

gnam susceptionem baptismi non posse postea per ipsum baptismum dimitti, quia directè impedit, & quasi eneruat vim ipsius Baptismi, vt dixi in secunda parte responsionis, sed peccatum concomitans etiam eneruat vim illius indiuidui baptismi, sicut peccatum fictionis, seù indignè susceptionis, ergo neque poterit peccatum concomitans remitti ab ipsomet baptismo eneruato. Minor probatur; quia fictio, seù indigna susceptio formalis, ideò dicitur eneruare vim baptismi, & eius virtutem directè impedire, quia directè repugnat debitæ dispositioni requisitæ in sacramento ad producendam gratiam; sed omne aliud peccatum, si simul cum baptismo durat, similiter dispositioni debitæ repugnat, quia actualis complacentia de peccato mortali directè repugnat detestationi eiusdem, & consequenter necessariæ dispositioni, ergo alia peccata baptismum concomitantia etiam eneruant vim, & impediunt eius virtutem; & consequenter non debent remitti ab ipsomet Baptismo, sed à Pœnitentia.

Confirmatur, quia tale peccatum est commissum à subiecto Ecclesiæ, nam suscipiens eodem instanti intelligitur baptizatus, quo intelligitur perfectus baptismus, ità vt pro eo instanti non possit dici absolutè non subiectus: quũ igitur eius peccatum adhuc eo instanti, quo verum est dicere, Nunc est baptizatus, duret, dũ dicitur is eo instanti peccare, absolutè dicendum est, illud esse commissum à subiecto Ecclesiæ; nam si solo illo instanti duraret, non posset dici commissum à non subiecto Ecclesiæ: sed omne peccatum commissum à subiecto Ecclesiæ subiacet clauibus per se, ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. ergo peccata concomitantia baptismum sunt materia pœnitentiæ, & non baptismi.

Obijcitur, quia si per impossibile in illo instanti, quo tale peccatum est, esset dispositum, remitteretur à baptismo, ergo quando gratia baptismalis reuiuiscit, debet illud per se remittere, & consequenter est materia ipsius baptismi.

11 Respondeo, casum in antecedenti productum implicare contradictionẽ, nam si peccatũ recipit complemẽtum in instanti, quo primò non est, & peccatum est formaliter indispositio ad gratiam, quomodo potest peccator tunc habere dispositionem ad ipsammet gratiam? Peccatum enim dicit auersionem actualem à Deo, & conuersionem ad creaturas; dispositio verò dicit conuersionem ad Deum, & auersionem à creaturis; quomodo ergo poterit quis in eadem differentia temporis esse conuersus, & auersus à Deo? sic enim peccatum esset, & non esset dispositum ad gratiam; esset, quia supponitur dispositum, non esset tunc dispositum, quia tunc reciperet suum esse, quod est indispositio ad gratiam: & sic remitteretur à baptismo, & non remitteretur; remitteretur, quatenus dispositum, non remitteretut, quatenus tunc peccatum reciperet consummationem sui esse, & consequenter indispositionis ad gratiam. Ad consequentiam dico, quod gratia sacramenti baptismatis remittit peccatum illud post dispositionem per accidens, quum non possit esse pecatum simul cum gratia iustificante; sed cum obligatione illud subijciendi clauibus, quum sit peccatum commissum à subiecto Ecclesiæ; si enim iste talis tunc decederet, decederet Christianus, igitur quũ peccet in eodem instanti, peccat Christianus.

Patet ergo ex dictis peccatum omne etiam fictionis concomitans baptismum, & completum ante vltimum instans completiuum baptismi esse materiam ipsiusmet baptismi; peccata verò omnia completa in vltimo instanti completiuo baptismi esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

SVM.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Actus pœnitentis, prout sunt à pœnitente, sunt materia remota ex qua sacramenti pœnitentiæ. num. 1.

Actus pœnitentis secundum D. Thomam, ita sunt materia pœnitentiæ, sicut aqua in baptismo. num. 2.

Minister sacramenti pœnitentiæ est tantum Sacerdos. nu. 3.

Non potest vnus abluere, & alter formam proferre in Sacramento Baptismi. eod. num.

Quidquid est essentialiter sacramentum, significat, & significando producit gratiam. num. 4.

Pœnitens non potest ministrare sibi ipsi sacramentum pœnitentiæ. num. 5.

Minister sacramentorum non semper debet esse distinctus ab eo, cui sacramentum ministratur, quia in sacramento matrimonij non distinguitur minister ab ijs, qui Sacramentum recipiunt. num. 6.

Sacramentum matrimonij est simul à contrahentibus, & ab ipsismet sibi ministratur. num. 7.

Qui producit materiam cum vltimis dispositionibus, dicitur producere compositum, saltem partialiter. num. 8.

Materia proxima Eucharistiæ in fieri est panis determinatus ab intentione consecrantis; in facto esse est corpus Christi, prout fit sensibile per speciem panis. num. 9.

Verba absolutionis prolata iocosè, nullam vim habent. num. 10.

Verba absolutionis prolata à ministro, etiam si non præcesserit dolorosa confessio, si cum intentione absoluendi proferantur, dicuntur verba ex delegatione, & nomine Christi prolata. num. 11.

Peccator, qui non integrè, vel sine dolore confitetur peccata sua, sacrilegium committit. num. 12.

RESOLVTIO XXV.

An actus pœnitentis sint materia proxima, vel remota sacramenti pœnitentiæ?

1 REspondeo, quod actus pœnitentis scilicet contritio, confessio, & satisfactio, prout sunt à pœnitente, sunt materia remota ex qua sacramenti pœnitentiæ: prout verò assumuntur per potestatem clauium à sacerdote ad componendum vnà cum forma integrum sacramentum, sunt materia proxima sacramenti pœnitentiæ. Hæc opinio videtur expressa D. Th. 3. p. q. 84. ar. 1. ad primũ his verbis. Nomine corporalium rerum intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ità se habent in hoc sacramento, si-
2 cut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione, &c. sed aqua, & chrisma sunt materia remota ex qua illorũ sacramentorũ, vt patet, nam in baptismo materia proxima est ablutio, & remota est aqua; & in confirmatione materia proxima est vnctio, & remomota est chrisma: ergo actus pœnitentis, prout sunt à pœnitente, sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ, secundum opinionem D. Thomæ, stante, quod dicat in articulo secũdo, quod actus pœnitentis sint materia proxima huius sacramenti. Est etiam Coninch disp. 4. dub. 4. num. 35. vers. Ad secundum, &c. his verbis. Nota, actus pœnitentis posse dupliciter considerari. Primò præcisè, quatenus sunt præcisè actus ipsius pœnitentis disponentis se ad remissionem peccati accipiendam, & sic tantum sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ, sicut truncus rudis est materia imaginis, &c. Secundò quatenus à sacerdote per potestatem clauium vlterius assumuntur ad componendum vna cum forma integrum sacramentum, & ad significandam ueram peccati remissionem, & vt sic sunt quodammodo actus ipsius ministri, quatenus ijs, tanquam instrumento quodam, vtitur.

3 Quod enim sint materia huius sacramenti actus pœnitentis, iam definitum est à Concilijs: quod verò sint materia remota, prout sunt à pœnitente, & proxima, prout assumuntur, Probatur primò, quia minister sacramenti pœnitentiæ est tantum Sacerdos, vt ha-

Digitized by Google

betur in Concilio Tridentino sess. 14. cap.6.his verbis. Declarat sancta synodus, falsas esse, & à veritate euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes,clauium ministeriũ perniciosè extendunt:&c.ergo materia, & forma pœnitentiæ debent esse à Sacerdote tantum;sicut minister baptismi est tantum baptizans,& ideò materia, & forma ipsius debet esse ab vno tantum, non enim potest vnus abluere, & alter formam proferre, vt optimè D. Thomas 3.par. q.67.art. 6. Sed si actus pœnitentis,prout sunt à pœnitente,essent materia proxima huius sacramenti,sequeretur,quod essent duo ministri, vnus ministrans partem materialem, & esset pœnitens, & alter ministrans partem formalem, & esset Sacerdos; ergo dicendum est,quod actus pœnitentis, non prout sunt à pœnitente,sed prout assumuntur à Sacerdote,& sunt facti quodammodo ipsius Sacerdotis, sunt materia proxima ipsius sacramenti.

Exemplo res explicatur à Conínch loco citato. Sit aliquis,qui compellat aliquam bestiam modò hac ratione, modò illa clamare, intendens per hoc aliquid alteri ex pacto cum eo prius inito significare; clamor ille, prout est præcisè actio bestiæ, solum significat, eam sentire aliquod incommodum: at verò prout ab alio assumitur, vt vlterius aliquid significet,est quodammodo actio ipsius.Sic in casu nostro actus pœnitentis, si considerentur præcisè,prout sunt à pœnitente, significant tantum dolorem intrinsecum ipsius pœnitentis, si verò considerentur, pro vt assumpti per potestatem clauium à Sacerdote, vt simul cum forma componant vnum Sacramentum, sunt quodammodo actus ipsius Sacerdotis.

4 Probatur secundò, quia si actus pœnitentis,pro vt sunt à pœnitente,essent materia huius sacramenti proxima,sequeretur quod pœnitens concurreret partialiter ad propriam iustificationẽ, æquè principaliter, ac sacerdos. Sequela est falsa:ergo & antecedens.Sequela patet, nam quidquid est essentialiter sacramẽtum significat, & significãdo producit gratiam: sed actus pœnitentis, prout sunt à pœnitente, sunt materia proxima per aduersarios;ergo actus pœnitentis prout sunt à pœnitente,significant, & producunt gratiã: ergo concurrit peccator ad propriam iustificationem, sicut minister. Nam si Sacerdos submini strat partẽ formalẽ, & pœnitens partẽ proximã materialẽ, & nõ magis significat, & producit gratiã pars materialis sacramenti, quàm pars formalis;per consequens potestas clauiũ nõ magis esset apud pœnitentẽ, quàm apud Sacerdotem.Quia potestas clauiũ est potestas cõficiẽdi sacramẽtũ pœnitentiæ,quo iustificatur impius: sed sacramentũ pœnitentiæ non magis cõficitur à pœnitente,quàm à Sacerdote, quia sacramentum pœnitentiæ non magis dicit partem materialem, quàm formalem; ergo potestas clauium non magis est in posse absoluentis, quam pœnitentis: ergo peccator ministrat sibi ipsi partialiter sacramentum pœnitentiæ.

Nec satisfacit primò de Lugo loco infra cit.nu.33.dicendo,quod minister in rigore importat distinctionem inter ipsum, & eum,cui ministrat. Sicut nemo seruit sibi ipsi, sicut nec ministrat:vnde concludit,quod in ijs sacramentis, in quibus debet interuenire persona diuersa à suscipiente,illi conuenit appellatio ministri simpliciter,& absolutè.

Quia contrà est primò, nam si minister in rigore importat distinctionem, & peccator non est distinctus a se ipso, consequenter non potest ministrare tale sacramentum. Nam qui cõcurrit ad partes essentiales sacramenti per ministerium aliquod, verè dicitur ministrare, seu minister partialis illius sacramenti;igitur dicendum est,quod cũ peccator non sit distinctus à se ipso, nõ potest esse minister, & consequenter

actus

Digitized by Google

actus ipsius, prout sunt ab ipsomet peccatore, non possunt esse materia proxima huius sacramenti pœnitentiæ, nè dicamus peccatorem ministrum partialem propriæ iustificationis.

6 Contra est secundò, nam falsum est, quod minister sacramenti debet esse distinctus ab eo, cui ministrat, nam sacramentum matrimonij conficitur ab vtroque coniugũ indiuisibiliter, & tamen sibi ipsis sacramentum illud ministrant, & sic minister, & suscipiens nõ sunt diuersi.

Nec valet dicere cum de Lugo loco citato, quod in matrimonio vnus coniux dicitur ministrare alteri sacramentum, non sibi.

Quia contra est, nam hoc falsum est, quia sacramentum matrimonij si ministraretur ab vno alteri, sequeretur, q̃ essent duo sacramenta; vnum, quod ministratur à spõso sponsæ, & alterũ, q̃ ministratur à sponsa spõso Insuper esset assignandum aliquod instans naturæ, vel temporis, quo vnum sacramẽtum ministratur ab vno contrahente, & non ab altero, si vnum ab vno alteri, & alterum ab altero vni sacramentũ matrimonij ministratur: at hoc inassignabile est, quum consensus vnius indiuiduè, & in eodem instanti, quo est, perficiat, & perficiatur, nec prius perficiat, quã perficiatur, & econtra; & cõsequenter non prius est materia, quàm forma: ergo dicendum est, quod sacramentum matrimonij fit simul à contrahentibus, & simul ministratur sibi.

7 Adde, quod quum consensus vnius prout est ab hoc, sit materia, quatenus determinatur, & forma, prout determinat, consequenter etiam prout ministratum ab hoc sibi ipsi, concurret ad propriam ministrationem sacramenti matrimonij, seu sibi ipsi ministrabit sacramentũ secundũ partẽ materialem.

Nec satisfacit secundò idem de Lugo dicendo, quod non solet dici producere compositum, qui producit materiam, quum materia sit de se indifferens; sicut qui produceret species panis, ex quibus postea constat sacramentum Eucharistiæ, non diceretur producere Sacramentum Eucharistiæ.

Nam contrà est, quia qui producit maiteriam proximam compositi cum 8 vltimis dispositionibus, vti esset in casu nostro, semper dicitur producere compositum. Sic homo ministrat tantũ partem materialem hominis cum vltimis dispositionibus exigentibus formam secundum probabilem sentẽtiã, & ideò, & si animam non producat, tamen dicitur verè generare hominem. Materia igitur cum vltimis dispositionibus nõ est de se indifferẽs, sed determinata ad talẽ formã: sic parier actus pœnitentis sunt materia vltimò exigens formam absolutionis moraliter.

9 Ad exemplum verò de illo, qui producit speciem panis, facilè respondetur, nam vel consideratur materia Eucharistiæ in fieri, vel in facto esse: si in fieri, tunc dico, quod pars materialis nõ est species panis, sed panis ipse, vt optimè D. Thomas 3. p. quæst. 74. ar. 1. non quomodocumque, sed pro vt determinatus ab intentione consecrantis: vnde & si quis subministret panem, non per hoc subministrat materiam proximam, nam non fit materia proxima, nisi prius determinetur ab intentione consecrantis: potest enim subministrato pane determinare ad consecrandum hanc, & non illam partem. At quia in casu nostro sunt materia pœnitentiæ actus pœnitentis tantum, ideò quum non indigeant alio ad hoc, vt sint materia, necessariò secundum aduersarios, qui subministrat tales actus, subministrat materiam vltimò dispositam ad recipiendam formam, & ideò diceretur verè subministrare partem materialem ipsius sacramenti, & sic minister partialis. Produceret igitur sibi ipsi peccator saltem partialiter gratiam sacramentalem. Immò in opinione de Lugo simpliciter actus prædicti gratiam produceret, quia forma, seu verba sacerdotis producerent, ut determinata ab ipsis actibus

bus, & actus essent materia proxima; ergo peccator tantum attritus per hos actus sibi simpliciter gratiam ministraret. Si verò consideretur sacramentum Eucharistiæ in facto esse, tunc dico quod Corpus Christi, prout fit sensibile per speciem panis, est materia Eucharistiæ: tamen quia non est materia pro recipienda forma, ideo qui produceret talem speciem, non diceretur producere Sacramentum Eucharistiæ, & sic non currit paritas in casu nostro.

Obijcies contrà hanc doctrinam cũ Ioanne de Lugo in tractatu de pœnitentia, disp. 12. sect. 2. nu. 32. & 33. quia verba absolutionis non habent virtutem mouendi Deum ad producẽdam gratiam, nisi quatenus sunt verba sacerdotis loquentis ex delegatione, & nomine Christi. Verba enim non sunt talia secundum se, nec quoties à Sacerdote proferuntur: si ergo confessio nulla præcedat, aut nullus dolor, Sacerdos proferens verba nihil facit, nec operatur nomine Christi, quia Christus non dedit illi potestatem absoluendi suo nomine, nisi in tali casu, quando scilicet præcederet confessio dolorosa; igitur verba illa in tantum proferuntur hic, & nunc nomine Christi, in quãtum præcederet confessio, & dolor; ab his enim actibus verba sacerdotis determinantur verba Christi; ergo verba illa non possunt eleuare actus pœnitentis, nisi prout verba illa determinantur ab ipsa confessione, & dolore, & per consequens prout includunt confessionem, & dolorem haberent virtutem eleuandi confessionem, & dolorem, quod est apertè falsum; tunc enim eleuatio illa proueniret partialiter ab ipsis actibus pœnitentis, quod repugnat, nihil enim potest se ipsum eleuare ad operandum. Hæc de Lugo ibi.

10 Respõdeo, quod & si verum sit, quod verba Sacerdotis absoluentis habeant vim prout prolata ex delegatione, & nomine Christi: (nam si iocosè proferuntur, nullam vim habent, vt in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6.) tamen falsum est, quod quando non præcedit confessio dolorifera, verba illa non proferantur ex delegatione, & nomine Christi, quia etsi gratiam non producant, seu non moueant Deum ad gratiam producendam, est omninò per accidens, & quoad actum secundum, quum deficiat pars materialis, vt patet. Et sic falsum est, quod verba sacerdotis determinentur verba Christi ab actibus pœnitentis. Nisi enim essent verba Christi, & ex delegatione prolata, independenter à confessione, & dolore pœnitentis, non peccaret, qui voluntariè sine dolore, & integra confessione accederet ad sacramentum confessionis, seu pœnitentiæ, nàm quum verba illa sint verba Christi, & ex delegatione prolata, quatenus determinantur ab actibus pœnitentis, quum nulla sit confessio, & nullus dolor, verba illa nullo modo determinãtur, nec sũt ex delegatione, ergo nõ sũt forma sacramenti verba sacerdotis; & quum non sint forma, nullam iniuriam facit sacramento, qui sine dolore, & cum dimidiata confessione accedit, sicut qui non confitetur peccata sua tempore indebito nullam sacrilegam iniuriam facit sacramento, etiam si sit Sacerdos paratus illum absoluere. Nec etiam peccaret Sacerdos, qui indispositum voluntariè pœnitentem absolueret. Nam quum verba illa non sint Christi, neque ex delegatione, nisi præcedant actus pœnitentis, à quibus verba illa determinantur, & actus habiles ad determinandum non præcedunt, verba illa non sunt uera forma sacramenti, & consequenter nulla fit iniuria ipsi sacramento.

Adde, quod si esset verũ, quod verba sacerdotis in tantum sint ex delegatione, & verba Christi, in quantum determinarentur ab actibus pœnitentis, sequeretur, quod potestas clauium non esset in potestate absoluentis, sed in posse pœnitentis. Sequela patet, nam in hoc sacramento pœnitens ministrat ma-

materiam proximam, quæ sunt actus ipsius pœnitentis, & ipsemet determinaret verba Sacerdotis, ad hoc vt euaderent verba Christi, & ex delegatione prolata, & vt verba Christi, & ex delegatione prolata sunt forma, ergo peccator per proprios actus daret rationem formalem Sacramento, & sic sibi ipsi pœnitens ministraret materiam, & formam Sacramenti pœnitentiæ.

Insuper si actus pœnitentis determinant verba Sacerdotis, vt sint verba Christi, sequitur, quod verba Sacerdotis determinantur ab actibus pœnitentis ad hoc, vt sint forma: sunt enim forma Sacramenti quatenus sunt verba Christi, & ex delegatione prolata, vt dixi: & sunt verba Christi, & ex delegatione prolata, quatenus determinantur à contritione, & confessione secundum aduersarios, ergo actus pœnitentis sunt forma verborum Sacerdotis absoluentis, & verba hæc sunt materia actuum pœnitentis. Sequela patet, nam determinans in moralibus dicitur forma, etiam secundum Ioannem de Lugo supra nu. 30. & determinatum dicitur materia, ergo pœnitens ministraret sibi Sacramentum Pœnitentiæ, ergo Sacerdos requireretur tantum materialiter respectu formæ: essent enim verba sacerdotis forma, non prò vt sunt à Sacerdote, sed prò vt sunt determinata ab actibus pœnitentis.

11 Dicendum igitur est, verba Sacerdotis prolata cum intentione absoluendi pœnitentem, verè esse verba Christi, & ex delegatione prolata, independenter ab actibus pœnitentis. Quòd verò aliquando non producant gratiam, hoc non oritur ex defectu formæ, sed ex defectu materiæ, vel non aptæ, vel simpliciter non positæ.

12 Hinc est, quod si pœnitens scienter præbeat materiam non assumibilem ad finem conficiendi Sacramentum, nempè actus, seu confessionem non integram, vel dolorem non sufficientem, sacrilegium committit, quia culpa sua frustratur vera forma Sacramenti.

Sic etiam Sacerdos peccabit mortaliter, si velit assumere prò materia Sacramenti actus pœnitentis non assumibiles.

Concludendum est igitur, quod actus pœnitentis, prout sunt à pœnitente, non sint materia proxima ex qua, sed remota tantum Sacramenti pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

Attritio cognita, vt attritio, sufficit in Sacramento pœnitentiæ pro materia ad producendam gratiam. nu. 1.

Sacramentum pœnitentiæ est per se institutũ ad remittenda peccata. nu. 2.

Licitè, & cum fructu possum accedere ad sacramentum cum intentione recipiẽdi eum fructum, ad quem producẽdum tale sacramentum est institutum. eod. num.

Attritio sine sacramento pœnitentiæ per se nũ potest peccatorem ad iustificationem perducere, & si ipsum peccatorem disponat ad Dei gratiam. nu. 3.

Attritio extra sacramentum insufficienter disponit ad gratiam. nu. 4.

Si attritio cognita, vt contritio sufficeret in sacramento pœnitentiæ, sequeretur, quod aliquod falsum daret sufficientiam attritioni, quod dici non debet. nu. 5. Vel quod etiam dolor naturalis existimatus contritio etiam sufficeret. nu. 6.

Correspõdentia, quæ debet esse inter dolorem, & confessionem, consistit in habere dolorẽ eorum, quæ ore quis confitetur. nu. 7.

Confessio cum attritione est de peccatis, quæ sunt offensa Dei, sed non prout sunt offensa Dei, sic etiam est dolor, qui consequitur ex attritione. eod. num.

Ad iustificationem extra sacramentum requiritur contritio, & consequenter perfecta conuersio. At ad iustificatione in sacramento sufficit attritio, quia attritus, & si non sit dispositus ad gratiam extra sacramentũ, est tamen dispositus ad sacramentum pœnitentiæ, ex vi cuius iustificatur. nu. 8.

Attritus est conuersus ad Deum per amorem concupiscentiæ. eod. num.

At-

Attritus cum sacramento pœnitentiæ non tenetur in articulo mortis elicere actum cõtritionis.nu. 9.

Quod quis teneatur reddere de fide certam suam salutem, est impossibile. nu. 10.

Concilium Trid. tamquam certum (& si non de fide) admittit, attritionem sufficere in sacramento pœnitentiæ. n. 11.

Nullibi est expressum præceptum, quod quis teneatur ex charitate elicere actum contritionis in articulo mortis cum sacramento pœnitentiæ. num. 12.

Erroneum est, tenere attritionem nõ sufficere in sacramento pœnitentiæ. nu. 13.

Certitudo opponitur incertitudini, seu falibilitati: verum opponitur falso. nu. 14.

Certitudo ex uno, vel altero motiuo, non diuersificat certitudinem entitatiuè, sed tantum variat motiuum formale, & sic certitudo salutis ex contritione, est de fide; certitudo ex sensu ecclesiæ, nempe ex attritione, & sacramento, est infallibilis, sed non de fide, quia dicit minorem recessum à suo contrario. nu. 15.

Certitudo humana, vt sic, & in ratione generica, est fallibilis; At certitudo humana, qua talis, nempe qua est à communi sensu ecclesiæ, fallibilis non est. eod. num.

Sicut est de fide, contritionem iustificare impium: Ita est de fide sacramentum conferre gratiam iustificantem. nu. 16.

Non est magis tutus pœnitens de sua salute eliciendo actum contritionis, quam accipiendo sacramentum pœnitentiæ cum attritione, cum non sit tutus de fide, quod actus à se elicitus sit contritionis. nu. 17.

RESOLVTIO XXVI.

An qui cognoscit, se habere attritionem, quam non putat esse contritionem, sed attritionem, dicatur dispositus ad recipiendam gratiam sacramentalem in sacramento pœnitentiæ; etiam in articulo mortis?

1 REspondeo, talem esse sufficienter dispositum ad recipiẽdam gratiam Sacramentalem in Sacramento pœnitentiæ, cum attritio, vt talis cognita sufficiat in Sacramento pœnitentiæ pro materia, & dispositione ad gratiam producendam. Ita Vasquez in 3. p. q. 2. art. 1. dub. 3. n. 14. Enriq. lib. 1. de Sacr. cap. 22. n. 5. Coninch q. 62. art. 1. dub. 2. n. 31.

2 Nec tenetur talis in articulo mortis elicere actum contritionis. Ita Fagundez 2. eccles. præcept. lib. 2. cap. 4. à nu. 13. & cap. 5. n. 14. Prima pars probatur, quia Sacramentum pœnitentiæ est sacramentum per se institutum ad remittenda peccata, vt diximus in art. 1. dub. 3. ex Conc. Trid. & Ioann. 20. ergo qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita, accedit sufficienter dispositus ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, & per ipsum gratiam. Antecedens patet ex supradictis. Consequentia probatur, nã licitè, & cum fructu possum absolutè, & directè intendere, ex Sacramento pœnitentiæ consequi eum effectum, ad quem conferendum directè est institutum, scilicet primam gratiam, & remissionem peccatorum, vt patet, quia directè per hoc me conformo institutioni Christi Domini; sed non possum per se directè percipere primam gratiam, & remissionem peccatorum, nisi probabiliter credã, me nõ esse in gratia, & habere peccatum in anima non remissum. Nemo enim intendit cõsequi id, quod certò scit, se habere; ergo licitè accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, & cum fructu, qui scit, se non esse in gratia, sed esse in peccato mortali, si tantum attritus accedat, ergo attritio cognita, vt attritio, sufficit in Sacramento pœnitentiæ ad producendam gratiam.

3 Confirmatur primo ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. vbi loquens de attritione, hæc habet, Et quamuis sine sacramẽto pœnitẽtiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Sed attritio cognita, vt attritio, est vera attritio, ergo attritio cognita,

vt

Digitized by Google

vt attritio, in Sacramento pœnitentiæ disponit ad gratiam, & consequenter sufficit.

4 Nec dicas quod disponat ad sacramentum, sed non sufficit ad gratiam impetrandam, quia contra est; nam extra Sacramentum etiam insufficienter disponit ad gratiam, & si sit actus super naturalis, vt ex eodem Conc. Trid. loco citato, ergo dicendum est, quod quum Concilium dicat, attritionem in Sacramento disponere ad gratiam, intelligatur de dispositione sufficienti, & adæquata.

5 Confirmatur secundò; Nam sic tota dispositio refunderetur ad existimationem humanam falsam, & sic aliquid naturale mendax disponeret ad gratiam, quod est falsum. Sequela patet, nã stante attritione, quod sit cognita, non sufficit, stante quod sit existimata contritio sufficit; ergo existimatio humana falsa dat sufficientiam. Nihil enim habet amplius attritio cognita vt attritio stante, quod putetur contritio, nisi tantũ existimationem extrinsecam humanam falsam.

6 Confirmatur tertiò, quia si homo attritus existimet, se habere contritionẽ, est sufficienter dispositus ad gratiam Sacramentalem, & si sit sufficienter dispositus per attritionem realem cognitam; ergo si homo non habeat attritionem supernaturalem, sed tãtú naturalẽ & existimet, se habere contritionem, erit sufficienter dispositus ad gratiam Sacramentalem. Consequentia patet, nam ratio formalis tribuens sufficientiam, est existimatio humana, sed tam habetur talis existimatio in attritione supernaturali, quam in dolore naturali, ergo tam habebitur dispositio ad gratiam respectu doloris naturalis, quam respectu atttitionis supernaturalis.

Obijcies primò, Nam confessio correspondet dolori; confessio enim dolorem ostendit, ergo dolor requisitus vt materia debet correspondere confessioni: sed cõfessio debet esse de peccatis, ergo etiam dolor debet esse de peccatis. Sed dolor de peccatis dicit dolorem de offensa Dei, vt est offensa Dei, hoc enim dicit peccatum, vt peccatum; ergo dolor debet esse de offensa Dei, vt est offensa Dei; sed dolor de offensa Dei vt talis, est contritio, ergo contritio tantũ sufficit in Sacramento pœnitentiæ, vel in re, vel saltem putata.

7 Respondeo ad primam consequentiam, & ad primam minorem subsump. tam, quod correspondentia inter confessionem, & dolorem debet esse tantũ in hoc, quod scilicet eorum, quæ confiteor ore, dolorem habere debeo in corde, non verò sub eodem motiuo formali. Ad secundam minorem subsumptam dico, quod confessio est de peccatis vt sic, quæ sunt offensa Dei, non verò prout sunt offensa Dei. Sic etiam dolor, qui consequitur ex attritione, est dolor de offensa Dei; sed nõ prout est offensa Dei; sed prout Deus inde occasionem sumit nobis infligendi mala, habet igitur attritio cognita sufficientem correspondentiam cum confessione de peccatis, & consequẽter est sufficiens materia huius Sacramenti.

Obijcies secundò, quia Sacramentum pœnitentiæ est ad delendum peccatum commissum post baptismum voluntate propria; sed qui voluntate propria auersi sunt à Deo, debent etiã propria voluntate conuerti ad illum; quæ conuersio consistit propriè in contritione, nam qui contritus non est, non dicitur ad Deum conuersus; ergo qui confitetur, debet esse contritus, nõ verò attritus; ergo qui cognoscit, se esse attritum, & accedit ad hoc Sacramentum, peccat.

8 Respondeo, quod ad iustificationem hominis extra Sacramentum vtique verum est, requiri contritionem, & cõsequenter perfectam conuersionem, at qui iustificandus est vi Sacramenti, hac non indiget, ideo enim dicimus, Sacramentum pœnitentiæ habere vim iustifi-

iustificandi; quia non iustificatus si sit dispositus ad Sacramentum, ex vi Sacramenti iustificatur, aliter enim nunquam tribuenda esset hæc vis iustificandi Sacramento pœnitentiæ, quod si talis vis denegetur Sacramento, quando pro materia habet attritionẽ cognitam, etiam deneganda erit, quãdo habebit attritionem, existimatam contritionem, vt optimè Vasq. loco cit. num. 20. Existimatio enim addit supra attritionem aliquid naturale falsum, & in falsitate vim remittendi peccata fundare, absurdum est dicere, qui enim est attritus, est etiã ad Deum conuersus propria voluntate, sed per amorem imperfectum, nempe concupiscentiæ, & hæc conuersio sufficit cum Sacramento; nam per similem amorem etiam à Deo auersus est, & conuersus ad creaturam peccando.

9 Secunda pars, quod scilicet qui cum tali attritione cognita accessit ad Sacramentum pœnitentiæ, non tenetur postea elicere actum contritionis de suis peccatis confessis, si sit in articulo mortis, & sit vir doctus, sm Fagundez secundi Ecclesiæ præcepti lib. 2. cap. 4. à num. 13. & cap. 5. num. 14.

10 Probatur primò ab eodem loco citato, quia si quis teneretur elicere actũ cõtritionis post Sacramentum susceptum cum attritione cognita, teneretur sub mortali reddere suam salutem de fide certam; nam de fide est, hominem saluari in vtraq; lege per actum contritionis. Illud autem nemo vnquã dixit, quum sit impossibile in hac vita, & ad impossibile nemo tenetur.

11 Confirmatur, quia Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. apertè dicit, attritionem cognitam cum Sacramento pœnitentiæ satis esse ad salutẽ, & quãuis id de fide non definiat, tamen tanquam certum, & indubitatum præmittit, & sic erroneum esset oppositum dicere.

Nec satisfaciunt aduersarij dicendo, pœnitentem non teneri elicere actum contritionis ex vi Sacramenti, sed ex vi charitatis naturalis erga se ipsum, qua vnusquisq; tenetur certam facere suam salutem õnibus medii, ac remediis possibilibus, & hic actus contritionis est possibilis eo tempore.

12 Quia contra est, tum quia neq; ex sacra scriptura, neq; ex Concilio aliquo cõstat de tali præcepto charitatis erga nos ipsos in articulo mortis: tum quia Christianus tenetur illa media adhibere pro sua salute, quæ Ecclesia spiritu Sancto edocta docet, esse necessaria, & sufficientia. Sed ex Trid. loc. cit. habemus, attritionem tantum cum Sacramento perfectè disponere ad gratiam; ergo si hoc tantum adhibet pro sua salute, ad nullum aliud tenetur sub præcepto.

13 Probatur secundò, quia talis contritio sub tali motiuo formali, nempe ad reddẽdum se tutiorẽ de sua salute, continet errorem voluntarium contra Ecclesiã; nam erroneum est tenere, Sacramentum cum attritione non conferre gratiam iustificantem, ergo talis contritio sub tali motiuo formali non potest disponere ad gratiam. Antecedens patet, nam non posset quis elicere actum contritionis sub tali motiuo, nisi dubitaret de Sacramento cum attritione. Consequentia patet; nam si voluntariè errat contra Ecclesiã, qui sub tali motiuo elicit talem actum contritionis, igitur peccat, quum præsumat, suam opinionem præferre communi sensui Ecclesiæ: at peccatum etiã si veniale sit, non potest per se ad gratiam disponere, ergo neq; talis actus contritionis, & sic neq; poterit reddere pœnitentem tutiorem.

14 Dices, quod aliud est dicere, quod Sacramentum cum attritione non sit verum Sacramentum; & aliud est dicere, quod Sacramentum cum attritione non sit ita certum ad iustificandum, sicut contritio. Certitudo enim opponitur incertitudini, seu fallibilitati; verum verò opponitur falso; aduersarij enim dicunt quod Sacramentum cum attritione non sit ita certum ad iustificandum, sicut contritio, non quod non

sit

Digitized by Google

sit verum Sacramentum; certitudo n. humana admittit secũ fallibilitatẽ, quã non admittit certitudo de fide.

Nam contra est, quia qui elicit talem actum, vel elicit, quia scit, se esse in gratia causa Sacramenti suscepti cum attritione, vel dubitat. Si scit, & elicit actum contritionis, vt habeat motiuum magis infallibile, cum sit etiam certus ex sensu Ecclesiæ de sua iustificatione, & se desumere ad hanc iustificationẽ motiuum de fide, non facit, quod prius non esset certus, sed eandem certitudinem humanam, nempè ex sensu Ecclesiæ, deinde desumit ex diuina reuelatione, nempè ex contritione; at hoc nihil facit ad salutem, quum ad salutem sufficiat, quod peccator sit in gratia, certitudo enim ex vno, vel altero motiuo non facit, quod
15 sit diuersa certitudo entitatiuè, sed tantum variat motiuum formale extrinsecum; nam certitudo ex contritione est de fide; certitudo ex sensu Ecclesiæ est etiam infallibilis, sed minus, quam de fide; ly vero minus non appellat fallibilitatem, sed tantum maiorẽ recessum à suo contrario, nempè à fallibilitate: at non per hoc sequitur, quod secundum entitatem non sit eadem certitudo, & sic non tenetur quis ad talem certitudinem sub motiuo de fide, sufficit enim si sit certus de sua salute. Si verò elicit actum contritionis, quia dubitat, ergo dubitat de quo Ecclesia tota non dubitat; ergo errat cõtra Ecclesiã, seu sẽsum Ecclesiæ. Nec obstat dicere, quod certitudo, quæ non est de fide, sit fallibilis; quia contra est: Nam & si certitudo humana vt sic sit fallibilis, tamen talis certitudo humana, nempè quæ est à communi sensu Ecclesiæ, fallibilis non est, seu nunquam fallitur, maximè vbi agitur de proponendo media ad salutem, & sic talis certitudo esset fallibilis in ratione generica tantum, nempè qua certitudo humana, non verò ratione specifica, seu individuali, nempè vt certitudo ex communi sensu Ecclesiæ: sicut Talpa, quà animal exigit habere oculos, & sic quà animal dicitur priuata: at quà tale animal non exigit oculos, & sic dicitur negata oculis.

16 Confirmatur, quià sicut est de fide, contritionem iustificare, ità est de fide, Sacramentum conferre gratiam iustificantem; & sicut non est de fide, talem actum à pœnitente existimatum contritionis, quòd sit de facto contritionis, ità neque est de fide, quod tale Sacramentum, nempè Sacramentum pœnitentiæ cum attritione sit Sacramentum cum partibus essentialibus ad gratiam Sacramentalem producendam: ergo pœnitens per actum contritionis non redditur magis tutus de sua salute, quàm per Sacramentum cum attritione: immò magis tutus redditur per Sacramentum cum attritione, quàm per talem actum contritionis. Hæc consequentia patet, nam non est de fide, quod hic actus à me elicitus, sit cõtritionis, sed tantum secundum meam existimationem creditur talis. Nequè est de fide, quod Sacramentum cum attritione iustificet, sed est verum secundum existimationem Ecclesiæ: sed existimatio Ecclesiæ habet maiorem certitudinem, quam existimatio vnius particularis; ergo est magis certus de sua salute, qui confitetur cum attritione, quàm qui elicit actum à se existimatum contritionis, ergo ad nihil deseruit actus ille contritionis, post susceptum Sacramentum cum attritione cognita.

Obijcies, quia qui elicit actũ cõtritionis, est de fide iustificatus; qui verò recipit Sacramentum cũ attritione nõ est de fide iustificatus: ergo tenetur ad actum contritionis, saltem tempore mortis ex præcepto charitatis propriæ. Hæc cõsequentia patet: nã vnusquisq; ex præcepto propriæ charitatis tenetur eligere media tutiora, & securiora pro sua salute, ne se exponat periculo æternæ damnationis.

17 Respondeo negando consequentiã, & ad probationem dico, quod non est

magis tutus pœnitens eliciendo actũ contritionis, quàm recipiendo Sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita; nam & si de fide sit, actum contritionis iustificare, tamen non est de fide, quod hic actus à me elicitus, sit contritionis, sed est tantum moraliter certum: & quum salus pendeat à tali actu moraliter certo, ideò salus ex tali indiuiduo actu contritionis erit etiam moraliter certa: sicut de fide est, Sacramentum producere gratiam iustificantem, & si non sit de fide, Sacramentum pœnitentiæ cum attritione iustificare: & si erroneum sit dicere oppositum. Vnde paritas currit sic, sicut se habet Sacramentum respectu iustificationis, ità se habet contritio respectu eiusdem iustificationis: & sicut se habet hic actus contritionis à me elicitus respectu iustificationis, ità se habet Sacramentum cum attritione cognita respectu eiusdem iustificationis: & sicut de fide est, Sacramentum iustificare, ità de fide est, contrionem etiam iustificare; & sicut de fide non est, talem esse actum contritionis, qui nunc à mè elicitur, ità de fide non est, attritionem sufficere ad iustificationem in Sacramento pœnitentiæ; ergo vtrobique est æqualis certitudo; immò maior est certitudo Sacramenti cum attritione, quum sit sensus totius Ecclesiæ, quàm certitudo per actum contritionis existimatum à me, quia talis certitudo est ab vno fideli tantum, vt supra dixi. Non potest ergo præceptum charitatis de propria salute post susceptum Sacramentum pœnitentiæ cum attritione vrgere ad actum contritionis, quia per talem actum contritionis pœnitens non redditur magis tutus, vt dixi.

Nec dicas, quod in Sacramẽto cum attritione adest duplex incertitudo, vna scilicet, an sit attritio, altera, an attritio sufficiat in Sacramento pœnitentiæ: In actu vero contritionis est vna tantùm incertitudo, scilicet, an talis actus sit contritionis.

Quia contrà est, nam per hoc non sequitur, esse maiorem certitudinem in contritione, quàm in Sacramento cum attritione, quia semper vtrobiq; est moralis tantum certitudo, & non de fide.

Ex dictis ergo manifestè apparet, attritum, & si cognoscit, se esse attritum, esse dispositum ad recipiendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, etiam in articulo mortis.

SVMMARIVM.

Qui amat Deum non super omnia dilectũ, dicitur amare Deum amore naturali. num. 1.

Dolor de peccato ex eo, quia causat pœnas æternas tantum, vel amissionem bonorum spiritualium sine vllo ordine ad Deum auctorem gratiæ, dicitur dolor naturalis: sicut etiam dolor de peccato ratione turpitudinis intrinsecæ ipsius, quatenus hæc opponitur naturæ rationali tantum; vel si detestatur peccatum propter malum temporale, ita quod si malum illud cessaret, nullo modo de ipso peccato doleremus; vel ob timorem naturalem; vel si dolet de peccato sine proposito se emendandi; omnes isti dicuntur dolores naturales. nu. 2.

Attritio naturalis quantumuis putata supernaturalis, & sufficiens, non sufficit in Sacramento pœnitentiæ; Nec potest dari attritio, quæ sufficiat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & non ad producendam gratiam huius Sacramenti. num. 3.

Dolor sufficiens in Sacramento pœnitentiæ est dolor excludens omnem voluntatem peccandi. nu. 4.

Amor, qui non vult omnia media conducentia ad Deum, dicitur amor ineffax. nu. 5.

Qui excludit omnem voluntatem peccandi, excludit etiam omne peccatum futurum. n. 6.

Si attritio naturalis putata supernaturalis sufficeret in Sacramento pœnitentiæ, sequeretur, quod attritio supernaturalis perduceret hominem ad gratiam extra Sacramentum pœnitentiæ, quod est contra concil. Trid. num. 7. Et deberet producere gratiam in Sacramento. nu. 8.

Qui

Digitized by Google

Qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum dolore naturali cognito, peccat mortaliter. num. 9.

Absurdum est dicere, falsitatem per se significare, & producere gratiam. eod: nu.

Acetum putatum vinum, vel panis non triticeus putatus triticeus, vel aqua putata, non sunt materia aliorum Sacramẽtorum. num. 10.

Bona fides in materia Sacramentorum excusat suscipientem, vel ministrum à culpa, non verò reddit materiam ineptam aptam pro Sacramento. nu. 11.

Iudicium Sacramentale pœnitentiæ, & si humanum videatur, tamen est diuinum. num. 12.

Dolor naturalis non conuertit hominem ad Deum auctorem supernaturalem. n. 13.

Qui habet dolorem sufficientem ad Sacramentum, & non ad gratiam, est simpliciter indispositus. nu. 14.

Si dolor naturalis sufficit ad Sacramentum, sufficit etiam ad gratiam. num. 15.

Si dolor naturalis esset materia Sacramenti pœnitentiæ, efficeretur supernaturalis ex vi Sacramenti, sicut cætera materiæ naturales aliorum Sacramentorum. nu. 16.

Dolor de peccatis eatenus est materia, & pars Sacramenti pœnitentiæ, quatenus requiritur ad remissionem peccati. nu. 17.

Quum alia materia naturales Sacramentorum eleuentur à Christo auctore Sacramentorum, ad producendam gratiam, deberet dici, quod etiam eleuatur dolor naturalis, si sufficeret in Sacramento pœnitentiæ pro materia. nu. 18.

Christus Dominus in institutione Sacramentorum nullam habuit coactionem. nu. 19.

Sacramentum pœnitentiæ est non tantum iudicium punitionis, quantum reconciliationis. nu. 20.

Facienti quod in se est per diuinam gratiam, Deus non denegat gratiã, non verò facienti viribus naturæ. nu. 21.

Qui committit defectum circa essentiam Sacramenti, siue cum culpa, siue sine, semper facit Sacramentum nullum. nu. 22.

Reus in foro fori post factam diligentiam à iudice recipit veram absolutionem. num. 23.

Iudicium humanum non requirit dolorem Rei, sicut iudicium Sacramentale: & sententia illius non informat confessionem Rei, sicut informat sententia absolutiua Sacramenti pœnitentiæ. num. 24.

Iudicium humanum est tantum ad punitionem, iudicium verò Sacramentale est etiam ad reconciliationem. eod. nu.

Pax conscientiæ fundata in errore, non est bona; & appellare scrupulũ id, quod est manifestè falsum, est periculosum. nu. 25.

Qui credit habere dolorem supernaturalem, & habet naturalem, si bona fide accedit, & si nullum faciat Sacramentum, tamen nullum committit peccatum: & peccata exposita in tali Sacramento nullo, habentur pro peccatis oblitis, & vti talia remittuntur, vempe vel per actum contritionis genericè factum, vel per subsequens Sacramentum cum debita dispositione. eod. num.

Sicut sumus incerti de dolore supernaturali, sic etiam de baptismo. eod. nu.

RESOLVTIO XXVII.

An attritio naturalis, & insufficiens existimata sufficiens, & supernaturalis sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ?

1 PRò responsione suppono, attritionem naturalem, seu insufficientem multipliciter posse contingere. Primò si quis dolet de peccato propter amorem Dei, non tamen super omnia dilecti: sicut possum amare v. g. Petrum vero amore amicitiæ, & si non diligam eum super omnia: & datur talis amor in eo, qui conatur amare Deum super omnia, sed languidè, & sic amor Dei super omnia impeditur occulto aliquo affectu, & nimio amore ergà aliquas creaturas, quas non esset paratus propter Deum deserere, quem amorem ipse hic, & nũc, vel nullo modo aduertit, vel saltem non aduertit esse maiorem amore Diuino.

2 Secundò, si quis dolet de peccato,

quia causat pœnas æternas tantum, sicut amissiones bonorum spiritualium tãtum, sine vllo ordine ad Deum auctorẽ gratiæ, qui nos iustissimè his, & alijs pœnis temporalibus punire posset.

Tertiò quando quis detestatur peccatum propter intrinsecam turpitudinem ipsius, quatenus talis turpitudo opponitur naturæ rationali tantum.

Quartò quando detestatur peccatum propter aliquod malum temporale, quod timetur à Deo immittendum, cum voluntate implicita, quod si malum illud non immitteretur, vtiq; peccatum committeretur.

Quintò quando quis detestatur peccatum ob timorem merè humanum, nempè quia timet, aut Iudicem temporalem, aut infamiam.

Sextò quando quis dolet de peccato sinè proposito saltem virtuali se emendandi. His positis

3 Respondeo, attritionem naturalem primo modo explicatam nullo modo sufficere in Sacramento pœnitentiæ. Sicut nec vllus dolor naturalis quantumuis putatus supernaturalis, & sufficiens. Nec potest dari attritio, quæ sufficiat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & non sufficiat ad gratiam, seu ad effectum huius Sacramenti. Ita Conink. disp. 4. dub. 5. à nu. 36.

Prima pars probatur, quia talis non habet voluntatem omninò auersam, neque virtualiter ab omni peccato, quum implicitè, seu interpretatiuè nõ intendat deserere creaturas illas, quas amat, per talem detestationem, ita quòd si detestatio illa noceret creaturis, quas plusquam Deum amat, vtique non detestaretur, & quod hoc nõ aduertit hic, & nunc, non facit quod reuera non sit tale, & sic talis postpositio Dei stat implicitè cum amore illo languido amicitiæ Diuinæ; ergo talis pœnitens non habet dolorem sufficientem. Consequentia patet; nam dolor,

4 qui sufficit in Sacramẽto pœnitentiæ, est dolor excludens omnem voluntatem peccandi, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi hæc habet, Illam verò imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex metu pœnarum communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, declarat sancta synodus, donum esse Dei, & Spiritus Sancti impulsum, &c. si ergo dolor sufficiens debet excludere non solum actuale peccatum, sed etiam voluntatem peccandi, ergo debet excludere nõ solum actuale peccatum commissum, sed etiam possibile futurum: aliter enim non potest dici excluſa voluntas peccandi: sed in casu nostro non excluditur voluntas peccandi, & si excludatur actuale peccatum; ergo talis dolor non sufficit.

5 Confirmatur, quia talis amor Dei est inefficax, & simplicis complacentiæ tantum, quum nolit omnia media conducentia ad bonum Dei, nec excludit peccatum simpliciter prò vt est malum Dei, sed quatenus malum illud non obstat creaturæ, à se amatæ, ergo si malũ illud Dei in tãtũ homo detestatur, in quantum non est bonum creatutæ amatæ, consequenter mali detestatio dicit in se cõditionem non boni creaturæ amatæ; nam si esset bonum creaturæ amatæ, malum illud Dei ille nõ detestaretur, ergo amor hic, seu dolor hic non sufficit, quia non simpliciter conuertit ad Deum, sed quatenus conuersio non obstat amori creaturæ amatæ.

Obijcies, dolor requisitus ex Conc. Tridentino in Sacramento Pœnitentiæ est, vt sit dolor de peccato pro vt est offensa Dei, cum proposito nunquam amplius peccandi in posterum, vt habetur sess. 14. cap. 4. & nulla ibi fit mentio de detestatione super omne detestabile, sed qui taliter diligit Deũ, habet detestationem de peccato pro vt est offensa Dei, vt supponitur, & habet propositum nunquam peccandi

in

in posterum, ergo habet dolorem sufficientem.

6 Respondetur, quod Concilium ibi requirit in dolore sufficienti exclusionem voluntatis peccandi; si ergo quis excludit hic, & nunc voluntatem peccandi, excludit etiam hic, & nunc omne peccatum futurum, & sic implicitè proponit anteponere Deum omnibus creaturis: At quum Pœnitens in casu nostro habeat implicitè, seu virtualiter voluntatē anteponendi creaturas Deo, consequenter non est sufficienter dispositus.

Secunda pars, quod scilicet dolor naturalis nullo modo sufficiat pro materia proxima Sacramenti Pœnitētiæ, nec obstat, quod supernaturalis, seu sufficiens putetur, est D. Thomæ 3. par. quæst. 84. art. 1. ad secundum, his verbis. In Sacramento pœnitentiæ, sicut dictum est, sunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna, vnde materia non exhibetur à ministro, sed à Deo interius operante, sed complementum Sacramenti exhibet minister, dum pœnitentem absoluit.

7 Vt videtur decisum in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi hæc habet loquens de contritione imperfecta, quæ est donum Dei, Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem peccatorum perducere non possit, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit &c. si ergo dolor naturalis sufficeret ad Sacramentum tantum, sequeretur, quod attritio perduceret ad iustificationem extra Sacramentum. Sequela patet, nam posito Sacramento cum dolore naturali, iam completum est Sacramentum per aduersarios, tamen non potest producere gratiam ratione impedimenti; ergo deleto impedimento per attritionem subsequentem gratia statim sequitur, ergo attritio extra Sacramentum perducit hominem ad Dei gratiam. Hæc consequentia patet, quia post completum Sacramentum, attritio subsequens non impeditur ad complendum ipsum, quum iam sit completum essentialiter, tantò magis, quia attritio subsequens nullo modo est sensibilis neque per se, neque per confessionem, vt patet, & tamen attritio illa perducit hominem ad gratiam; ergo extra Sacramentum attritio concurrit ad iustificationem hominis, quod est contra Concil. Tridentinum.

8 Probatur etiam primò, quia si dolor naturalis sufficeret pro materia Sacramenti pœnitentiæ, sequeretur, quod dolor naturalis produceret gratiam in Sacramento pœnitentiæ. Sequela existimatur falsa ab aduersarijs, ergo & antecedens. Sequela patet, nam materia eleuatur à forma in alijs Sacramentis, sed vtraque eleuatur à Deo ad producendam gratiam Sacramentalem; sic aqua, seu ablutio naturalis cùm forma baptismi eleuatur ad producendam gratiam baptismalem, & sic de cæteris; ergo idem dicendum erit de materia Sacramenti pœnitentiæ.

Nec valet dicere, quod tunc Sacramentum pœnitentiæ per accidens gratiam non producit, nempè ratione indispositionis. Quia contra est, nam si homo non erit indispositus, nempè si confiteatur tantum venialia, vel si confiteatur mortalia iterum confessa, tunc cùm dolore naturali talis pœnitens reciperet gratiam, & consequenter erit dolor naturalis non solum sufficiens ad Sacramentum per se, sed etiam ad gratiam producendam.

Probatur secundò, quia vel homo cognoscit, se habere dolorem naturalem, & accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel se non cognoscit habere dolorem naturalem, sed putat habere supernaturalem: si primum, hic
9 quum accedat ad Sacramentum, & sciat cum tali dolore non recipere gratiam, consequenter peccat mortaliter, quum intendat frustari finem Sacramenti; ergo neque potest recipe-

re

re Sacramentum. Hæc consequentia patet, nam accedit cum affectu ad peccandum mortaliter; ergo non potest recipere Sacramentum per se destrues peccatum mortale. Vel non cognoscit pœnitens, se habere dolorem naturalem, sed credit habere supernaturalē; & tunc contra est, nam hæc existimatio est aliquid falsum, quia non conformatur obiecto; ergo Sacramentum pœnitentiæ haberet saltem materialem falsitatem pro materia; ergo Sacramentum pœnitentiæ inuolueret essentialiter falsitatem, ergo falsitas significaret, & produceret gratiam; nam quidquid est essentialiter vt materia, & forma in Sacramento, significat, & producit gratiam saltem postquam à Pœnitente tollitur obex per actum supernaturalem doloris, tunc enim etiā ex vi Sacramenti gratia illa produceretur: sed dolor naturalis existimatus supernaturalis est pars materialis Sacramenti; ergo dolor naturalis, qui falsè putatur supernaturalis, producit gratiam, quòd est absurdum dicere. Quomodo enim credi potest, quod Iesus Christus institutor Sacramentorum, qui est veritas æterna Patris, hac materia falsitatem inuoluente vsus sit ad gratiam Sacramentalem producendam?

10 Confirmatur primò, quia acetum putatum vinum, vel panis non triticeus putatus triticeus; vel aqua putata, si re vera non sit, non sufficiunt pro materia in alijs Sacramētis, erga neq; actus naturaralis putatus supernaturalis. Nàm si falsa existimatio non supplet defectum essentialem materiæ aliorum Sacramentorum, neque supplere debet defectum intrinsecum, & essentialem Sacramenti pœnitentiæ, quum non sit maior ratio de vno, quàm de alio Sacramento.

Nec dicas, quod qui taliter accedit, bona fide accedit, & sic excusatur.

11 Quia cōtra est, nā bona fides excusat à culpa, non verò reddit materiā ineptam aptam, sicut qui credit vinum esse aquam vsuālem, si cum illo baptizat ignoranter, non peccat, sed non per hoc non erit iterum puer baptizandus: vel qui in pane non triticeo bona fide consecrat, non per hoc facit Sacramentum.

12 Confirmatur secundò, quia hoc Iudicium Sacramentale pœnitentiæ, & si humanum videatur, tamen re vera est Diuinum, quia in eo homo se gerit vt instrumentum, & minister Dei; ergo veritas huius iudicij Diuini non potest esse posita in falsa existimatione humana, sed in conformitate ad rem ipsam; ergo dolor, qui videtur verus, & supernaturalis, & re vera non est, non potest esse pars huius iudicij Diuini.

Probatur tertiò, quia in confessione ideo requiritur dolor, vt homo conuertatur ad Deum auctorem supernaturalem, & suæ beatitudinis, & auertatur à creatura: sic enim peccator retractat actum peccaminosum, qui consistit in auersione à Deo, & conuersione ad creaturas: sed dolor naturalis nunquam conuertit hominem ad Deū auctorem supernaturalem; ergo dolor naturalis non sufficit in Sacramento Pœnitentiæ.

Tertia pars, quod scilicet nulla attritio detur, quæ sufficiat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & non sufficiat ad eius effectum, quæ est Coninc. loc. cit. nu. 40.

Probatur primò, quia Apostolis data fuit potestas absoluendi à peccatis, non omnes, sed quos viderint dispositos ad recipiendam gratiam Sacramentalem. Nam quum Christus dederit potestatem retinendi etiam peccata, quando dedit potestatem remittendi, retentio debet esse rationalis, & consequenter indispositis ad gratiam est retinenda absolutio, & collatio gratiæ: sed qui habet dolorem sufficientem ad Sacramentum, & non ad gratiam Sacramentalem, est simpliciter indispositus, cum non possit recipere finem Sacramenti; ergo non est absoluendus,

uendus, & qui talem absoluit, peccat mortaliter, quum absoluat indispositum: vel est dicendum, quod si dolor ille sufficit ad Sacramentum, sufficiat etiam ad gratiam Sacramentalem.

15 Confirmatur primò, quià Sacramẽtum pœnitentiæ est ad gratiam producendam, ergo si dolor sufficit ad Sacramentum, sufficiet etiam ad gratiam ipsam. Consequentia patet, nam dolor sufficit ad causam producentem effectum, ergo debet sufficere ad ipsum effectum.

16 Confirmatur secundò specialiter de dolore naturali, quia dolor naturalis si est materia Sacramenti per aduersarios, ergo fit supernaturalis, nam Sacramentum non est quid naturale, sed supernaturale, seu quid naturale eleuatum ad aliquod supernaturale, sicut sunt cæteræ materiæ aliorum Sacramentorum: sed dolor supernaturalis sufficit ad producendam gratiam Sacramentalem; ergo dolor, qui est materia Sacramenti pœnitentiæ, sufficiet ad gratiam Sacramentalem producendam; ergo si dolor sufficit ad materiam Sacramenti, sufficiet etiam ad gratiam Sacramentalem producendam.

17 Probatur secundò, quia dolor de peccatis eatenus est materia huius Sacramenti, & pars ipsius, quatenus requiritur ad remissionem peccati. Ità habetur in Tridentino sess. 14. cap. 3. ergo quando nõ potest deseruire pro remissione peccatorum talis dolor, tunc non habet rationem formalem, vt sit pars, seu materia Sacramenti: ergo si sufficit, vt sit pars, seu materia Sacramenti pœnitentiæ, sufficit etiam ad producendam gratiam Sacramẽtalem, quòd si non sufficit ad vnum, neq; ad alterum sufficiet.

Obijcies primò ex Bonacina disp. 5. q. 3. num. 9. quia Christus Dominus pro materia Sacramentorum instituit rem naturalem, nempè aquam naturalem, panem naturalẽ &c. ergo etiam pro materia pœnitentiæ instituit dolorem naturalem.

18 Respondeo primò ad hominem contra Bonacinam, nam Christus Dominus eleuat materiam naturalem aliorum Sacramentorum ad producẽdam gratiam, ergo eleuat etiam dolorem naturalem Sacramenti pœnitentiæ ad producendam gratiam eiusdem Sacramenti: ergo sicut materia naturalis aliorum Sacramentorum sufficit ad producendam gratiam, ita etiam sufficere debet dolor naturalis in Sacramento pœnitentiæ, vnde si dolor naturalis sufficit ad Sacramentum, sufficit etiam ad fructum Sacramenti, contra ipsummet Bonacinam loco citato, & Concilium Tridentinum citatum.

Nec dicas, quod non producat gratiam ratione indispositionis.

Quià contra est, nam adueniente dispositione, vel dolor naturalis vti pars Sacramenti, producit gratiam, vel dispositio: si dolor naturalis, ergo dolor naturalis sufficit ad vtrumque, ad Sacramentum scilicet, & ad gratiam Sacramenti contra Tridentinum: vel dispositio producit, & contrà est, nam si dispositio est attritio, ergo attritio nõ vt pars, & extra Sacramentum producit gratiam, quod est contra Tridentinum sess. 14. cap. 4. Tum quia Sacramentum Pœnitentiæ ad nihilum deseruiret, cum dispositio independenter à Sacramento produceret gratiam: sicut igitur à Bonacina negari debet, dolorem naturalem eleuari in Sacramento pœnitentiæ ad producendam gratiam, & si materia aliorum Sacramentorum eleuetur ad talem productionem; ità etiam negari debet, talem dolorem esse materiam sufficientem, & si materia aliorum Sacramentorum sit naturalis.

19 Respondeo secundò, quod Christus Dominus in institutione materiarum Sacramentorum nullam habuit coactionem, & sicut posuit in aliquibus Sacramentis materiam visibilem, & in alijs non visibilem, in alijs actiones, &

in

Digitized by Google

in alijs res, in aliis materiam permanentem, & in aliis transeuntem; sic posuit in aliis Sacramentis materiam naturalem, & in Sacramento pœnitentiæ materiam supernaturalem, & quod materia supernaturalis sit materia Sacramenti pœnitentiæ, omnes communiter fatemur, quia omnes fatemur, pœnitentem accedentem cum contritione, vel attritione supernaturali, recipere gratiam, & fieri Sacramentum; vnde fit, quod talis materia esset dispositio ad gratiam, ne frustraretur finis Sacramenti. Nec debemus aliam materiam assignare, præter illam, quæ tendit ad consequutionem finis Sacramenti, quum omnes materiæ Sacramẽtorum deseruiant pro consequutione, & non pro frustratione finis illius Sacramenti, cuius sunt partes, & quum dolor naturalis nunquam possit deseruire in Sacramento pœnitentiæ pro consequutione finis ipsius pœnitẽtiæ, dicendum est, quod nunquam potest deseruire pro materia huius Sacramẽti pœnitentiæ.

Obiicies secũdò, cũ dolore naturali possunt concurrere omnes partes necessariæ ad iudicium, & fieri potest vera accusatio cum vera sententia, ergo dicendum est, sufficere dolorem naturalem in Sacramento pœnitentiæ.

20 Respondeo negando antecedens, nam quum hoc sit iudicium reconciliationis, non verò punitionis tantum, necessariò debet esse conuersio Rei ad Deum auctorem supernaturalem: qui enim reconciliatur cum aliquo, debet se conuertere ad illum: at talis conuersio ad Deum auctorem supernaturalem non habetur à dolore naturali, & ideò dicendum est non sufficere.

Obiic. tertiò, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, sed ille, qui hanc veram, & supernaturalem dispositionem procurat, & existimat, se illam habere, quum tamen nõ habeat, facit quod in se est, ergo quando talis pœnitens ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, Deus huic non debet denegare gratiam.

21 Respondeo ad maiorem, quod facienti quod in se est per diuinam gratiam Deus non denegat gratiam: at facienti quod in se est viribus naturæ, vtiquè Deus denegabit gratiam. Hinc est, quod si peccator facit quòd in se est per diuinam gratiam, faciet actum supernaturalem doloris, non verò naturalem, & putatiuè tantum supernaturalem, vt optimè Fagundez loco cit. lib. 2. cap. 10. num. 7. & sic falsa est minor, quia talis non facit quod in se est per diuinam gratiam, quum non faciat re vera actum supernaturalem doloris.

Obiicies quartò, qui culpa suacommittit defectum circa essentiam Sacramenti, facit Sacramentum nullum, ergo è contra, qui sine culpa facit, quod in se est, & putat, se habere veram, & supernaturalem contritionem, faciet Sacramentum validum.

22 Respondeo, quod qui committit defectum circà essentiam Sacramenti, siue cum culpa, siue sine, semper facit Sacramẽtum nullum, qui enim putat, vinum esse aquam, & baptizat, baptismus erit nullus, siue peccet, siue non peccet minister, & sic de aliis: essentialia enim Sacramentorum sunt à Christo Domino instituta, & non possunt variari, nec bona fides, nec ignorantia inuincibilis potest supplere ad hoc, vt fiat Sacramentum, & si culpa.

Obiicies quintò, sentẽtia absolutionis Sacramentalis datur more Iudicij humani, sed in Iudicio humano vera est illa sententia, quæ absoluit hominem, facta morali diligentia, post quam sine culpa inuenitur, licet re vera culpam habeat à parte rei; ergo valida erit sententia absolutionis in foro pœnitentiæ, si absoluit hominem, qui post factam moralem diligentiam putat, se habere necessariam dispositionem ad Sacramentum pœnitentiæ, licet re vera non habeat.

23 Respondeo primò, hoc argumentum probare pluſquam intendit; nam pro-

Digitized by Google

probat, talem habere veram absolutionem, & consequenter gratiam sacramentalem, nam per gratiam fit absolutio. Reus enim in foro fori post factam diligentiam, veram absolutionem obtinet.

24 Respondeo secundò negando paritatem, in iudicio enim humano nullo modo requiritur dolor Rei, qui in hoc iudicio est necessarius, vt pars essétialis ipsius: & sententia iudicij humani nihil debet informare, sicut sententia iudicij diuini in sacramento pœnitentiæ, quæ informat actus pœnitentis ex Christi institutione. Ratio verò disparitatis horum iudiciorum hæc est, quia iudicium humanum est tantum ad punitionem, iudicium verò sacramentale est ad reconciliationem, qui enim punitur in foro fori, punitur secundum allegata, & approbata in eodem foro; qui verò reconciliatur in foro cõscientiæ, debet se conuertere ad Deum eodem modo, quo ab ipso fuit auersus; & quia per peccatum se auertit à Deo auctore supernaturali, ideò per dolorem debet se conuertere ad eundem Deum, etiam vt auctorem supernaturalem, & hæc conuersio etiam supernaturalis est, & ideò dolor causans talem conuersionem esse debet in eodem ordine supernaturali.

Obijcitur sextò, requirere in hoc sacramento verum dolorem supernaturalem, & dicere, quod dolor putatus supernaturalis non sufficiat, est inijcere scrupulos conscientijs, quia nemo in hac vita potest esse certus, an habeat supernaturalem attritionem; ergo dicendum est, sufficere putatam tãtum attritionem supernaturalem, & si talis re vera non sit.

25 Respondetur, quod pax conscientiæ fundata in errore, bona non est, & existimare, quod sit scrupulus falsitas realis, periculosum est: non enim est inijcere scrupulos conscientijs indicare veritatem sacramenti, sed dicere oppositum falsum, scrupulus est. Addo, quod nullus est scrupulus ex parte pœnitentis, quando credit habere dolorem supernaturalem, si naturalem re vera habeat, quia quum accedat bona fide, nullum committit peccatum, etiam si nullum fiat sacramentum, & peccata exposita in tali sacramẽto cũ dolore naturali putato supernaturali, & si non remittantur per tale sacramẽtũ, habentur pro oblitis, & vt talia remittũtur, nẽpe vel per actum contritionis, vel per subsequens sacramentum cum debita dispositione, & sic nullus inijcitur scrupulus conscientijs, vt putant aduersarij. De certitudine verò, quàm non habet peccator de remissione peccatorum, non est mirum, quia neque certitudinem habet de baptismo, quum possit dubitare de intẽtione ministri, de quãtitate, vel qualitate aquæ, de ablutione physica, &c. sic etiam de sacramento pœnitentiæ, etiam si peccator sit certus de attritione supernaturali, potest dubitare de potestate ordinis ministri, vel de intentione ipsius met ministri, & sic de cœteris.

Ex dictis ergo manifestè apparet, nullam attritionem naturalem, quantumuis putatam supernaturalem, sufficere ad gratiam sacramenti pœnitentiæ, nec ad sacramentum ipsum.

SVMMARIVM.

Dolor de non habere dolorem ad sacramentum requisitum, vel actus amoris Dei super omnia, vel voluntas ipsa confitendi, & recipiendi absolutionem, dicuntur dolores virtuales. nu. 1.

Dolor formalis post aliquod tempus dicitur virtualiter perseuerare, si non sit retractatus. nu. 2.

Dolor formalis post longum tempus dicitur habitualiter perseuerare, si non sit retractatus. nu. 3.

Dolor de non habere dolorem non sufficit in sacramento pœnitentiæ pro materia. nu. 4.

Dolor requisitus in sacramento pœnitentiæ debet esse verè supernaturalis, & non existi-

matus talis.num.5.

Velle,aut desiderare aliquem amare,differi ab amare illum. eod.num.

Actus doloris de non habere dolorem consummatur in desiderio dolendi . num.6.

Et hominem ad Deum non conuertit,sed ad dolorem. nu.7.

Voluntas facti pro facto reputatur apud Deũ in omnibus,sed non in materiis sacramentorum. nu.8.

Dilectio Dei super omnia non sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ.nu.9.

Dolor de natura sua sensibilis non est, & ideo fit sensibilis per confessionem,& consequenter per cõfessionem fit pars sacramenti,quod signum sensibile est.nu.12.

Confessio peccatorum non potest reddere sensibilem amorem,sed dolorem.eod.num.

Materiæ virtuales;s.vna, vel tritum, non sufficiunt in aliis sacramentis.nu.11.

Voluntas confitendi,& recipiendi absolutionẽ, non sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ.num.12.

Actus formalis doloris virtualiter perseuerans sufficit pro materia sacramenti pœnitentiæ. num.13.

Sacramentum est compositum morale, & cõsequenter sufficit,si eius partes moraliter sint.num.14.

Dolor habitualis sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ. nu.15.

Dolor quantumuis intensissimus,& de recenti factus,nisi sit sensibilis non sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ.nu.16.

Confessio communicat dolori, quod sit pars sacramenti pœnitentiæ. eod.num.

RESOLVTIO XXVIII.

An dolor virtualis, vel habitualis sufficiat in sacramento pœnitentiæ?

1 PRo responsione suppono primò, dolorem virtualem esse in multiplici differentia. Nàm primò dicitur dolor virtualis, seù dicitur,quis habere dolorem virtualem, quando habet dolorem, quod non possit habere verum dolorem, & attritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitam per talem actum:e.g. doleo,& me valdè pœnitet, quod me de meis peccatis non pœniteat,vt decet, & oportet. In hoc enim actu virtualiter includitur votum doloris. Ità Sa in verb.Absolutio n.5.

2 Secũdò dicitur dolor virtualis,actus amoris Dei super omnia, actus enim dilectionis super omnia continet actũ doloris virtualiter, & implicitè ; nàm ei, qui amat Deum super omnia , displicet implicitè , quidquid displicet obiecto amato super omnia. Ità Bonac. de pœnitentia disp.5. quæst.4. punct. 2.num.7.

3 Tertiò dicitur dolor virtualis , voluntas ipsa confitendi , & recipiẽdi absolutionem, dummodò pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter,vel virtualiter peccato adhæreat. Ità Sylvester verb. Confessio primo , quæst. 21.relatus à Suarez de pœnitentia disp. 20.sect.1.nu.1.

4 Quartò dicitur dolor virtualis , seù virtualiter perseuerare , quando quis elicit actum formalem doloris,qui post aliquod tempus dicitur perseuerare virtualiter,quàmdiu .s. pœnitens interrogatus,cur doluerit , potest sine noua deliberatione respondere, se doluisse, & non retractasse dolorem , quià vult confiteri . Ità Granado in 3.parte de Sacramentis,controuers.7. tract.3.sect. 1.num.7.

Suppono secundò , dolorem habitualem esse dolorem non retractatum. Elicit enim quis actum doloris de suis peccatis , hic actus dicitur semper etiã post longum tempus habitualiter perseuerare,vlq; dum non retractetur,vel implicitè, vel explicitè . Ità Hurtado lib.1. de Sacramentis in genere, differentia 10.His positis. Respõdeo,quod dolor de non habere dolorem sufficiẽtẽ de suis peccatis,Et amor Dei super omnia, & voluntas recipiendi absolutionem , qui omnes dolores virtuales dicuntur,non sufficiunt in Sacramento

Digitized by Google

to pœnitentiæ pro materia. Dolor verò formalis virtualitèr, vel habitualitèr perseuerans, sufficit pro materia in Sacramento pœnitentiæ.

Prima pars, quod scilicet quando quis dolet, se non habere dolorem sufficientem, non sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ, est Henriquez lib. 1. de Pœnitentia, cap. 26. num. 5. in fine, ex mente D. Thomæ, & Diui Bonauenturæ, quos citat in margine litt. Q. Vasquez q 92. art. 2. dub. 3. n. 6. Suarez disp. 20. sect. 1. nu. 2.

5 Probatur, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor de peccatis supernaturalis, nec sufficit existimatus, si re vera non sit supernaturalis, ex resolutione præcedenti: ergo dolor non habendi dolorem nullo modo sufficere potest. Consequentia patet, quia dolor non habendi dolorem nullo modo est dolor de peccato; nàm velle amare, aut desiderare aliquem amare, differt ab illum amare, & nullus est actus amoris circà illum, sed tantum circà actum amandi illum, vnde totus hic amor habet pro obiecto non talem amandum, sed actum amoris, qui versabitur, sed actu non versatur circà tale obiectũ amandũ, ergo pariter actus doloris de non dolere, non est dolor de peccato, sed habet pro suo obiecto actũ doloris versaturum circa peccatũ; quũ ergo non sit dolor de peccato, quum non habeat peccatũ pro obiecto, nullo modo potest sufficere in Sacramento Pœnitentiæ.

6 Confirmatur primò, quia talis dolor consũmatur in desiderio tantum dolendi, sed desiderium doloris non est dolor, seù detestatio peccati, ergo dolere de non dolere de peccato, nullo modo sufficit in Sacramẽto Pœnitẽtiæ.

7 Confirmatur secundò, quia talis dolor nullo modo conuertit hominem ad Deum, sed potius cõuertit eum ad dolorem tantum de peccato: sed dolor requisitus in Sacramento Pœnitentiæ debet conuertere hominẽ ad Deũ, siuè per timorẽ, siuè per amorẽ vt dixi; ergo nullo modo sufficit in Sacramento Pœnitentiæ.

Obijcitur, quia voluntas facti apud Deum prò facto reputatur, ergo talis voluntas dolendi prò dolore apud Deũ reputabitur, ergo sufficit in Sacramento Pœnitentiæ.

8 Respondetur, & si antecedens verum sit in alijs, tamen in materia Sacramentorum est omninò falsum, quia, quum materia Sacramenti pendeat ab institutione Christi, semper attendendum est ad id, quod requiritur ex tali institutione, & quum Christus postulet pro materia, & dispositione huius Sacramenti dolorem verum, & supernaturalem, non verò voluntatem habendi dolorem, seù contritionem, vel attritionem, ideò ad ipsam attritionem in re habitam attendendum est, vt optimè Fagundez loco cit. nu. 13. in fine

9 Secũda pars, q. s. dilectio Dei super omnia, quæ dolor virtualis dicitur, non sufficiat in Sacramento pœnitentiæ, est Bonacinę de Sacramento Pœnitentiæ disp. 5. q. 3. nu. 7. parte 2. Et

10 Probatur, quia dolor, seù attritio de natura sua non est pars Sacramenti, quum Sacramentum sit signum sensibile, & attritio, seu dolor sensibilis non est de natura sua; sed est pars Sacramenti, quatenus fit sensibilis per Confessionem: sed confessio peccatorum nullo modo reddit sensibilem actum amoris internum, quum amor nõ prorũpat ad accusandũ hominẽ de peccatis, sed dolor ex memoria peccatorũ facit peccatorem confiteri peccata: ergo quum per Confessionem non fiat sensibilis actus amoris, amor, qui est virtualiter dolor non sufficit in Sacramento Pœnitentiæ.

11 Confirmatur, quia in alijs Sacramẽtis materia virtualis non sufficit, vua enim, quæ est virtualiter vinum; tritum, quod est virtualiter partis; & vapor, qui est virtualiter aqua, non sufficiunt prò materia in alijs Sacramentis; ergo nequè dolor virtualis sufficit in Sacramento Pœnitentiæ: sicut enim est

Digitized by Google

materia in sacramento baptismi aqua, & panis, & vinum in Eucharistia, ita contritio est materia sacramenti pœnitentiæ.

12 Tertia pars, quod scilicet dolor virtualis consistens in voluntate confitendi, & recipiendi absolutionem, etiam si pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter, vel virtualiter peccato adhæreat, nullo modo sufficiat in sacramento Pœnitentiæ, est Suarez disp. 20. sect. 1. num. 2. his verbis. Hæc verò sententia (loquitur de sententia opposita nostro dicto) improbabilis est, & hoc tempore etiam temeraria; nam præterquam quod repugnat omnibus alijs Theologis, & Doctoribus, apertè videtur damnata in Concilio Tridentino, nam sess. 6. cap. 7. & 14. requirit ad remissionem peccati propriũ dolorem pœnitentis, etiam cum sacramento, & sess. 14. cap. 4. concludit, ecclesiam nũquam docuisse, aut sensisse, sacramentum hoc dare gratiam sine proprio motu pœnitentis. Hæc ille.

13 Quarta pars, quod scilicet actus doloris formalis virtualiter perseverans, nempè quando quis elicit actum doloris, & post paruum tempus cõfitetur, sufficit in sacramento Pœnitentiæ, est Granado in tertia parte sacramenti pœnitentiæ, controuers. 7. tract. 3. disp. 3. sect. 1. n. 7. Dianæ 5. parte resolutionum, tract. 7. miscell. resolut. 77.

14 Et probatur, quia sacramentum est compositum morale, ergo coniunctio inter has partes sufficit, si sit moralis: sic enim debent vniri partes, sicut est compositum; ex coniunctione enim physica, compositum est physicũ, & ex morali, cõpositũ est morale: ergo si partes moraliter sint simul, possunt moraliter compositum componere: partes enim, totius sunt partes: sed dolor modo explicato moraliter est; & in moralibus parum pro nihilo existimatur; ergo dolor explicatus sufficit.

15 Quinta pars, quod scilicet dolor habitualis, ideſt, actus doloris non retractatus, etiam post longum tempus, sufficiat in sacramẽto pœnitentiæ, est Hurtadi disp. 1. de sacramentis in genere, difficultate 11. Et

16 Probatur, quia actus doloris quantumuis intensissimus, & recens factus, non est sufficiens in sacramento pœnitentiæ, nisi sit sensibilis. Et ratio est, vt diximus, quia quum sacramentũ sit signum sensibile, partes ipsum componentes, etiam sensibiles esse debent; ergo ratio formalis reddens contritionem, seu dolorem partem sacramenti pœnitentiæ, est sensibilitas: sed sensibilitas doloris habetur à confessione; ergo confessio communicat dolori rationem formalem, vt sit pars sacramenti pœnitentiæ: ergo si dolor habitualis habeat confessionem actualem, habet actualem rationem formalem, reddentem ipsam partem materialem sacramenti pœnitentiæ: ergo dolor habitualis cum confessione actuali est pars materialis actualis sacramenti pœnitentiæ. Ratio enim formalis facit formaliter rale, sed pars actualis moralis potest recipere formam actualẽ pœnitẽtiæ, ergo dolor habitualis cum confessione actuali sufficit in sacramento pœnitentiæ.

Confirmatur, quia quãdo inter materiam, & formam sacramenti adest simultas moralis, sufficit ad componendum vnum sacramentũ, sed dolor habitualis cũ confessione actuali est vna tantum materia, & est simul moraliter cum forma, saltem in ratione materiæ sacramẽti, ergo possunt integrare vnum sacramentum actuale pœnitentiæ.

Ex dictis ergo manifestè apparet, Nec dolorem de nõ habere dolorem; Nec amorem Dei super omnia; Nec voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, sufficere pro materia sacramenti pœnitentiæ: Dolorem vero formalem virtualiter, vel habitualiter perseuerantem esse materiam sufficientem eiusdem sacramenti.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Dolor de peccatis ad hoc, vt sufficiat pro materia, nec debet necessariò præcedere, nec esse ordinatus ad confessionem.n.1.

Prudens confessarius post factam confessionem semper allicit pœnitentem ad eliciendum actum contritionis.n.2.

Quod confessio dependeat à dolore, non exigitur à forma Sacramenti Pœnitentiæ, cum sit per modũ sẽtẽtiæ absolutiuæ. Nec à gratia, cũ gratiæ sufficiat dolor supernaturalis.eod.n.

Qui confessionem vocat, & postea loquelam amittit, ex accidenti r:pentino, est absoluendus.n.3.

Confessio independenter à dolore potest significare dolorem, ipsumq; sensibilem reddere.num.4.

Confessio, quæ est à sola voluntate pœnitentis, non differt specie à confessione, quæ pendet à dolore.eod.nu.

Confessio est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, non quando est à pœnitente, sed quando assumitur à Sacerdote per potestatem clauium.eod.nu.

Et si confessio præcedat dolorem in esse Physico, tamen in esse morali, & prò vt assumitur à Sacerdote, dolor dicitur præcedere confessionem, cum hæc assumatur, vt signum, & ille, vt res significata.n.5.

Confessio potest esse signum morale doloris, etiã si à dolore non pendeat.n.6.

Narratio peccatorum per modum accusationis significat dolorem, vel præsentem, vel futurum, si verò narratio nõ esset per viam accusationis, & in ordine ad absolutionem, non sufficeret in Sacramento Pœnitentiæ.num.7.

Dolor non ordinatus à pœnitente ad confessionem, sufficit pro materia in Sacramento pœnitentiæ.n.8.

Dolor ex Concil. Trident. sufficit, si excludat voluntatem peccandi in futurum.n.9.

Dolor requiritur in confessione peccatorum, vt homo sicut voluntariè se conuertit ad creaturam, & auertit à Deo per peccatum, ità per dolorem se conuertat ad Deũ, & auertat à creatura.n.10.

Peccator ideò dolet, vt habeat remissionem peccatorum.n.11.

Magis connaturale est, quod ex dolore, & cõtritione oriatur desiderium confitendi, quam quod ex desiderio confitendi oriatur dolor, & contritio.n.12.

Sacramentum Pœnitentiæ potest considerari, vel vt iudicium, vel vt condonatio offensæ, secundum vtramq; considerationem connaturalius est, cõtritionem oriri ex dolore, quam è contra.eod.nu.

Dolor est perfectior sine ordine ad cõfessionem, quam cum ordine ad illam.n.13.

Actiones Sacramentales, quæ fiunt à ministro, debent fieri ex intentione Sacramenti, non verò, quæ fiunt à non ministro.n.14.

Quia per Sacramenta quis consecratur Deo, non debet inuitus consecrari.n.15.

Qui absolutionem recipit, debet habere voluntatem recipiendi absolutionem, quia per absolutionem Deo consecratur, at dum dolet, non debet habere intentionem confitendi, sed tantum intentionem dolendi.eod.nu.

Qui Sacramenta recipit, non agit, sed recipit, eod.nu.

Vnio inter confessionem, & dolorem satis habetur, si hic significatur ab illa.n.16.

Quia non confiteri peccata, peccatum est, ideò qui dolet de peccatis, implicitè vult confiteri illa; At hæc virtualis coordinatio non prouenit ex eo, quia dolor deseruit pro materia in Sacramento Pœnitentiæ, sed à præcepto diuino.n.17.

RESOLVTIO XXIX.

An dolor debeat præcedere confessionem, & an sit referendus à pœnitente ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc, vt sit dolor sufficiens in Sacramento Pœnitentiæ?

1 REspondetur, quod nec dolor præcedere debet confessionem. Nec est ordinandus necessariò à pœnitente ad confessionem, vt sufficiat pro materia in Sacramento Pœnit. Prima pars q.s. non est necesse, vt dolor præcedat confessionem adhoc, vt sufficiat prò materia Sacramenti Pœnitentiæ, est omnium Theologorum, teste de Lugo disp.14.

Digitized by Google

disp.14. sect.2. num.13. excepto Coninch de pœnitentia, disp.4. dub.6.

2 Probatur non solum ex praxi fidelium, videmus enim, quod Confessarij prudentes, postquam pœnitens cõfessus est peccata sua, illum disponunt ad eliciendum actum contritionis, seù doloris, & posteà nullo modo cogitant de repetenda confessione facta, nec distinctim, nec confusim: sed etiam probatur ratione, nàm talis dependentia in materia Sacramenti Pœnitentiæ non requiritur ex parte formæ, neq; ex parte gratiæ Sacramentalis, ergò est omninò impertinens. Quod non requiratur ex parte formæ patet. Nàm forma Sacramenti Pœnitentiæ, quum sit per modum sententiæ absolutiuæ, requirit tantum expositionem peccati, à quo reus est absoluendus, & requirit etiam dispositionem ad remissionem peccati quæ habetur à dolore, seù detestatione supernaturali: omnis enim Confessio exponit peccata quomodocumq; dicta, & omnis detestatio supernaturalis disponit ad remissionem peccatorum, non quia confessionem parit, sed quia supernaturalis est, aliter enim etiam dolor naturalis producens confessionem disponeret ad gratiam, quod est falsũ. Nequè talis dependẽtia requiritur ex parte gratiæ, nàm ad gratiam sufficit dolor supernaturalis; q verò pariat, vel nõ pariat cõfessionẽ, hoc omninò impertinẽter se habet, nã talis productio est omninò naturalis, & si fit à dolore supernaturali; est enim à dolore supernaturali, sed non prò vt supernaturalis est, nam etiam si dolor naturalis sit, adhuc posset producere confessionem illam, & naturalia sunt omninò impertinentia in ordine ad gratiam supernaturalem, quum dispositio semper debeat esse in eodem ordine cum forma.

3 Confirmatur, quia si quis aliquo repentino accidenti correptus statim Confessarium vocet, & posteà loquelam amittit; hic talis est absoluendus à confessario, etiam si confessarius nullum aliud signum sensibile habeat, sed tantùm testificationem à circumstantibus, & tamen hic non potuit prius elicere actum contritionis, quàm confessionis, ergò talis dependentia non requiritur.

4 Probatur secundò, quia entitas cõfessionis independenter à dolore est habilis esse signum contritionis in actu primò, & si in actu secundò illam non significet, quia quando talis confessio est, tunc contritio abest, ergò si tunc adesset contritio, posset ab eadem cõfessione significari, seù posset talem contritionem reddere sensibilem, nàm non differt specie entitas confessionis, quæ procedit à dolore, & entitas confessionis, quę procedit à voluntate tantum confitendi: sed tempore, quo cõfessio est materia Sacramenti Pœnitẽtiæ, adest contritio, seù dolor, nàm confessio est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, non quandò est, nec prò vt est à pœnitente, etiam secundum Coninch, sed quando assumitur, & prò vt assumitur à Sacerdote per potestatem clauium, vt diximus, & assumitur tunc, quando vult elargiri absolutionem, vel immediatè ante, vel saltem elargiendo absolutionem, ergò tempore, quo confessio, est materia proxima, connotat, seù significat contritionem, & si consequenter factam.

5 Confirmatur primò, quia & si in esse physico confessio antecedit dolorem, tamen in esse partis materialis Sacramẽti Pœnitẽtię sunt simul, & vna potest alterum significare, nàm in esse materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ, non assumitur prius confessio, & deindè contritio, seù dolor, sed assumuntur simul à Sacerdote per potestatem clauium, ergò totum hoc scilicèt confessio, & dolor est vnum sensibile, quando assumitur, & fit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, & quum vnũ possit significare alterũ, & non è contrà, consequenter in esse morali, seù in esse partis Sacramenti Pœnitentiæ vnũ, nempè confessio moraliter significat do-

Digitized by Google

dolorem internum, & si in esse physico confessio antecessit ipsummet dolorē.

Objc. 1. ex Coninch loco cit. n. 44. quia confessio debet esse signum illius doloris, atqui non potest illius esse signum, nisi ex eo procedat, actus enim externi non sunt vera signa internæ voluntatis, nisi ab ea procedant, quod maximè verum est in ijs actibus, qui non significant formaliter internam pœnitentiam, sed tantum quatenus sūt eius effectus, vt fit in præsenti casu. Hæc Coninch.

6 Respondetur ad maiorem, confessio debet esse signum illius doloris, distinguo, signum physicum, seù naturale, & negatur: signum morale, & prò vt assumitur, & cōceditur. Deseruit enim ad compositum morale, quod est Sacramentum, & ideò debet significare, seù habere esse signi moraliter, & non physicè. Ad minorem quod. s. confessio nō potest esse signum doloris, nisi ex eo procedat, dico distinguendo, non potest esse signum physicum, transeat, morale, negatur. Aliud enim est, quod sit tunc signum, aliud est, quod possit esse signum, possum enim nunc dare signum actus voluntatis, quem posteà eliciā, sicut in casu nostro, quando pœnitens confitetur, quum habeat intētionem recipiendi Sacramentum, dat signū doloris, quē eliciet antè absolutionē immediatè post confessionē. Objc. 2. ex eodem Coninch, quia si cōfessio externa non deberet ex dolore procedere, posset quis absq; vllo peccatorum dolore, eiusue significatione, per modum historiæ narrare sua peccata, & postea interius atteri, & sic absolui, etiam si internus dolor nullo signo externo proderetur.

7 Respondeo, quod si narratio peccatorum fieret per modum accusationis, hoc est, deferendo illa peccata sacerdoti ad finem obtinendi absolutionē, iam dolor significaretur, vel præsens, vel futurus à tali confessione, saltem prout assumeretur à sacerdote, vt dixi. Si verò narratio non esset per viā accusationis, & in ordine ad absolutionem, dolor subsequens non sufficeret in sacramento pœnitentiæ, eo quod deesset vna pars sacramēti, quæ est accusatio, seu confessio iudicialis peccatorum, quæ debet præcedere absolutionem, vt optimè de Lugo loco cit. num. 23.

8 Secunda pars, quod scilicet dolor etiam si non ordinetur ad confessionē à pœnitente, sufficiat pro materia in sacramento pœnitentiæ, est Reginaldi lib. 5. tom. 1. num. 54. Ioannis de Lugo disp. 14. sect. 4. per totam, contrà Bonacinam disp. 5. q. 3. puncto 2. num. 17.

9 Patet non solum ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi in dolore requiritur tantum exclusio voluntatis peccandi in posterum, & nullo modo fit mentio de tali relatione ad confessionem, & ex communi sensu fidelium, nam si quis audiendo concionem, vel legendo, ad actum cōtritionis moueatur, & posteà cogitet de confessione facienda, si de facto cōfiteatur, hic existimatur optimè dispositus ad absolutionem obtinendam, & tamen talis dolor nullo modo fuit ordinatus ad confessionem antecedenter, sed tantum consequenter, ergo actus doloris factus sine tali ordine ad confessionem, sufficit ex communi sensu fidelium in sacramento pœnitentiæ. Sed etiam

10 Probatur deinde primò ratione: nā ideò requiritur dolor, seu detestatio peccati in confessione, ad hoc, vt homo sicut voluntariè se conuertit per peccatum ad creaturam, & auertit à Deo, ità per dolorem se auertat à creatura, & voluntariè se conuertat ad Deum, vt suprà dixi ex Concilio Tridentino, sed talis conuersio habetur sine tali ordine ad confessionem, vt patet; ergo talis ordo non requiritur.

11 Confirmatur, quia pœnitens non ideò dolet, quia vult confiteri, sed ideò dolet, & confitetur, quia vult remissionem peccatorum: ergo si dolor non dirigitur ad confessionem, sed ad remissionem peccatorū, implicitè sufficiet in sacramentum pœnitentiæ. Hæc

conse-

Digitized by Google

consequētia patet, nam ille dolor sufficit in sacramento, qui conducit ad remissionem peccatorum, quum sit dispositio supernaturalis; ergo sufficit in sacramento pœnitentiæ.

12 Probatur secundò à Lugo loco citato num. 40. ex ipsa natura, & institutione huius sacramenti, in quo magis connaturale est, quod ex dolore, & cōtritione oriatur desiderium confitendi, quam quod ex desiderio confitendi oriatur dolor, & contritio: nam sacramentum hoc considerari potest, vel vt quoddam iudicium est, vel vt condonatio, & relaxatio offensæ est. Si consideratur vt quoddam iudicium est, certum est, in iudicio humano oriri accusationem ab odio delicti, & ideo accusator quærit publicam vindictam, & non ex volūtate accusandi odium delicti prouenit; ergo pari modo in hoc iudicio sacramentali pœnitens connaturalius ex odio delicti debet se mouere ad confitendum, seu ad accusandum sua peccata, & de illis veniam, & remedium quærere, quàm ex confessione, seu accusatione suorum peccatorum elicere actum doloris, seu detestationis. Si verò sacramentum hoc cōsideretur, vt condonatio, & relaxatio offensæ est, certum est, quod sit modus aptior ad impetrandam veniam offensæ, si quis detestatur offensam ex odio offensæ à se illatæ, & ex hoc dolore moueatur ad petendam veniam, quàm si moueatur ad dolendum tantū ex desiderio veniæ, ita quod si venia nō esset, nunquam doleret, dolor enim quanto purior, tanto perfectior, & si ordinaretur ad sacramentum, seu confessionem sacramentalem, recederet à puritate doloris, qui consistit in detestando peccatum tantum ex eo, quia est offensa Dei, quia sacramentum specificaret saltem imperatiuè, & extrinsecè talem dolorem, ergò homo minus moueretur à malitia offensæ diuinæ ad dolendum, si doleret in ordine ad confessionem.

13 Confirmatur, quia dolor sine tali ordine ad confessionem est perfectior, quum specificetur absolutè ab offensa Dei, prò vt est offēsa Dei, & nullo modo à confessione, vel remissione peccatorum, ergò erit dolor perfectior sine ordine in ratione doloris, quā cum ordine, ergò si perfectior, consequenter magis aptus ad impetrandam peccatorum veniam in Sacramento.

Obijc. 1. actiones sacramentales debent fieri ex intentione Sacramenti, nō enim sufficeret ablutio præcedens facta sine intentione sacramenti, licèt immediatè post minister eam referret ad sacramentum baptismi, & adiūgeret formam, ergò quum actus doloris sit pars Sacramenti pœnitentiæ, debet fieri ex intentione huius sacramēti, nec sufficit, si posteà ad eum finem referatur; alioquin idem potest dici de confessione, quæ licèt fuisset facta absque ordine ad absolutionem, posset posteà referri ad eum finem, & fieri materia Sacramenti Pœnitentiæ.

14 Respondeo, distinguo antecedens, actiones sacramentales debent fieri ex intentione sacramenti, quæ fiunt à ministro sacramenti, concedo, quia quum minister debeat operari nomine Christi, cuius est minister, si illa actio nomine Christi non sit facta, sed proprio nomine principaliter, non erit actio Christi, sed ipsius agentis, & sic non potest esse actio Sacramenti, sed actio naturalis, ablutio enim non ex intentione sacramenti, non est ablutio facta nomine Cnristi, sed proprio nomine abluentis, & sic erit lotio quædam naturalis principaliter à lauante, non verò à Christo principaliter, & ab abluente ministerialiter, vnde quando deindè minister vult illam referre ad baptismū, nō est ablutio Sacramentalis, seù ablutio facta nomine Christi, & ideò non sufficit. Actiones verò Sacramentales, quæ non fiunt à ministro sacramenti, debent fieri ex intentione sacramenti, negatur. Nàm satisfactio, quæ fit à pœnitente in Sacramento, est actio Sacramenti,

Digitized by Google

menti,& tamen non indiget alia intentione tempore,quo fit, sufficit enim si post factam satisfactionem,eam referat ad sacramentum pro satisfactione sacramentali,vt cum probabiliori sententia suppono. Panis enim sacrificandus, etiam si non fiat cum hac intentione à Pistore, adhuc est materia habilis ad consecrandum, si determinetur à ministro pro materia sacramenti: sic etiam dolor; qui est materia sacramenti pœnitentiæ,non quatenus est à dolēte,sed quatenus assumitur à Sacerdote per potestatem clauium,et si non determinetur à pœnitente ad sacramentum, tempore, quo dolet, sufficit,si tempore, quo assumitur à sacerdote, ordinetur ab ipso ad sacramentum pœnitentiæ; quia tunc fit pars materialis proxima sacramenti pœnitentiæ. Ad consequentiam dico, quod dolor fit pars sacramenti, non quando pœnitens ipsum elicit, sed quando sacerdos eum assumit pro materia, & ideò quando fit materia,& à quo fit materia,debet fieri ex intentione sacramenti,& quia fit materia tempore assumptionis per potestatem clauium,& à sacerdote assumente, ideò quando assumitur debet assumi in ordine ad sacramentum à sacerdote, & non quando fit à pœnitente,quia tunc non est pars, neque actio sacramenti proxima, sed tantū remota. Sic etiam dico de confessione,nā confessio sacramentalis debet esse per modum accusationis, vt dixi suprà, vnde quando fit p modū narrationis,& nō accusationis, si postea pœnitēs dicat cōfessario,quod se accusat de narratis, & dolet, vtique non tenetur iterum declarare statū suū.

Dices,quod in sacramento ordinis, qui ordinatur nō est minister, & tamen debet tangere materiam siuè physicè, siuè moraliter cum intentione recipiēdi sacramentum. Sic etiam quando baptizatur adultus,debet habere intētionem recipiendi baptismum,ergò etiam actio,quæ non fit à ministro,est facienda cum intentione Sacramenti.

15 Sed contrà est, quia qui ordinatur, vel recipit aliud Sacramentū,consecratur,& initiatur Deo: qui autem consecratur Deo, non debet inuitus dedicari,& initiari,vt optimè Suarez 3.tom. in tertia parte, disp.14. sec. 2.circà medium; & sic dicimus,quod qui absoluitur,dum absoluitur, debet habere intentionem recipiendi absolutionem, quià tunc etiam Deo consecratur; at dum dolet, dicimus, quod non est necesse, vt habeat intentionem confitendi, sufficit enim, si habeat intentionem dolendi. Quod verò debeat tangere materiam, qui ordinatur, hoc non est agere,seu actio Sacramenti, sed est receptio actionis Sacramenti, & consequenter receptio ipsius Sacramenti,qui enim accipit potestatem, dum tangit materiam, & Episcopus profert formā, tunc non ipse agit actionem Sacramenti,sed recepit actionem ab Episcopo, & quia ipse consecratur Deo per talem actionem, ideò debet habere voluntatem recipiendi Sacramentum,sicut etiā qui abluitur,dum baptizatur, non agit, sed recipit ablutionem actiuam,& quià per talem actionem consecratur Deo, ideò non debet inuitus initiari. Quum igitur dolor sit actio,& non passio, seu receptio Sacramenti, & non fit à ministro,non est necesse,quod qui dolet,habeat intentionem confitendi, sed sufficit,vt dixi,si habeat dolendi.

Obiic.secundò,quia dolor,& confessio debent esse saltem moraliter vnita ad faciendum vnum sacramentum, seu vnam partem materialem proximam Sacramenti: sed hæc vnio habetur tantum per relationem doloris ad confessionem;ergò talis dolor debet ordinari ad confessionem.

16 Respondeo negando minorem, nam talis vnio satis habetur,si dolor significetur à confessione intrà debitum tempus: dum enim confessio significat dolorē,hæc vnitur cū illo in ratione signi, vt optimè Ioann.de Lugo loco cit.n.50.

Obiic.tertiò,quia nōn confiteri peccata mortalia commissa post baptismū, peccatum mortale est, quum sit præ-

Digitized by Google

ceptum ea confitendi; sed qui dolet in casu nostro, detestatur omnia peccata; ergo nō vult etiam peccatum non cōfitēdi peccata cōmissa post baptismum, ergo qui dolet in casu nostro, vult confessionem, saltem virrualiter implicitè, ergo dolor debet ordinari saltē implicitè virtualiter ad confessionem à pœnitente.

17 Respondeo, quod talis coordinatio virtualis in dolore de peccatis cōmissis post baptismum nō prouenit ex eo, quia talis dolor debeat deseruire pro materia in Sacramento pœnitentiæ, sed puenit ex præcepto diuino, quod vult hominem confiteri necessariò omnia peccata mortalia post baptismum cōmissa, nam dolor de peccatis confessis, & de venialibus etiā sufficit in Sacramento pœnitentiæ, & tamen nequè virtualiter dicit talem coordinationē ad confessionē: igitur dolor, qui deseruit in Sacramento pœnitentiæ pro materia non est necesse, quod sit coordinatus per se, & in quantum deseruit Sacramēto pœnitentiæ, & si aliquādo coordinetur per accidens, & ratione præcepti: quod enim asseruimus in hac secunda parte, est tantum, quod dolor sine vlla ordinatione ad cōfessionem potest deseruire in Sacramento pœnitentiæ pro materia.

Ex dictis ergo manifeste apparet, dolorem nō debere præcedere confessionem: Nec ad hāc debere coordinari à pœnitente ad hoc, vt pro materia Sacramenti pœnitentiæ sufficiat.

SVMMARIVM.

Qui confitetur peccata mortalia aliàs ritè cōfessa, & absoluta, non tenetur elicere nouū actum doloris supernaturalis in secundo sacramento confessionis. nu. 1.

Qui habuit dolorem generalem de omnibus peccatis, si obliuiscatur vnius peccati, quando hoc vnum confitetur, non tenetur elicere nouum actum contritionis. eod. num.

Qui confitetur venialia tantum, tenetur de illis habere dolorem supernaturalem, aliàs peccat moraliter. eod. num. & nu. 12.

Contritio, seù dolor sit sensibilis per confessionem in sacramento pœnitentiæ, nu. 2.

Quod determinat, dicitur forma in moralibus: quod determinatur, dicitur materia. nu. 3.

Dolor cum non sit sensibilis de natura sua, nō potest esse pars sacramenti, quod est signum sensibile, &c. nu. 4.

Nouaforma facit nouum compositum. eodem num.

Actus pœnitentis sunt materia remota ex qua sacramenti pœnitentiæ, quatenus sunt à pœnitente; sunt proxima quatenus assumuntur per potestatem clauium à Sacerdote. num. 5.

Materia remota ex qua sacramentorum habentium materiam perseuerantem, potest iterum, & iterum assumi pro aliis sacramentis. eod. num.

In moralibus potest vna, & eadem materia recipere plures formas, maximè si materia illa sit partialis. num. 6.

Dolor non vt dolor, & insensibilis, sed vt sensibilis est pars sacramenti pœnitentiæ. num. 7.

Dolor vt sensibilis diuersificatur à diuersis cōfessionibus. eod. nu.

Confessio est materia proxima simul, & ratio formalis reddens dolorem sensibilem. nu. 8.

Et si possit assumi idem dolor pro diuersis confessionibus, non tamen potest assumi eadem confessio. ead. nu.

Sacramentum pœnitentiæ est per modum iudicij: & de peccatis mortalibus confessis, dicitur iudicium voluntarium. nu. 9.

Vna, & eadem contritio potest pertinere ad duo Sacramenta. nu. 10.

Secundum Henriquez potest quis dimidiare confessionem, quando habet peccata reseruata, dicendo reseruata tantum Superiori, & non reseruata inferiori. nu. 11.

Dolor imperfectus siue displicentia ineffieax non est detestatio aut retractatio peccati, cum ponit stare cum proposito iterum idem peccatum committendi. nu. 12.

Peccata mortalia possunt remitti per dolorem virtualem extra Sacramentum, non verò in Sacramento: sic etiam venialia possunt remitti extra Sacramentum sine dolore, nō verò in Sacramento pœnitentiæ. nu. 13.

Alia-

Digitized by Google

Aliquando peccata venialia remittuntur per absolutionem sacramentalem. nu. 14.
Attritio suscipit magis, & minus. eod. nu.
Qui confitetur venialia tantum sine debito dolore, peccat mortaliter. nu. 15.
Qui confitetur sine dolore peccata venialia, irritat Sacramentum, sicut qui confitetur mortalia sine dolore. nu. 16.
Qui voluntariè consecrat acetum, & si quantitatis parua sit, peccat mortaliter. nu. 17.
Dolor de venialibus requiritur, non ex vi remissionis, sed Sacramenti, & ideo est sacrilegium, non ratione iacturæ remissionis, sed ratione frustrationis Sacramenti. nu. 18.
Peccat baptizatus, si se offert iterum ad baptismum, & de facto baptizatur sicut etiam mulier, quæ sub habitu virili faceret se ordinari ab Episcopo: sicut Sacerdos, qui consecrat voluntariè aquam, & si ratim sumat vinum, & consecret. ead. nu.
Qui contrahit matrimonium sine intentione contrahendi, id, quod primò, & per se reddit nullum, est contractus, & quia nullus est contractus, ideo nullum est Sacramentum. num. 19.
Qui confitetur plura venialia, si dolet de aliquibus tantum, & non de omnibus, non peccat mortaliter. nu. 20.

RESOLVTIO XXX.

An qui confitetur peccata mortalia alias ritè confessa, & absoluta; vel habuit dolorem vniuersalem de peccatis commissis, si confitendo obliuiscitur vnius peccati mortalis, teneatur, quando secundò confitetur, elicere nouum actum contritionis? Et an qui confitetur tantum venialia, teneatur elicere actum doloris sub pœna peccati mortalis?

1 REspondeo, quod qui confitetur peccata mortalia aliàs ritè confessa, & absoluta, non tenetur in secunda confessione elicere nouum actum doloris, si dolor primæ confessionis adhuc perseueret siue virtualiter, siue habitualiter. Sicut nec tenetur ille, q. habuit dolorem generalem de peccatis suis, si obliuiscatur vnum peccatum in prima confessione, quando peccatum hoc oblitum confitetur. Tenetur verò elicere actum doloris, qui peccata venialia confitetur tantum, sub pœna peccati mortalis.

2 Prima pars, quod scilicet, qui confitetur peccata mortalia aliàs confessa, nõ tenetur elicere nouum actum contritionis, si prior actus doloris virtualiter, vel habitualiter perseuerat; est Petri de Ledesma de pœnitentia, cap. 4. dub. 2. §. à esta duda, pag. mihi 322. volum. 2. Ioannis dela Crux in directorio conscientiæ par. 2. de Sacramẽto pœnitentiæ, q. 1. dub. 6. concl. 2. Ioannis de Lugo de pœnitentia, q. 14. sect. 3. num. 31. Ioannis Salas in manuscripto de Pœnitentia, q. 64. ar. 10. teste de lugo loco cit. disp. 14. de pœnitentia, sect. 3. §. 2. nu. 14. Pro probatione

Suppono primò, contritionem, seu dolorem fieri sensibilem per confessionem, quod sufficit adhoc, vt sit pars Sacramenti. Ita Ioãnes de Lugo de pœnitentia disp. 12. sect. 2. nu. 39. vers. ad obiectionem igitur &c. his verbis, Nego tamen contritionem non esse signum sensibile, quia quamuis sit actus intrinsecus, tamen quatenus coniungitur cum actu externo proferendi, dicendiq; in confessione peccata, signum sensibile dici potest. Ita etiã Fagundez secundi Ecclesiæ præcepti lib. 2. cap. 3. num. 1. & alij apud ipsos.

3 Suppono secũdò, quod in moralibus dicitur forma id, quod determinat, determinatum verò dicitur materia. Sic ergo formæ omnium Sacramentorum dicuntur formæ, non quia informant, sed quia perficiunt, & determinant materias Sacramẽtorum, vt dixi alias. His suppositis

4 Probatur, quia dolor, vt dolor, quũ non sit sensibilis de natura sua, non potest esse pars Sacramenti Pœnitentiæ, nam Sacramentum Pœnitentiæ est

Digitized by Google

signum sensibile &c. at fit sensibilis per confessionem, vt diximus suprà; ergo confessio est ratio formalis reddens dolorem, seu contritionem sensibilem, & consequenter partem Sacramenti pœnitentiæ: sed noua ratio formalis reddit nouum compositum, quum forma det esse rei; ergo noua confessio cum dolore virtualiter perseuerante facit nouum compositum in ordine ad Sacramentum, & consequenter sufficit ad recipiẽdũ nouã formã absolutionis.

5 Confirmatur, quia actus pœnitentis, prò vt sunt à pœnitente, non sunt materia proxima, sed remota ex qua Sacramenti pœnitentiæ, vt dixi resol. 25. sed materia remota ex qua potest iterum, & iterum assumi prò diuersis numericè Sacramentis. Aqùa enim post quam semel abluit, potest iterum assumi pro nouo Sacramento ad abluendum, oleum ad vngendum, & sic de alijs Sacramentis habentibus materiã perseuerantem; ergo dolor virtualiter perseuerans potest iterum, & iterum assumi per potestatem clauium ad integrandum aliud, & aliud Sacramẽtũ.

Obijc. primò, non potest duplex forma totalis cadere supra vnicam materiam, ergo neque poterit duplex absolutio cadere supra vnicũdolorẽ.

6 Respondeo primò, quod in moralibus antecedens est omninò falsum, quidquid sit in physicis, nam materiæ partiales possunt deseruire pro pluribus Sacramentis, sic corpus Christi est materia proxima partialis in Sacramẽto eucharistiæ, & tamen idem subsiat in omnibus consecrationibus: item satisfactio in hoc eodem Sacramento pœnitentiæ, est materia partialis, & tamen nõ repugnat, quod eadem satisfactio materialiter sumpta, v. g. idem ieiunium deseruiat prò materia integrali duplicis Sacramenti: si enim tibi impositum fuit prò pœnitentia ieiuniũ crastinum, & rursus confitearis hodiè, poterit secundus confessarius imponere tibi pro pœnitentia idem ieiunium crastinum, secundum communem opinionem, teste de Lugo loco cit. nu. 28. vnicum enim ieiunium, sub diuersis præceptis, potest deseruire diuersis Sacramentis, sic etiam vnicus dolor sub diuersis confessionibus potest deseruire diuersis Sacramentis Pœnitentiæ.

7 Respondeo secundò, quod dolor potest considerari vel vt dolor, & insensibilis, vel vt sensibilis. Si consideretur vt dolor, non est materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed est materia, vt sensibilis: at dolor vt sensibilis non est idem sub diuersis Sacramentis, sed est diuersus, quia habet diuersam rationem formalem, reddentem ipsum sensibilẽ, & sic talis dolor, & si idem in se, tamen quia recipit nouam formam, seu rationem determinantem, quæ est confessio, ideò dicitur diuersus, ratio enim formalis noua facit nouum compositum.

Obijc. secundò, si idem dolor potest deseruire ad duo Sacramenta, poterit etiam eadem confessio deseruire ad duplicem absolutionem, quum nõ minus dolor, quàm confessio sit materia proxima; ergo sine noua confesione, & dolore poterit esse nouum Sacramentum.

8 Respondeo negando paritatem, & disparitas est manifesta, nam confesio non solum est materia proxima, sed etiam est ratio formalis reddens contritionem, & dolorem sensibilem, & cõsequenter partem Sacramenti. Hinc est, quod quando est noua confesio, est noua ratio formalis, & sic nouum compositum materiale cum actu contritionis, adhuc non retractato, & ideò potest recipere nouam formam; at dolor quum non sit sensibilis, consequenter, non est pars Sacramenti, quod est sensibile signum, & quum non sit pars Sacramenti de natura sua, nisi vniatur cum confesione, hinc est, quod non potest sine noua confesione iterum assumi, quia non est nouum compositum materiale morale.

9 Adde, quod quum Sacramentum

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ sit per modum iudicij, & de peccatis mortalibus confessis sit iudicium voluntarium, hinc est, quod nõ potest quis absolui de peccatis iterum confessis, nisi pœnitens se explicet, de quo peccato cupit absolui, & hæc explicatio habetur à confessione, nec enim potest iudex proferre sententiam, nisi pœnitens proponat per modum accusationis, quæ fit per nouam confessionem, nouа enim sententia præsupponit nouam accusationem, & nouum iudicium, & sine nouo dolore hoc totum haberi non potest, vt patet.

Secunda pars, quod scilicet, qui habuit motiuum generale dolendi de decem peccatis mortalibus, si confiteatur tantum nouem, & obliuiscatur decimum, & Sacramentum recipit, quando iterum confitetur illud vnum oblitum, non teneatur elicere nouum actum contritionis, sed sufficiat prior non retractatus; est Henriquez in summa lib. 4. de pœnitentia, cap. 26. §. 7. vbi habet, quod vna, &
10 eadem contritio potest pertinere ad duo Sacramenta, vt pars ipsorum, & exemplificat sic, vt quum semel absolutus, iterata mox noua cõfessione, explicet præteritum dolorem, & peccatum oblitum, hic enim nouum effectũ gratiæ auctæ videtur recipere, dum absq; nouo dolore recipit absolutionem, quia adsunt requisita omnia, scilicet noua confessio, vt signum peccati, & doloris, nam dolor prior, vt in virtute extensus est ad peccata oblita, perinde valet, ac si esset nouus dolor de peccatis oblitis. Hæc Henriquez. Est etiam Ioannis de Lugo loco citato à n. 27.

Hoc dictum patet ex rationibus allatis in dicto secundo, nam si dolor de peccatis confessis potest iterum assumi ad componendum nouum Sacramentum, si adsit noua confessio, ergo à fortiori poterit deseruire dolor ille vniuersalis in secundo Sacramento prò peccato oblito, & adhuc non confesso. Nam illo dolore, secundum quod destruit peccatum illud oblitum, adhuc vsus non est Sacedos ad componendum nouum Sacramentum Pœnitentiæ.

11 Confirmatur, quia potest quis dimidiare confessionem, si habet peccata reseruata, & non reseruata, si confiteatur superiori tantum reseruata, & inferiori nõ reseruata. Tũc autẽ dãtur duæ absolutiones, & sunt duæ confessiones, & duo Sacramẽta, & tamen secundum communissimam sententiam, teste Henriquez lib. 6. de pœnitentia, cap. 15. §. 4. non tenetur talis pœnitens elicere duplicem actum contritionis, si prior dolor fuerit vniuersalis, ergo neque tenebitur in casu nostro, quum dolor sit vniuersalis.

12 Tertia pars, quod scilicet, qui confitetur peccata venialia tantum, teneatur elicere actũ doloris efficacis sicut tenetur in confessione de peccatis mortalibus, est Suarez disp. 20. sect. 6. Ioannis de Lugo disp. 14. sect. 8. §. 1. num. 105. & qui talem dolorem non elicit, peccet mortaliter. Ita Ioannes de Lugo loco citato, §. 2. num. 108. Quod teneatur elicere actum doloris, probatur ex Concilio Tridentino locis citatis, in quibus partes huius Sacramenti assignantur, videlicet contritio, confessio, & satisfactio; & nomine contritionis intelligunt communiter Doctores, vt supra diximus, detestationem peccati: sed dolor imperfectus, seu displicentia inefficax non est detestatio, aut retractatio peccati, quum possit stare cum proposito iterum cõmittendi peccatum illud, de quo doletur: immò cũ ipso peccato actuali; ergo confessio de venialibus requirit etiam dolorem efficacem, sicut confessio de mortalibus. Quomodo enim vult Deus remittere peccatum habenti huiusmodi complacentiam in ipsomet peccato: immò cum voluntate peccandi absque vlla retractatione?

13 Confirmatur, quia peccata mortalia possunt remitti extra Sacramentum

per

Digitized by Google

per dolorem virtualem tantum, nempè per actum amoris Dei super omnia, qui dolor virtualis dicitur: & tamen si remittuntur in Sacramento pœnitentiæ, necessariò requiritur dolor formalis, ex supra dictis; ergo à pari & si peccata venialia possint remitti extra Sacramentum sine dolore formali, tamen si remittantur in Sacramento pœnitentiæ, debent remitti per dolorem formalem supernaturalē. Dolor enim non requiritur ex vi remissionis venialium, sed ex vi Sacramenti Pœnitentiæ, quod necessariò requirit, pro sua materia hunc dolorem formalem supernaturalem.

Obijc. peccata venialia fatendum est remitti posse per absolutionem Sacramentalem, quum sint materia circà quam Sacramenti pœnitentiæ: sed si pro remissione illorum requireretur dolor efficax, seu attritio supernaturalis, sequeretur, quod nunquam peccata venialia remitterentur ab absolutione Sacramentali, quia attritio sufficit ad remittenda venialia extra Sacramentum, ergo dicendum est, talem dolorem efficacem non requiri pro absolutione Sacramentali venialium.

14 Respondeo negando minorē. Nàm sæpè per absolutionem Sacramentalem possunt remitti venialia: primò quando quis confitetur venialia cum aliquo mortali prius non dimisso, & confitenti incognito: secundò quando attritio est minus perfecta (attritio enim suscipit magis, & minus) deseruit ad remittenda peccata venialia illius speciei leuiora extra Sacramentum, nec potest grauiora remittere: sed ad illa remittenda requiritur attritio perfectior: At talis attritio minus perfecta sufficit in Sacramento ad remittenda venialia grauissima, vt optimè Ioannes de Lugo de pœnitentia disp. 9. sect. 2. nu. 32.

15 Quod verò sit mortale confiteri tantum venialia absque dolore supernaturali, patet, Nam sic redditur forma Sacramentalis pœnitentiæ irrita. Ideo enim peccat mortaliter, qui confitetur mortalia sine dolore; quia culpa sua frustratur forma Sacramenti, seu Sacramentum redditur nullum: sed etiā culpa confitentis venialia forma Sacramenti redditur nulla; ergo etiam iste peccat mortaliter &c.

16 Nec dicas primò, quod Sacramentum frustratur in re leui. Quia contra est, nam frustratur totum Sacramentum; quod verò frustretur per rem leuem, vel per rem grauem, impertinenter se habet ad Sacramentum, sicut quod quis occidat Titium cum ense, vel cum lapillo, impertinenter se habet ad grauitatem homicidij intenti: semper enim iste talis homicida peccat mortaliter, & si instrumentum, seu ictus sit leuis, dummodò homicidium sit intentum.

17 Adde, quod acetum etiam res leuis est, & tamen, qui acetum consecrat voluntariè, peccat mortaliter, quia applicat verba Christi, quæ sunt forma Sacramenti Eucharistiæ, frustra, & quasi irrisoriè, quum sit absq; omni prorsus vtilitate, & effectu.

Nec dicas secundò, quod effectus, quo homo priuatur ob talem irritationem, est leuis, quum sit remissio peccati venialis.

18 Quia contra est, nam dolor de venialibus, vt dixi, requiritur nō ex vi remissionis, sed ex vi Sacramenti, vnde non ratione iacturæ remissionis, sed ratione irritationis Sacramenti committitur peccatum sacrilegij. Aliter enim neque peccator, qui confitetur peccata sine dolore, peccaret mortaliter, quia iactura posset statim recuperare per aliud Sacramentum cum debito dolore: & sic sicut non peccat mortaliter ratione iacturæ, qui nunc habet commoditatem confitendi peccata sua mortalia, & non confitetur, quia potest postea confiteri, ita qui nunc confitetur mortalia sine dolore ratione iacturæ, non peccabit mortaliter, quia potest cum debito dolore confiteri iterum, & amissam gratiam recuperare.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur, quia si semel admittatur, non esse mortale, frustrari formam Sacramenti, sequitur, neque mortale esse, si baptizatus iterum se offerat ad baptizandum, & si de facto baptizetur; nam non se priuaret aliquo fructu, cuius esset capax; nec peccaret mortaliter mulier, quæ sub habitu virili faceret se ordinari ab Episcopo, quia non se priuaret fructu sibi debito; nec Sacerdos, qui cõsecraret voluntariè aquam, si statim postea vinum sumeret, & consecraret; sed hoc est dissonum dicere, ergo etiam dicere, quod quis possit confiteri venialia sine dolore, & reddere nullum Sacramentum Pœnitentiæ.

Obijc. primò, quia non est culpa mortalis contrahere matrimonium absq; intentione, & consensu interno, ad vitandum aliquod graue damnum, licet propter fictionem irritum fiat Sacramentum, ergo neq; erit mortale nõ procurare valorem absolutionis in confessione de peccatis venialibus.

19 Respondeo negando paritatem, & disparitas est manifesta, nam qui contrahit sine intentione contrahendi matrimonium, id, quod per se primò, & directè reddit nullum, non est Sacramentum, sed contractus, qui eleuatur ad producendam gratiam, & quum per se primò intendat cõtrahens contractum, & ex contractu Sacramentum, ideò quod per se primò, & directè frustratur, est contractus, & quia non est contractus, ideo non potest esse Sacramẽtum. Matrimonium enim prius est contractus saltem prioritate naturæ, & postea Sacramentum, ideo enim est Sacramentum, quia est contractus, & non è contra, ac proinde Sacramẽtũ pendet à cõtractu, & sic posterius natura. Secus verò dicendum est de confitente sine dolore, nam qui confitetur, & non habet dolorem, & vult recipere absolutionẽ, id, quod per se primò intendit, est Sacramentum, seu forma Sacramenti. Confessio enim est in ordine ad Sacramentum, & sic id, quod frustratur, est forma Sacramenti pœnitentiæ; at consensus in matrimonio est in ordine ad contractum per se primò, immediatè, & directè, & si indirectè, seu mediatè ad Sacramentum, quod nunquam intenditur à contrahente, vt supponitur, quia si hoc intenderet contrahens, etiam peccaret saltem affectiuè.

Obijc. secundò, quia quum quis confitetur plura venialia, si dolet de aliquibus tantum, & non de omnibus, nõ peccat mortaliter, & tamen frustratur Sacramentalis absolutio secundum aliquem effectum specialem, scilicet secundum remissionem illorum, de quibus non dolet: ergo licet frustretur absolutio in remissione omnium venialium, non erit culpa grauis.

20 Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ratio negationis, est quia in illo casu verba Christi non proferuntur frustrà, & irrisoriè, in quo consistit malitia huius sacrilegij, & sic Sacramentum non redditur irritum, & nullum, quum remaneat aliqua materia sufficiens ad conficiendum Sacramentum. At in casu nostro verba proferrentur frustratoriè, & omninò irrisoriè, nec tenemur totam materiam sufficientem subijcere clauibus, sed sufficit, si sufficientem exhibeamus; nec tenetur homo procurare quàm maximum fructum ex quolibet Sacramento sub culpa graui, sed sufficit, si procuret fructum, aliter enim qui eucharistiam sumit cum parua, vel nulla deuotione, peccaret mortaliter, quia non se disponeret ad maximum fructum recipiendum illius Sacramenti.

Ex dictis ergo manifestè apparet, eum, qui confitetur peccata alias rite confessa, & absoluta, non teneri iterum elicere actum doloris, si dolor prior habitualiter, vel virtualiter perseuerat. Sicut nec tenetur elicere actum doloris, qui confitetur peccatum oblitum in prima confessione, si de illo cum alijs sub motiuo generali dolorem habuit. Et si teneatur sub reatu mortali, qui confitetur tantum venialia, dolorem supernaturalem habere.

SVM.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Sacramentum validum, & informe, est Sacramentum cum suis partibus essentialibus sine effectu, qui est gratia Sacramenti. n. 1.

Qui recipit Sacramentum validum, & informe, tenetur tantum remouere impedimentum ad gratiam, non tamen iterum recipere Sacramentum illud. ead. nu.

Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris potest esse primò ratione entitatis doloris, quando scilicet quis credit habere dolorem supernaturalem, & habet tantum naturalem. Secundò potest esse ex intentione doloris, quando scilicet quis habet dolorem, sed non ita intensum, vt requiritur ad recipiendam gratiam Sacramentalem. Tertiò potest esse ex extensione doloris, & hoc dupliciter, primò si pœnitens doleat de peccatis specie diuersis sub motiuo specifico, seù particulari cuiusq; peccati, quando obliuiscatur confiteri vnum peccatum, facit Sacramentum validum, & informe: secundò si pœnitens memoriam habeat plurimorum peccatorum, & de illis doleat, & confiteatur, si re vera habeat alia peccata oblita, & non confessa, facit etiam Sacramentum validum, & informe. ead. nu.

Dolor requisitus ad essentiam Sacramenti pœnitentiæ debet efficaciter tendere ad obtinendum reconciliationem peccatoris cum Deo, & ideo virtualiter includit efficacem voluntatem se reconciliandi cum Deo. nu. 3.

Non datur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu extensionis, & intensionis doloris. n. 4.

Voluntas efficax reconciliandi se cum Deo implicitè includit auersionem ab omni peccato. num. 5.

Amor efficax alicuius boni implicitè continet detestationem mali, cum quo bonum amatum consistere non potest. eod. nu.

Actus spei non opponitur per se cum peccato, sed cum desperatione tantum, vnde potest spes esse simul cum peccato. nu. 6.

Actus spei dicit tantum desiderium efficax gloriæ, & consequẽter etiã desiderium mediorum ad gloriam. nu. 7.

Desiderium virtuale, vel actuale pœnitentiæ non est pœnitentia actualis, neq; virtualis. eod. nu.

Qui decederet ex hac vita cum Sacramento valido, & informi, damnaretur sine sua culpa noua theologica, quod est durissimum credere. nu. 8.

Qui cum vino putato aqua consecrat, nullum facit sacramentum; vel qui cum attritione confitetur peccata sua seculari putato Sacerdoti, non saluatur, quia nullum recipit Sacramentum. nu. 9.

Qui dolet de peccato ob speciale motiuum, debet habere propositum vniuersale amplius non peccandi. nu. 10.

Per propositum virtuale amplius non peccandi interrumpitur peccatum habitualiter perseuerans. eod. n. & n. 13.

Qui dolet de peccato ob speciale motiuum, dicitur dispositus ad Sacramentum, & ad gratiam. nu. 11.

Dolor in Sacramento pœnitentiæ est sufficiens, si conuertit ad Deum, & auertit pœnitentem à creatura. nu. 12.

Quod quis sit auersus à Deo habitualiter, & conuersus actualiter, implicat. n. 13.

Qui habet propositum amplius non peccandi, debet se abstinere à peccato materiali, & formali. nu. 14.

Peccat, qui non dolet de peccatis ex legitima causa tempore confessionis non confessis. eod. nu.

Dolor virtualis absolutè non sufficit in Sacramento pœnitentiæ, & si cum dolore formali dicatur sufficere negatiuè, quatenus facit, vt non impediatur gratia Sacramentalis conferenda. eod. nu.

Qui aduertit, se habere speciale motiuum de vno tantum peccato, et dubitat de securitate Sacramenti, peccat, nisi eliciat actum vniuersalem doloris. nu. 15.

Finis doloris in Sacramento pœnitentiæ est perfecta reconciliatio peccatoris cũ Deo. eod. nu.

Dolor non est de essentia Sacramenti Eucharistiæ, nec aliorum Sacramentorum, excepto Sacramento pœnitentiæ, et ideo dari possunt alia Sacramenta valida, et informia, non verò Sacramentum pœnitentiæ. nu. 16.

Peccatum habitualiter perseuerans interrumpitur à proposito amplius non peccandi, non verò à sumptione eucharistiæ. n. 17.

Casus

Digitized by Google

Casus de Sacramento valido, et informi à Suarez efficitur, existimatur impossibilis à Fagundez. nu. 18.

Propositum requisitum in confessione de venialibus non est vniuersale. nu. 19.

Sacramentum validum, et informe ratione intensionis doloris opponitur doctrinæ Concilij Trid. n. 20.

Gratia suscipit maiorem, & minorem intensionem. eod. nu.

RESOLVTIO XXXI.

An possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe respectu doloris?

1 PRo responsione suppono primò, quod Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, est Sacramentum, quod re vera integrum est, sed non tribuit effectum suscipienti ex defectu dispositionis, quod in alijs Sacramentis satis constat, qui enim verè abluitur aqua naturali, & verbis à ministro cum debita intentione faciendi quod facit ecclesia, sed talem baptismum recipit sine dolore peccatorum, aut cũ complacentia peccati actualis, hic talis recipit verum baptismum, quem iterum non tenetur recipere, immò nec potest: at effectum, scilicet gratiam, nõ recipit. Ita Vasquez lib. 5. de pœnitentia q. 92. ar. 2. dub. vnico. nu. 1. vnde Sacramẽtum pœnitentiæ informe dicitur, quando quis licet per confessionem gratiam non recipiat, tamen non tenetur postea repetere eandem confessionem, quia fuit valida, tenetur tamen remouere fictionem, & impedimentum, vt redeat effectus gratiæ Sacramẽtalis, & ideo dicitur Sacramentum validum, quia non remanet obligatio illud iterum repetendi, ideò informe, quia non fuit formatum gratia, vt optimè Fagundez secũdi ecclesiæ præcepti lib. 2. cap. 7. n. 1.

Suppono secundò, Sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe ex defectu doloris posse multipliciter accidere.

2 Primò circa entitatem doloris, quando scilicet quis credit habere dolorem supernaturalem, & re vera non habet, tunc enim quando aduertit non habuisse dolorem sufficientem, tenetur tantum conteri, non verò repetere confessionem, vt inquit Sotus in 4. dist. 18. q. 3. ar. 3. At quod Sacramentum cum tali dolore, Sacramentum non sit, iam probatum remanet ex supra dictis in resol. 27.

Secundò circà intensionem doloris; quando scilicet quis accedit cum dolore, sed non cum tanta intensione, quanta requiritur ex diuina institutione: vnde & si dolor supernaturalis remissus sufficiat ad valorem Sacramẽti, non tamen sufficit ad effectum illius, vt inquit Syluester verbo cõfessio 1. q. 23. Nauarrus in summa latina cap. 9. num. 15.

Tertiò circà extensionem doloris, & hoc dupliciter; primò quando quis habet plura peccata mortalia specie diuersa, scilicet furti, homicidij, incontinentiæ &c. & postea dolet de furto tantum e. g. sub suo motiuo particulari, scilicet quia furtum est, & sic de altero sub proprio motiuo particulari; si tamẽ hic Pœnitens obliuiscatur confiteri vnum peccatum, quia vnum motiuum non includit alterum, ideò inquit Suarez de pœnitentia disp. 20. sect. 10. n. 7. in prælo conimbricensi, hoc Sacramentum erit informe. Secundus casus est, quando quis post diligentem conscientiæ discussionem doleat de illis particularibus peccatis sibi memoriæ occurrentibus, si in re talis pœnitens habeat aliquod peccatum, de quo non recordetur, nec doleat, hic quidẽ si accedat ad Sacramentum, validum faciet Sacramentum, sed informe, quum habeat obstaculum peccati mortalis oblitì, de quo non fuit contritus, neque cõfessus ex obliuione, vt inquit Suarez loco cit. de primo tamen Sacramento informi satis discussimus res. 27. in qua vidimus dolorem naturalem nullo modo sufficere in Sacramento pœniten-

Digitized by Google

tiæ, tantum nunc est videndum de secundo, & tertio.

3 Suppono tertiò ad essentiam Sacramenti pœnitentiæ requiri dolorem efficaciter tendentem ad reconciliationem peccatoris obtinendam cum Deo, vnde dolor sufficiens in Sacramento pœnitentiæ necessario virtualiter includit seriam, & efficacem voluntatem se reconciliandi cum Deo, aliter enim dolor non tenderet ex se efficaciter ad reconciliandum peccatorem cum Deo His positis.

4 Respondeo quod non possit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu extensionis neq; intentionis doloris.

Prima pars quod scilicet non possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu extensionis doloris, est Coninch disp. 4. dub. 11. n. 74. Fagundez secundi ecclesiæ præcepti lib. 2. cap. 2. &c.

5 Probatur primo à Coninch. loco cit. nam omnis, seria, & ex se efficax voluntas reconciliandi cum Deo, implicitè includit auersionem ab omni peccato mortali, saltem cuius, is qui illam habet est reus, sed omnis dolor sufficiens ad essentiam Sacramenti debet continere saltem implicite talem voluntatē, ergo dolor de peccato etiam quatenus habet specialem malitiam, si sufficit, continet auersionem ab omni peccato, non ratione sui, sed ob voluntatem efficacem se reconciliandi cum Deo, minor patet ex tertio supposito Maior probatur tum quia omnis amor serius, & efficax alicuius boni implicitè continet detestationem mali contrarij, cum quo illud bonum nullo modo potest consistere. At bonum in casu nostro est reconciliatio cum Deo respectu peccati mortalis existentis in eo, qui vult Deo reconciliari, ergo seria, & efficax voluntas, seu amor talis reconciliationis implicitè continet detestationem aliorum peccatorum impedientium talem reconciliationem: tum quia omnes scholastici communiter indè colligunt actum verè charitatis virtualiter continere detestationem omnium peccatorum mortalium, & quia si ita amans Deum recordaretur se esse aliquo peccato mortali necessario hoc detestaretur, & quia implicat aliquem amare Deum super omnia, & simul velle peccatum mortale, si enim vult peccatum mortale, anteponit creaturam illa, qua peccat Deo, sed eodem modo se habet voluntas efficax se reconciliandi cum Deo in dolore requisito ad essentiam Sacramenti pœnitentiæ ergo eodem modo continet implicite, & virtualiter detestationem omnium peccatorum saltem commissorum.

Nesi dicas cum Ioanne de Lugo de pœnitentia disp. 14. sect. 6. n. 78. quod licet ad hoc Sacrameetum requiratur voluntas absoluta reconciliandi cum Deo, hæc tamen voluntas non semper includit retractationem omnium peccatorum, quod probari potest in actu spei iuxtà communionem sententiam dicentium esse desiderium explicitum, vél implicitum beatitudinis, & tamen non omnis actus spei est detestatio virtualis omnium peccatorum, neq; est virtualiter contritio sufficiens, ad iustificationem cum Sacramento, nam in peccatore sicut dantur actus fidei, dantur etiam actus spei absq; dolore explicito, vel implicito de peccatis.

6 Quia contrà est, nam actus spei non opponitur per se cum peccato, quum possit quis peccando elicere actum spei, scilicet si habeat animum post commissum peccatum confitendi illud, & sic habere veniam, & gloriam: at reconciliatio cum Deo dicit per se oppositionem cum peccato, peccatum enim dicit essentialiter auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, & sic inimicitiam cum Deo: actus enim spei dicit per se, & directe oppositionem cum desperatione: vnde sicut implicat aliquem habere spem, & desperationem simul, ità etiam implicat aliquem habere perfectam reconciliationem cum Deo, & simul non excludere saltem virtua-

Digitized by Google

tualitèr id,quod per se impedit talẽ reconciliationem, actus enim spei etiam excludit omnia media per se conducentia ad desperationem.

7 Adde, quod actus spei,quum dicat essentialiter desiderium efficax gloriæ, non dicit actualem tendentiam ad gloriam, & sic neq; sumptionem actualem mediorum ad gloriam; sed tantum dicit desiderium mediorum ad gloriam: nam voluntas sicut se habet ad finem, ita se habet ad media conducentia ad finem, & quia homo desiderat tantum gloriam per actum spei, ita etiam virtualiter, & implicitè desiderat tantum media tendentia ad gloriam,& sic desiderat tantum dolorem, seu pœnitentiam,vti medium post peccatum commissum,ad gloriam; desiderium enim actuale, seu virtuale pœnitentiæ nullo modo est pœnitentia, neque virtualiter, neque formaliter, sed tantum est actus voluntatis ad pœnitentiam: at actualis reconciliatio cum Deo non dicit desiderium tantum, sed actualem conuersionem ad Deum, & actualis conuersio efficax implicitè includit detestationem impedimentorum actualium,vt patet. Datur igitur in peccatore per actum spei desiderium pœnitentiæ, vti medij, si adest peccatum, ad finem supernaturalẽ, nã sicut spes est tantum desiderium beatitudinis, ita implicitè dicit desiderium mediorum tendentium ad beatitudinem. Nõ valet igitur arguere ab actu circa obiectum, ad obiectum ipsum.

8 Confirmatur à Fagundez secundi ecclesiæ præcepti lib. 2. cap. 8. nu. 10. vers. probatur 6. quia ex opposita doctrina sequeretur, quod pœnitens,si moreretur cum illo Sacramento valido, & sine sua culpa theologica informi,foret damnandus, quum gratiam Dei non habeat, quod durissimũ videtur; decedit enim hic cum Sacramento pœnitentiæ,& sine sua culpa informi: ergo potius dicendum est, quod si dolor fuit sufficiens ad Sacramentum, est etiam sufficiens ad gratiam.

Nec dicas cum Ioanne de Lugo loc. cit. nu. 76. quod etiam pœnitens faciens, quod in se erat, & bona fide, ac cum attritione sufficienti confitens alicui, qui communiter existimaretur Sacerdos,& non esset talis,re vera non iustificaretur,si moreretur in eo statu: sic in nostro casu dicendum est, in quo nihil est durum,nec admiratione dignum quia in vtroque casu damnaretur homo non propter culpam in confessione commissam, aut propter negligentiam illam,sed propter culpam merè præteritam,quæ dum re vera non tollitur per verum remedium,infert iustissimè pœnã æternam;ficut puer,qui baptizatur vino pro aqua per errorem, damnatut, non in pœnam illius erroris,sed in pœnam peccati originalis, quod non fuit expiatum vero Sacramento. Hæc de Lugo ibi.

9 Nam contra est,quia id,quod durum est, non est, quod quis damnetur cum attritione, vel cum non Sacramento, vt exemplificatur à Lugo exemplo illius, qui accedit cum atritione ad sæcularem putatum præsbiterum; & exemplo pueri baptizati cum vino: sed durum est,quod quis accedat cum debita,& sufficienti materia Sacramenti, & quod re vera Sacramentum recipiat post commissam culpam, & quod sine culpa noua actuali gratiam nõ recipiat, & cum Sacramento suscepto sine culpa informi damnetur,& hoc est quod durum existimatur à Fagundez. Quod enim peccator, qui re vera Sacramentum absolutionis nõ recipit,damnetur, hoc non est mirum,neque durum;quod infans non baptizatus etiam damnetur, neq; est mirum, neq; durum: at quod homo cum Sacramento absolutionis, post commissum peccatum damnetur, hoc mirum,& durum est:si enim infans baptizatus cum vino baptismum reciperet,& absolutus à sæculari putato vero ministro Sacramentum absolutionis etiam reciperet, & si gratiam sine sua culpa non reciperet,si postea damnaretur, hoc etiam esset mirum,& durum.

Digitized by Google

10 Probatur secundò, quia talis, qui dolet de peccato ob speciale motium, debet habere propositum vniuersale amplius non peccãdi, etiam secundum aduersarios, teste de Lugo loco citato nu.87. ergo nullum habet impedimentum ad gratiam producendam per se secundum illud peccatum, de quo non dolet. Cõsequentia hæc patet, nam per tale propositum vniuersale iam est interruptum peccatum habitualiter perseuerans, quum sit retractatum per voluntatem oppositam, ergo peccatum illud, de quo pœnitens non habet dolorem, neque actualiter, neque habitualiter amplius perseuerat, ergo non potest impedire gratiam Sacramentalem, nam si nullo modo est, quomodo potest impedimentum præbere? ergo si dolor sufficit ad Sacramentum, sufficit etiam ad gratiam producẽdam, saltem ratione propositi.

11 Nec dicas, quod pœnitens non est sufficienter dispositus. Quia contrà est, nam vel loquimur de dispositione ad Sacramentum, & hoc falsum est etiam per aduersarios: qui dicunt, cum tali dolore fieri Sacramentum: vel loquimur de dispositione ad gratiam, & quia talis dispositio est cõuersio ad Deum, & auersio à creaturis, & per actum doloris particularis est iam homo conuersus ad Deum etiam secundum aduersarios; ergo est sufficienter dispositus, conuersio enim consistit in indiuisibili.

12 Confirmatur primò, quia dolor ideo requiritur in Sacramento pœnitentiæ, vt homo se conuertat ad Deum, & auertat à creatura, vt supra dixi; ergo dolor, qui sufficit in Sacramento, debet conuertere ad Deum, & auertere à creatura; ergo per dolorem illum particularem est iam actualiter homo conuersus ad Deum, & ex alio capite nullum habet impedimentum à peccato, de quo non doluit, quia per hoc propositum vniuersale nullo modo est, neque actualiter, neq; habitualiter, seu virtualiter: ergo Sacramentum hoc erit formatum, & non informe, vt putant aduersarij. Gratia enim Sacramentalis in tali casu non remittet per se peccatum, de quo pœnitens nullum habet dolorem specialem, sed tantum per accidens.

13 Confirmatur secundò, quia vel detestatio illa ob speciale motiuum, iustitiæ e.g. interrumpit peccatnm habitualiter perseuerans luxuriæ etiam à pœnitente commissum, vel non: si interrumpit, ergo opponitur, nam interruptio moralis habetur ab actu oppositio siue formaliter, siue virtualiter, & sic detestatur etiam peccatum à se nõ cognitũ. Si non interrumpit, ergo hic pœnitens habitualiter perseuerat in auersione à Deo, & conuersione ad creaturas; ergo pœnitens est simul auersus habitualiter, & conuersus actualiter ad Deum, quod implicat.

14 Confirmatur tertiò, quia talis pœnitens, qui mouetur ex speciali motiuo, si habet propositum vniuersale amplius non peccandi, hoc debet intelligi tam de peccato cum aduertentia, quod dicitur formale; quam de peccato sine aduertentia, quod dicitur materiale, nam aliter amaret entitatem actus, qui est cõtra Deum, & sic nollet peccatum, quatenus ipsi imputaretur, non verò quatenus peccatum Deum offendit, & consequenter non doleret de peccato, quod est offensa Dei, sed de peccato quatenus ipsi peccatori imputaretur, quod esset motiuum humanum, & insufficiens: ergo habet dolorem virtualem de peccato tunc non cognito. Consequentia hæc patet, nam peccatum est non pœnitere de peccatis commissis tempore confessionis, etiam si non manifestẽtur ob causam excusantem, vt dicam infrà, nam non conteri de omnibus peccatis, gratiam Sacramentalem impedit, quautum est de natura sua: sed habet talis pœnitens propositum non peccandi, ergo ne actu peccet saltem materialiter, debet illũ virtualiter pœnitere de peccatis cõmissis, & nõ cognitis. Nec dicas, quod dolor hic virtualis non

suffi-

Digitized by Google

sufficiat in Sacramento pœnitentiæ ex dictis supra. Quia contra est, nam dolor ille non sufficit solus pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, quia cum dolore formali, virtualis sufficit negatiuè, quatenus facit, vt non impediatur gratia Sacramentalis conferenda à Sacramento pœnitentiæ.

Obijc. primò cum Ioanne de Lugo loc. citato num. 74. quia in eo casu, quo quis commisit duo peccata mortalia, v. g. alterum furti, alterum odij, & confitetur peccatum furti, & de ipso dolet, propter specialem turpitudinẽ, & foeditatem furti; de peccato autem odij non dolet, nec illud cõfitetur, quia illius inculpabiliter est oblitus, in hoc casu, quum homo apponat materiam, scilicet confessionem formaliter integram, & dolorem efficacem cum proposito absoluto, nihil videtur deesse ad hoc, vt adueniente absolutione fiat verum, & validum Sacramentum, & tamen non confertur gratia, quia dat obicẽ peccatum odij nõ retractatũ per dolorem aliquem formaliter, aut virtualiter; nam dolor de facto, quum sit ex speciali motiuo torpitudinis propriæ furti, vt supponitur, non potest extendi virtualiter ad peccatum odij, quod illam turpitudinem non participat, sed aliã diuersam, vnde remitti nõ potest etiam indirectè per tale Sacramentum, vt constat, atq; adeò Sacramẽtum in hoc casu erit validum, & informe.

15 Respondetur, quod vel ille talis, qui duo peccata commisit, aduertit, se habere dolorem de vno tantum peccato, & si non cogitet de altero à se commisso: vel nõ. Si aduertit, & dubitat, iam peccat, quia se exponit periculo impediẽdi gratiam Sacramentalem: si non aduertit, tũc dico, quod iste talis vel habet animum perfectè se reconciliandi cum Deo, vel non: si primum, ergo virtualiter etiam detestatur peccatum à se non cognitum, quum hoc peccatum etiam impediat talem reconciliationem: vnde & si tale peccatum non comprehendatur sub illo motiuo speciali, comprehenditur tamen sub illo proposito, seu affectu perfectè se reconciliandi cum Deo, & sic implicitè detestatur. Tunc enim dicitur homo habere dolorem sufficientem in Sacramento pœnitentiæ, quando cum dolore habet animnm, seu actum voluntatis perfectè reconciliandi se cum Deo; hæc enim reconciliatio est finis doloris in Sacramento pœnitentiæ: vnde & si dolor ille ex speciali motiuo, furti v. g. non dicat formaliter, & implicitè dolorem de peccato odij, tamen quatenus includit voluntatem se reconciliandi cum Deo per talem dolorem, dicit implicitè, & virtualiter etiam dolorem de peccato odij, vt dixi cum Conich. in principali probatione huius dicti.

Obijc. secundò: si quis accedit ad Sacramentum eucharistiæ, vel ad alia Sacramenta cum vno peccato mortali oblito sine illius contritione, Sacramẽtum erit validum, & informe, validè enim illud suscipit, non tamen gratiam illius consequitur; ergo idem erit dicendum in Sacramento pœnitentiæ: ille enim, qui cum aliquo peccato obliuiscitur ad illud accesserit, validum suscipiet Sacramentum, sed non iustificabitur quia informe erit, & sine gratia.

16 Respondet primò Fagundez loco cit. n. 11. in fine negando paritatem, & disparitas est manifesta, nam dolor non est de essentia Sacramenti eucharistiæ, nec aliorum Sacramentorum, sicut est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, vt notat post D. Thomam Suarez de pœnitentia q. 20. sect. 5. nu. 6. & sic ille dolor, qui sufficit ad valorem huius Sacramenti, sufficit etiam ad effectum illius.

17 Resp. 2. cũ alia disparitate, quia sũptio eucharistiæ nullo modo interrumpit peccatum habitualiter perseuerans, sicut interrumpitur à proposito amplius non peccandi, necessariò requisito in Sacramento pœnitentiæ, & quia eucharistia nullo modo retractat peccatum, ideo producere non potest gratiam in ani-

Digitized by Google

anima habitualiter in peccato perseuerante: at quia dolor in Sacramento pœnitentiæ necessariò retractat peccatum, quum faciat hominem ad Deum conuersum, hinc est, quod potest esse sumptio eucharistiæ validè sine gratia, & sic de alijs Sacramentis, non verò Sacramentum pœnitentiæ.

Obijcies tertiò, Peccatum illud, de quo pœnitens nullum habet dolorem, nullo modo est remissum; ergo perseuerat. Antecedens patet, quia si esset aliquo modo remissum, remitterentur peccata sinè dolore in Sacramento pœnitentiæ, quod nemo dixit.

18 Respondeo, quod casus ille à Suario effictus de motiuo particulari in praxi contingere nō potest, vt inquit Fagundez loco citato n. 11. his verbis. Casus Suarij, fictus potius, quàm in praxi contingens videtur. Et ideo posita hac fictione dicimus, quod nunc peccatum illud destruitur à gratia per accidēs, nempè ratione incompossibilitatis: gratia enim Sacramenti, quum nullam habeat oppositionem, producitur, qua producta iustificaretur homo, & peccatum illud remitteretur ob dolorem virtualem, & detestationem, quam homo habet ratione voluntatis seriæ tollendi omnia impedimenta ad se reconciliandum cum Deo, vt dixi, & sic diceretur iustificari per accidens, in ordine ad peccata, de quibus non habet formalem, & explicitum dolorem; & per se in ordine ad peccata, de quibus formaliter dolet.

Obijc. quartò: potest vnum veniale remitti sine alio, & pœnitens habere dolorem ex speciali motiuo de vno, & non de alio; ergo poterit etiam vnum mortale habere actum doloris, qui non se extendat ad aliud.

19 Respondeo negando paritatē, & disparitas est manifesta, nam propositum requisitum in confessione de venialibus non est vniuersale, sicut de mortalibus, sed est de non peccando tantum in illa specie peccati, quam confitetur; & ideo efficax voluntas se extendit tantum ad illam speciem peccatorum, & non ad aliam: at propositum in mortalibus non potest esse de tali specie tantum, quia sic pœnitens haberet affectū ad peccatū, de quo veniā non petijt.

20 Secunda pars, quod scilicet non detur Sacramentum validum, & informe ex defectu intensionis doloris, est Suarez de pœnitentia disp. 20. sect. 5. n. 6. & communis.

Probatur ab eodem Suarez, tum quia opposita sententia nullum habet efficax fundamentum: tum quia opponitur Concilio Florentino, & Tridentino, quę indistinctè vnum, & eundē dolorem cōstituunt, vt partem Sacramenti, & vt dispositionem ad effectum eius. Ita Suarez loc. cit.

Confirmatur, quia gratia suscipit maiorem, & minorem intensionē; ergo sicut dolor, seu dispositio ad gratiam vt octo e. g. exigit gratiam vt octo, ita dispositio vt duo exiget gratiam, vt duo; ergo Sacramentum cum dolore intenso vt duo habebit gratiā vt duo intenso, vt quatuor habebit gratiā, vt quatuor &c.

Patet ergo ex dictis, non dari Sacramentum validum, & informe ex defectu extensionis, aut intensionis doloris.

SVMMARIVM

Confessio sine voce, & per signa sufficit in Sacramento pœnitentiæ pro materia. num. 1.

Qui potest confiteri voce, & sine vlla causa vult confiteri signis, non peccat mortaliter. eod. nu. & nu. 6.

Confessio requisita essentialiter in Sacramento pœnitentiæ est illa, quæ est accusatio, & explicatio status pœnitentis. nu. 2.

Potest quis nutu explicare statum suum. eod. nu.

In nonnullis concilijs præcipitur dari absolutionem moribundo voce destituto. num. 3.

Muti admittuntur ad Sacramentum pœnitentiæ. eod. nu.

Oris confessio requisita in Sacramento pœnitentiæ

tia intelligitur largè pro omni, quod explicat peccata. nu. 4.

Forma debet proportionari materiæ in Sacramentis quoad certitudinem, non quoad omnia. nu. 5.

Moraliter loquendo, non potest contingere necessitas absoluendi sine voce, & sic potest sæpissimè contingere necessitas confitendi sine voce. eod. nu.

De confessione per voces non habemus præceptum diuinum, neq; humanum scriptum. num. 6.

Confessio deseruit ad explicandum statum pœnitentis, & ad reddendum dolorem sensibilem, quod totum haberi potest per nutus. num. 7.

Consuetudo confitendi ore non est introducta ex obligatione, sed ob communem modum, quem homines in alijs materijs seruant. num. 8.

Minister, qui absoluit cum alijs verbis, & non cum consuetis in ecclesia, scilicet Ego te absoluo, non peccat mortaliter. nu. 9.

RESOLVTIO XXXII.

An confessio facta per signa sine voce sit valida, & licita?

1 REspondeo, confessionem sine voce, & per signa sufficere in Sacramento pœnitentiæ. Nec peccare mortaliter, qui vult confiteri signis sine vlla necessitate, neq; ratione verecundiæ, si sine contemptu hoc faciat.

Prima pars, quod scilicet confessio, quæ fit sine voce, sufficit in Sacramento pœnitentiæ, est D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 3. Conick disp. 6. de qualitate confessionis dub. 1. nu. 1. Fagundez secundi Ecclesiæ præcepti lib. 1. cap. 1.

2 Probatur, quia de essentia Sacramenti pœnitentiæ est ea confessio, quæ sit vera accusatio sui ipsius, & explicatio omnium suorum peccatorum, vt habetur ex Conc. Trid. sess. 14. can. 8. vbi damnantur ij, qui dicunt, confessionem ab Ecclesia præceptam esse impossibilem. At talis accusatio, & explicatio fit actus potest haberi per nutus, aut simil ia præsertim quando pœnitens loqui n on potest, ergo confessio sine voce sufficit in Sacramento pœnitentiæ.

3 Confirmatur tum ex Epist. D. Leonis 91. tum ex Conc. Arausicano can. 15 tum ex Cartaginensi 3. cap. 34. in quibus præcipitur dari absolutionem ægroto voce destituto. Tum ex vsu Ecclesiæ, quæ mutos ad pœnitentiam admittit. Tum etiam quia conuenientia non suffert, Christum Dominum Sacramentorum institutorem velle hoc Sacramento priuari, qui voce carent, cum magno detrimento, imo aliquando cum periculo salutis. Quum ergo hoc Sacramentum omnibus sit necessarium, instituit omnibus possibile, at possibile non esset omnibus, si vox esset de eius essentia.

Obijcies primò Concilium Florentinum in decreto Eugenij 4. dicens, quod materia Sacramenti Pœnitentiæ sit oris confessio, ergo confessio sine voce non sufficit pro materia in Sacramento pœnitentiæ.

4 Respondeo, quod per oris confessionem Concilium Florentinum largius accepit, sicut etiam paulo superius dictum fuerat, omnia Sacramenta nouæ legis constare verbis, tanquam forma, quod intelligi debet de verbis largius acceptis, quum matrimonium fieri possit absq; vocibus, aut verbis strictis. Sic etiam requiritur in Sacramento pœnitentiæ oris confessio largius accepta, prout explicatur ab eodem Eugenio, quum subdat statim, Ad quã pertinet, vt peccata omnia, qnorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter &c. id ergo quod sufficit, vt homo sua peccata suo Sacerdoti manifestet, intelligitur ab Eugenio pro oris confessione; & ideo in Tridentino sess. 14. cap. 3. inter partes huius Sacramenti non assignatur oris confessio, sed confessio simpliciter, vt omnis confessio comprehendatur.

Obijcies secundò. semper forma de-

debet esse proportionata materiæ; & materia formæ, sed non potest dari forma, nempe absolutio in Sacramento pœnitentiæ sine voce, ergo confessio sine voce neque erit materia huius Sacramenti.

5 Respondet Fagundez loco cit. nu. 7. quod forma debet esse proportionata materiæ quoad certitudinem, ita vt sit forma certa, sicut materia est certa, non autem quoad omnia, nam moraliter loquendo numquam contingere potest necessitas absoluendi sine voce, potest tamen sæpissimè contingere necessitas sine voce confitendi. Et ideo Christus Dominus ita instituit hoc Sacramentum, vt spectata hominum fragilitate, & considerata necessitate, & indigentia huius Sacramenti, confessio fieri posset signis, & nutibus sufficientibus ad explicanda animi sensa, non autem absolutio dari: quod patet ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ sæpe vtitur confessione facta per huiusmodi signa sensibilia, nunquam tamen vsa fuit absoluere per signa, & nutus, vt optimè notauit Suarez de pœnitentia disp. 20. sect. 3. nu. 2. & 3. Hæc Fag. ibi.

6 Secunda pars, quod scilicet qui potest confiteri voce, & vult confiteri signis sine vlla necessitate, neq; ratione verecundiæ, non peccet mortaliter, si sine contemptu, & perfectè explicet statum suum, est Soti in 4. dist. 17. q. vnica. Regin. lib. 6. nu. 83. Bonac. de pœnitent. disp. 5. q. 5. sect. 2. punt. 1. §. 2. nu. 24. vers. dixi per se, in fine. Et

Probatur, quia de confessione per voces non habemus præceptum Diuinum, neq; humanum scriptum, nullibi enim
7 tale præceptum reperitur. Confirmatur, quia confessio deseruit ad explicandum statum pœnitentis, & ad reddendam sensibilem contritionem: sed vtrumq; haberi potest per nutus, vt supponimus, ergo non indiget voce.

Obijcies primò; consuetudo Ecclesiæ est, quæ obligat sub pœna peccati, ore confiteri, quum quis possit. Ita Suar. disp. 21. sect. 3. Vasq. p. 3. q. 91. art. 4. dub. 1. nu. 7. qui dicunt, talem obligationem esse grauem de suo genere; posse tamen excusari pœnitentem in aliquibus circumstantijs, vt si ratione verecundiæ habeat maximam difficultatem explicandi ore peccata sua.

8 Respondetur cum Ioan. de Lugo disp. 5. sect. 5. nu. 80. quod illa consuetudo non est introducta quasi ex obligatione, sed magis propter communem modum, quem homines in alijs materijs seruant, nunquam enim loquimur petentibus, signis vel nutibus, sed tantum per voces, & sic consuetudo illa nõ potest obligare ad graue peccatum, quum non sit magis in confessione, quã in alijs negotijs; aliter enim etiam peccaret, qui negotia præsentibus significaret nutu, quum posset voce; nam consuetudo non minus est introducta in alijs negotijs, quã in Sacramento pœnitentiæ.

Obijcies secundò. sicut sub peccato mortali obligat consuetudo absoluendi per verba, Ego te absoluo, & peccaret mortaliter, si confessarius illa mutaret, & diceret, Ego tibi remitto peccata tua, licet efficeret verum Sacramẽtum, ita peccabit mortaliter ille, qui absq; vlla necessitate, voluntariè tamen mutaret communem modum confitendi voce propria, & loco vocis vteretur nutibus.

9 Respondeo cum Soto in 4. dist. 14. q. 4. art. 2. vers. tandem circa hanc formam, quod mutatio illa verborum non inducit per se peccatum mortale, verba enim Soti hæc sunt, Quare S. Thomas in solutione 3. non ait, nisi quod forma, per absoluo, sit congruentior; esset tamen peccatum, illa vti forma, scilicet Remitto tibi peccata tua, licet genere suo non mortale, nisi forte propter scandalum, quia vulgus non haberet absolutionem illam pro legitima &c. igitur verum non est, quod mutatio illa verborum formæ inducat peccatum mortale, sed tantum veniale, ex genere suo, sicut etiam confessio per nutus sine causa.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis ergo manifestè apparet, cõfessionem nutibus factam esse validam. Nec peccare mortaliter, qui nutibus confitetur, etiam si possit voce.

SVMMARIVM

Confessio publica sufficit in sacramento pœnitentiæ; nec peccat, qui publicè confitetur peccata sua. nu. 1.

Confessio deseruit in sacramento pœnitentiæ, vt confessarius sciat, quid mederi, quid iudicare debeat. nu. 2.

Ecclesia aliquando solet admittere confessiones publicas. nu. 3.

Concilium Trid. nullam præceptum imponit de auriculari confessione, sed tantum dicit, non esse alienum ab institutione Christi, quod idem est, ac non esse contrarium. nu. 4

In cap. omnis vtriusque sexus, &c. non præcipitur confessio secreta, sed tantum cõmendatur, vt vtilior & conuenientior institutioni Christi. nu. 5.

Qui se ipsum infamat, non peccat contra iustitiam, cum sit dominus propriæ famæ. neque peccat contra charitatem sui, quia charitas non obligat hominem ad conseruationem bonorum huius vitæ, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia. num. 6.

Prodigalitas ex genere suo non est peccatum mortale. eod. num.

Consuetudo est duplex, vna dicitur liberatiua, alia dicitur præceptiua; qui facit contra primam, excusatur à culpa; qui facit contra secundam, peccat. num. 7.

Consuetudo sumendi ientaculum lautius in vigilia Natiuitatis Domini dicitur consuetudo liberatiua: consuetudo Neapolitana ieiunandi in vigilia pentecostes, dicitur obligatiua. eod. num.

Secundum Suarez nullam præceptum potest obligare hominem, vt se de occultis publicè infamet. eod. num.

Consuetudo confitendi secretè, est consuetudo liberatiua, non præceptiua. eod. num.

RESOLVTIO XXXIII.

An confessio publica sit valida & licita in Sacramento pœnitentiæ?

1 REspondeo, confessionem publicam, sicut & auricularem esse validam & licitam in Sacramento pœnitentiæ. Ita Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. Suarez disp. 21. sect. 2. dist. 9. concl. 2. Vasquez q. 91. ar. 9. dub. 1. nu. 8. nec peccare mortaliter, qui publicè confitetur sine causa.

Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. vbi sic ait. Quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, & si Christus nõ vetuerit, quia aliquis in ædificationem aliorum delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana lege præscriberetur, vt delicta præsertim secreta, publica confessione aperienda essent. Habes ergo ab his verbis, ad essentiam confessionis Sacramentalis parum referre, quod fiat publicè, vel secretò. Consentaneum tamen est ex institutione Christi, vt secretò fiat, nam hoc modo facilius, clarius, & cum minori dispendio honoris pœnitentis fit confessio, & status pœnitentis explicatur.

2 Probatur etiam ratione, nam confessio deseruit ad hoc, vt pœnitens explicet statum suum confessario, qui quum iudex sit, & medicus, debet scire quid mederi debet, aut iudicare, sed talis explicatio æquali modo habetur a cõfessione siuè publica, siuè priuata; ergo æqualiter deseruire potest in Sacramento pœnitentiæ.

3 Confirmatur, quia est vsus ecclesiæ admittere aliquando confessiones publicas, nam admittit confessionem per interpretem, per scripturam, præsente, & annuente pœnitente in aliquo periculo, quando non potest aliter confiteri, nisi publicè: & si sunt plures morjbundi in eodem lecto, & non possunt

Digitized by Google

aliter confiteri, nisi aliis audientibus; ergo à pari si quis publicè confitetur, debet absolui; nam scriptura, interpres, & quod alius audiat, publicitatem inducit quantum est ex parte sua. Quod verò non peccet mortaliter qui sine causa publicè confitetur, patet. Nam tale præceptum nullibi expressum est.

Obijc. primò Concilium Tridentinum sess. 14. can. 6. vbi de fide definit, modum secretò confitendi soli Sacerdoti non esse alienum ab institutione Christi, ergo ex Christi institutione habemus præceptum de secreta confessione.

4 Respondet Fagundez secundi ecclesiæ præcepti lib. 3. cap. 2. nu. 13. quod Concilium ibi nullum constituit præceptum, sed tantum dicit non esse alienum ab institutione Christi, quod intelligitur non esse contrarium, nec repugnare diuino præcepto; immò esse illi consentaneum, & conforme, quia supposita institutione diuina Sacramẽti, ille modus cæteris omnibus conuenientior erat ad tollẽdas difficultates, & scandala, & ad tuendum, & conseruandum honorem pœnitentis.

Obijc. secundò, quia cap. omnis vtriusq; sexus, de pœnitentijs, & remissionibus, præcipit cõfessionem fieri soli Sacerdoti proprio; ergo secretè, ergo si fiet publicè erit peccatum lethale contra præceptum ecclesiæ, & consequenter Sacramentum subsistere non poterit.

5 Respondeo cum eodem Fagundez loco cit. quod ibi non præscribitur modus secretæ confessionis sub præcepto, sed tantum commendatur vt vtilior, & conuenientior institutioni Christi, & accomodatior ad tollenda scandala, & tuendam famam pœnitentis, nam ibi non imponitur præceptum de secreto, sed de confessione semel in anno facienda.

Obijc. tertiò, quia qui publicè confitetur peccata mortalia infamat se ipsum, & quum non sit dominus propriæ famæ, peccat mortaliter: ergo non potest Sacramentum pœnitentiæ subsistere cum confessione publica.

6 Respondeo cum Lessio lib. 2. de Iustitia cap. 11. nu. 3. dub. 6. quod se ipsum infamare ex genere suo, non est peccatum mortale contra iustitiam, neq; contra sui charitatem. Non contra iustitiam, quia homo est Dominus propriæ famæ, sicut & suorum operum, vt idem Lessius loco cit. cap. 4. dub. 11. nu. 59. Neque contra charitatem; charitas enim non obligat hominem ad bona huius vitæ, quæ extra nos sunt, comparanda, vel cõseruanda; nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia, vel nostra, vel proximorum. Tum quia prodigalitas, quæ versatur circà bona externa, ex genere suo non est peccatũ mortiferum contra charitatẽ, sed solũ veniale contra liberalitatẽ: sed fama est quoddã bonũ morale externũ; ergo eius profusio nõ erit mortale.

Obijc. quartò, quia publicè confiteri est contra consuetudinem introductam in ecclesia; ergo qui publicè cõfitetur, peccabit mortaliter ratione consuetudinis.

7 Respondeo ex doctrina Ioannis Sanchez in selectis disp. 26. nu. 13. quod consuetudo est duplex: alia, quæ solum excusat à transgressione præcepti, & dicitur liberatiua; alia quæ non solum non excusat, sed accusat operantem contra illam, & dicitur præceptiua. Prima excusat ab actu virtutis, & trãsgressio illius non obligat ad peccatum, immò est actus virtutis supererogationis, vti est, qui strictè ieiunat in vigilia Natiuitatis. Vnde qui non sumit ientaculum laurius facit contra consuetudinem excusantem à ieiunio, & facit actum virtutis: secunda verò consuetudo præcipit actum virtutis, & qui frangit eam peccat mortaliter, vti est Neapoli consuetudo ieiunandi in vigilia Pentecostes. Consuetudo igitur confitendi secretè excusat ab actu virtutis, quia esset præceptum moraliter impossibile habere tantam virtutem,

&

Digitized by Google

& feruorem, vt quis sit contentus prodere propria peccata: & ideo concludit Suarez de Pœnitentia disp. 21. sect. 2. nu. 7. quod nullum præceptum potest obligare hominem, vt se de occultis publicè infamet, & sic est arduus actus virtutis, & consuetudo ab illo excusat; transgressio verò huius consuetudinis esset actus virtuosus, & ideo transgrediens non peccaret.

SVMMARIVM.

Mendacium de rebus confessis, vel quas confiteri non tenetur, non vitiat sacramentalem confessionem. nu. 1.

Pœnitens mentiendo circa materiam non necessariam, vel quam confiteri non tenetur, non infert damnum alteri, nec lædit ius iudicis interrogantis, cum non teneatur eam confiteri. num. 2.

Pœnitens si neget confessario consuetudinem peccandi cum restrictione mentali, vel occasionem proximam ineuitabilem, vel simulat se alium esse, mutando vestem, vel vocem, &c. æquiuocando, facit validam confessionem. nu. 3.

Qui sibi imputat aliquod veniale, vel negat confessario veniale, quod re vera commisit, si præbeat aliam materiam pro confessione, facit validum sacramentum. num. 4.

Mendaciũ leue in sacramento pœnitentiæ commissum, non offendit sacramentum, si adsit alia materia pro sacramento conficiendo. num. 5.

Forma sacramenti fertur circa pœnitentem, quem significat absolutum. nu. 6.

Peccata venialia non impediunt gratiam sacramenti. eod. num.

Sacerdos, qui assumit materiam triticeam cũ ordeacea ad finem consecrandi, non consecrat. num. 7.

Verba consecrationis sunt demonstratiua, vnde demostrant totum, quod præsens habent: forma absolutionis dicitur vaga, cum non determinet hæc, vel illa peccata. nu. 8.

Qui confitetur mortalia, & venialia, & de venialibus nullum habet dolorem, nullam facit iniuriam sacramento. eod. num.

RESOLVTIO XXXIV.

An mendacium in confessione prolatum reddat nullum Sacramentum confessionis?

1 REspondeo, mendacium in confessione de re ad confessionem pertinẽte, si sit de rebus confessis, vel quas cõfiteri homo nõ tenetur: vel si sit imputãdo sibi aliquod veniale, vel negando veniale à se commissum; si aliam materiam pro illo Sacramento tribuat, nõ vitiare Sacramentalem confessionem: secus verò si tribuat sibi, vel neget peccatum mortale, quod hic, & nunc tenetur confiteri, vel det prò materia veniale tantum a se non commissum. Ita Fagundez loco citato lib. 3. cap. 21. à nu. 7.

Prima patet, quod scilicet mendacium de rebus cõfessis, vel quas homo confiteri non tenetur, non vitiet confessionem Sacramẽtalem, est Enriquez lib. 2. de pœnitentia cap. 9. n. 2. Suarij disp. 22. sect. 10. num. 4. Coninch disp. 6. de qualitate Confessarij dub. 3. nu. 8. Et

Probatur, quia pœnitens vel non tenetur illa peccata confiteri, vel habet iustam causam non confitendi hic, & nunc, & sic nullo modo falsificat materiam Sacramenti pœnitentiæ, quum illa peccata stantibus his circumstantijs impertinenter se habeant ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ, posito
2 quod sit alia materia prò Sacramẽto; nec damnum infert alteri, vt supponitur, nec lædit ius Iudicis interrogantis, quia non tenetur pœnitens ea confiteri: ergo confessio aliorum est valida, & pœnitens si vtatur restrictione mentali, nempè quod nõ fecit illud peccatum, vt iterum, vel tunc teneatur confiteri,
3 ne venialiter quidem peccat. Non reddit igitur pœnitens confessionem inualidam, si neget consuetudinem peccandi cum æquiuocatione, quia scilicet non tenetur bis confiteri semel

Digitized by Google

commissum; vel si neget occasionem proximam ineuitabilem sine magno incommodo, vel scandalo; vel qui simulat confessario se alium esse, vestem mutando, vocem, vel quid simile æquiuocando, vt rectè Ioannes Sanchez in selectis disp. 9.

4 Secunda pars dicti, quod scilicet, qui imputat sibi aliquod veniale, vel negat veniale, quod re vera commisit, si aliã materiam pro confessione præbeat, nõ peccet mortaliter secundum Coninch & Suarez locis citatis;

Probatur, quia tale mendacium non est mortale de natura sua, neq; est materia necessaria pro forma, quum sit alia materia, vt supponimus. Neque decipitur Iudex, quum sit materia voluntaria: ergo nullo modo, & ex nullo capite colligi potest, mendacium hoc vitiare confessionem Sacramentalem.

5 Confirmatur, quia mendacium hoc & si in Sacramento commissum, tamen non datur vti materia Sacramenti, quũ tribuatur alia materia à pœnitente, vt supponimus; ergo mendacium hoc impertinenter se habet respectu Sacramenti; ergo non potest esse peccatum mortale.

Obijc. primò, talis pœnitens facit quantum potest ex parte sua, vt forma absolutionis, si non ex toto, saltem ex parte sit falsa, nam in forma absolutionis iam significatur, remitti pœnitenti omnia peccata confessa, & tamen illud veniale, quod sibi imponit non remittitur; ergo peccat mortaliter.

6 Respondetur, quod forma Sacramẽti non fertur immediatè circà peccata in particulari, sed circa ipsum pœnitentem, quem significat absolutum. Quare si vnum, aut alterum veniale nõ absoluatur, forma non falsificatur, quũ sufficienter possit verificari circa alia venialia exposita. Nec effectus Sacramenti impeditur, quia peccata venialia non impediunt gratiam Sacramentalem. Ita Fagundez loco cit. lib. 3. nu. 13. Per formam verò absolutionis significatur pœnitens absolutus de peccatis, quibus erat ligatus, non verò quibus non erat ligatus.

Obijc. secundò, qui apponit inter alias hostias triticeas hostiam hordeaceam, & simul omnes offert sacerdoti consecrandas, peccat mortaliter, quia est causa, quod forma sit ex parte falsa: ergo etiam ille, qui confitetur vnum peccatum veniale, quod non commisit, peccabit mortaliter ob eandem rationem.

7 Respondeo negando paritatem, & disparitas est, nam qui apponit inter alias hostias triticeas hostiam hordeaceam, facit, vt sacerdos nullo modo consecret, nam quum sacerdos determinet sibi prò materia totam illam materiam triticam, & hordeaceam, & quum non sit hordeacea capax consecrationis, consequenter nec triticeã, nec hordeaceam consecrat. Materia enim illa hordeacea, & triticea, prò vt vna materialiter, non est capax consecrationis. At qui confitetur peccatum veniale, quod non commisit, si præbeat aliam materiam sufficientem pro Sacramento Pœnitentiæ, non cooperatur ad frustrationem Sacramenti Pœnitentiæ, quod re vera efficitur. Peccatum enim est materia circa quam destruenda Sacramenti pœnitentiæ, nõ verò ex qua, seu in qua, sicut est panis in Sacramẽto Eucharistiæ. Vel dic cum

8 Vasquez q. 91. ar. 1. dub. 7. nu. 13. quod est dispar ratio; nam verba consecrationis sunt demonstratiua, vnde totum, quod præsens habent, demonstrant, & ita si falsa hostia apponatur inter veras, falsò iam demostrarẽt totum illud. Verum tamen forma absolutionis dicitur vaga, non determinando hæc, vel illa peccata; immò dicit à peccatis tuis: sicut etiam absolutio se extendit ad mortalia, & venialia, & tamen si quis confitetur cum mortalibus venialia, quorum tamen non habet attritionem, non consequitur absolutionem illorum, neque facit iniuriam verbis absolutionis. Hæc Vasquez ibi. Vel dic, quod forma vtriusque sacramenti

Digitized by Google

menti cadit supra materiam aptam, non supra ineptam; & sic vtrobique fit sacramentum.

SVMMARIVM.

Integritas materialis confessionis non est de essentia Sacramenti pœnitentiæ. nu. 1.

De integritate materiali confessionis habemus præceptum diuinum. eod. num. & n. 7.

Timor damni temporalis, vel spiritualis excusat ab integritate confessionis. n. 2.

Præceptum diuinum, & naturale charitatis est fortius, antiquius, & absolutius præcepto integritatis confessionis, & consequenter illud est præferendum huic. eod. nu.

Suarez putat, confessarium non teneri confiteri peccatum, vel circumstantiam ipsius; si arbitratur suũ confessariũ venire in cognitionem peccatoris; & si de hoc dubitet Sotus nu. 3.

Qui inuincibiliter ignorat, se habere præceptum de integritate confessionis, si non integrè confitetur, facit Sacramentum validum. nu. 4.

Aegrotus, qui amittit vocem, & sensum post vnum peccatum, non tenetur ad integritatem confessionis. nu. 5.

Qui vrgente necessitate confitetur, si timeat confessario amissionem loquelæ, excusatur ab integritate confessionis. nu. 6.

Est de fide definitum, de integritate materiali confessionis esse præceptum diuinum: sicut de circumstantijs speciem mutantibus. nu. 7.

Præceptum de integritate confessionis obligat modo humano. eod. nu.

RESOLVTIO XXXV.

An integritas materialis confessionis sit de essentia Sacramenti pœnitentiæ?

1 REspondeo, quod integritas materialis confessionis non est de essentia Sacramenti pœnitentiæ; tamen de tali integritate materiali habemus præceptum diuinum.

Prima pars, quod scilicet integritas materialis, quæ consistit in notificatione omnium peccatorum commissorum ab vltima confessione, non sit de essentia confessionis, est communiter DD. omnium, teste Fagundez loco cit. lib. 3. cap. 3. à nu. 1. Et

Probatur, nam multoties quis ratione sui, multoties ratione confessarij, & multoties ratione proximi non tenetur confiteri omnia sua peccata, & tamen facit Sacramentum validum: ergo integritas materialis non est de essentia confessionis. Antecedens patet, nam potest vrgere præceptum etiam diuinum, & naturale, antiquius, fortius, & absolutius præcepto integritatis confessionis, vel ignorantia talis præcepti, vel impossibilitas, ad quam nemo tenetur.

2 Sic si quis timet graue damnum vel temporale, vel spirituale, si omnia sua peccata confiteatur, habet legitimam causam retinendi peccatum illud in eadem confessione, dũmodo aliũ confessariũ nõ habeat, & habeat intentionem cõfitendi illud, sublata causa excusãte. Ita D. Th. in 4. dist. 17. q. 2. ar. 4. ad secundum, cum communi sententia. Et ratio est, tum quia præceptum diuinum non obligat cum tanto detrimento: tum quia præceptum diuinum, & naturale charitatis, est fortius, & antiquius, & absolutius, quam præceptum integritatis confessionis; ergo præferendum, & præceptum integritatis cõfessionis differendum in aliud tempus. Igitur nõ tenetur mulier confiteri peccatum adulterij commissum, si timet mortem, vel fore sollicitandam à confessario; nec qui occidit consanguineũ, vel habuit rem cum consanguinea cõfessarij, si timet posse conijcere veritatem, & postea detrimentum afferre. Ita Suarez disp. 23. sect. 2. nu. 2.

3 Sic etiam non tenetur confessarius cõfiteri peccatum, vel circumstantiam peccati, si probabiliter arbitretur confessarium suũ statim venire in notitiam peccatoris, quem in confessione audiuit. Maior est enim obligatio sigilli, quod tũc periclitatur, quam obligatio integritatis confessionis. Ita Suarez disp. 34. sect. 2. num. 14. & si de hoc dubi-

dubitet Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. vers. occurrit &c.

4 Sic etiam qui inuincibiliter ignorat præceptum de integritate confessionis, si ideo non confiteatur, quia ignorat, confessio erit valida, tamen aduenientе scientia de tali præcepto, non tenetur iterare omnes confessiones, quia fuerunt validæ, & si teneatur confiteri peccatum illud relictum, vt optimè Henriquez lib. 2. de pœnitentia cap. 12. est enim peccatum illud tantùm omissionis, quum pœnitens tunc omittat confiteri peccata propter ignorantiam, at ignorantia facilè nos excusat ab omissione, ne nobis imputetur, vt docet D. Thomas 1.2.q. 76. art. 3. & 2.2.q.79. art. 4.

5 Sic etiam si ægrotus vnum tantum peccatum cõfiteatur, & deinde vocem, & sensum amittat, & non possit dare aliud signum, est absoluendus, & si confessionem integram non fecit materialiter, secundum Henriquez lib. 2. de pœnitentia cap. 12. num. 2. Sotum in 4. dist. 16. q. 2. ar. 5.

6 Sic etiam si timeatur Confessario amissio loquelæ, vel destitutio sensus, tunc pœnitens, si vrgeat necessitas, potest post vnum peccatum explicatum, & si alia habeat, absolutionem petere, & erit valida confessio, & si diminuta materialiter, vt optimè Henriquez loc. cit. ar. 4.

Si ergo in his, & similibus casibus datur confessio dimidiata, & fit Sacramentum, dicendum est, integritatem materialem confessionis non esse de essentia Sacramenti.

7 Secunda pars (quod scilicet & si integritas materialis non sit de essentia confessionis, vt diximus, tamen cõfessio debet esse de omnibus specieb⁹, & indiuiduis peccatorum, & hoc ex præcepto diuino, vt optimè obseruat Layman de pœnitentia tract. 6. cap. 8. nu. 2. vers. est autem &c. ex Paludano in 4. dist. 21. q. 2. ar. 2. concluſ. 2. Suarez disp. 23. sect. 1. nu. 5. & 10. Coninch. disp. 7. dub. 10. concluſ. 2.) est de fide, definita in Concilio Tridentino session. 14. cap. 5. & can. 7. vbi hæc habet, Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium nõ esse iure diuino, omnia, & singula peccata mortalia cõfiteri, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit. Et quum præceptum hoc datum sit hominibus, obligat humano modo, quod quando moraliter obseruari non potest, non tenetur homo ad illud, vti videri potest in casibus enumeratis supra. Et hoc etiã est intelligendum de speciebus moralibus, & non de physicis, vt optimè obseruat de Lugo loco cit. disp. 16. sect. 3. nu. 104.

SVMMARIVM.

Diuersitas specifica peccatorum desumitur ab obiecto per se volito à peccante. num. 1.

Diuersitas numerica in peccatis externis desumitur ab obiectis numero diuersis; vel ab actionibus peccaminosis successiuè factis; in peccatis verò internis desumitur diuersitas numerica ab interruptione physica, vel morali. eod. num. & num. 4. & num. 14.

Ad peccatum duo cãcurrunt, actus voluntatis, & inordinatio à recta ratione: primus comparatur per se ad peccantem, secunda per accidens. num. 2.

Quæ sunt per accidens, sunt extra rationem specificam. eod. nu.

Præceptum ieiunandi ex voto, & præceptum ieiunãdi ex impositione ecclesiæ differũt specie, quia primum habet pro obiecto religionem, secundum temperantiam. nu. 3.

Qui vnico ictu duos homines occidit, duo peccata committit, ambo confitenda. nu. 4. & nu. 9.

Actus voluntatis virtualiter multiplex sufficit ad diuersificationem specificã peccatorum, & consequenter ad numericam. nu. 9.

Actio, & passio, vel non sunt distinctæ, vel dicunt essentialem respectum inter se. n. 6.

Morula temporis non auget, nec minuit peccatum. nu. 7.

Qui

Digitized by Google

Qui unico ictu plures occidit, non potest dici quod vnicum peccatum committat, cum hæc vnitas non possit haberi ex vnitate actus voluntatis, nam hic sufficit ad diuersitatem specificam: nec potest dici vnum ex unitate ictus, quia hic est multiplex terminatiuè, & sufficit ad diuersitatem specificam: nec potest dici unum ex unitate temporis, quia hæc simultas sufficit ad multiplicitatem specificam, & à fortiori ad numericam. num. 8.

In peccatis oppositis iustitiæ ratio peccati prouenit ab inuoluntario domini iustè possidentis rem illam. nu. 9

Qui furatur mille aureos eiusdem domini vnico furto, vnum tantum peccatum furti committit, quia vnum est inuoluntarium. eod. nu.

Peccatum in proximum habet malitiam ex deordinatione voluntatis, & ex detrimento, quod alteri infertur: prima non est contra iustitiam, secus secunda; hinc est, quod qui habet affectum occidendi totam familiam, vnum peccatum committit, cum non habeat secundam malitiam, & si primam. nu. 10.

Qui vult occidere totam familiam, vult occidere indiuidua determinata, & finita nu. 11.

Ignorantia per accidens se habet ad indiuiduanda peccata. eod. nu.

Furtum, et rapina differunt specie, quia inuoluntarij rapinæ, quod est per violentiã, differt specie ab inuoluntario furti, quod est occultè per astutiam. nu. 12.

Sacrilegia differunt specie, quia sanctitas obiectorum differt specie. nu. 13.

Sanctitas vnius Sacramenti differt numero à Sanctitate alterius Sacramenti. eod. nu.

Actio, quæ ordinatur ad aliã actionẽ peccaminosã, si non habet propriã malitiã non constituit nouum peccatum numero diuersum à peccato, ad quod ordinatur. nu. 14.

Qui sumit arma, exit domo, et equitat ad finem occidendi inimicum, et si sint tres actiones, vnum tamen peccatum committit. eod. nu.

Oscula, & tactus sunt indifferentia. eod. num.

Tactus, et oscula libidinosa, non ad finem fornicãdi, etiam si deinde sequatur fornicatio, sunt confitenda, vt peccata numero distincta ab ipsa fornicatione; secus verò si ordinãtur ad fornicationem. eod. nu.

Delectatio, quæ ex tactibus, et osculis cõsurgit, est prohibita ab ipsa natura, ne homines obliuiscantur procreationis prolis. eod. nu.

Tactus, et oscula non libidinosa, et per partes honestas, si tantum fiant ratione curiositatis citrà periculum pollutionis, et delectandi secundum Lessium, non constituunt peccatum mortale. nu. 15.

Tactus, et oscula subsequentia copulam sunt necessariò explicanda in confessione. nu. 16.

Malitia fornicationis est damnum prolis. nu. 17.

Malitia tactus libidinosi non ordinati ad copulam, differt specie à malitia fornicationis. nu. 18.

Actio peccaminosa ordinata ad aliam actionem peccaminosam constituit peccatum numero distinctum, & necessariò confitendum, vt qui furatur ad finem fornicandi &c. nu. 19.

Peccata interna multiplicãtur numero quoties actus prauus voluntatis interrumpitur per actum formalem, vel virtualem oppositum. nu. 20.

Quando prauæ voluntas interrumpitur per actum indifferentem, probabiliter numero peccata multiplicantur. nu. 21.

Tempus quo duravit peccatum interruptum, per actionem indifferentem, est confitendum. nu. 22.

RESOLVTIO XXXVI.

Vnde desumatur diuersitas specifica: Vnde numerica confitenda peccatorum?

1 REspondeo, quod desumitur diuersitas specifica ab obiecto per se volito à peccante. Diuersitas verò numerica desumitur in peccatis externis ab obiectis, et numero diuersis, vel

ab

ab actionibus peccaminosis vna post aliam factis. In internis verò multiplicantur peccata per interruptionem physicam, vel moralem ipsius actus.

1 Prima pars est D. Thomæ p. 2. q. 72. art. 1. quod scilicet diuersitas specifica peccatorũ desumatur ab obiecto per se volito à peccante, & patet nam ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio ipsius actus à recta ratione, quæ est per recessum à lege Dei: actus enim voluntarius per se comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum voluntarium exercere in tali materia: deordinatio verò per accidens se habet ad intentionem peccantis: nemo enim intendens ad malum operatur, vt inquit D. Dyonisius cap. 4. de diuinis nominibus; vnumquodq; enim consequitur speciem secundum illud, quod est per se, non autem secundum id, quod est per accidens; quia ea, quæ sunt per accidens, sunt extra rationem speciei, & ideo peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum, magis, quam ex parte inordinationis in peccato existentis. Hæc omnia D. Thomas ibi, & quum actus specificetur ab obiecto, hinc est, quod peccatum per se specificetur ab obiecto volito per talem actum: habet ergo peccatum differentiam specificam ab illo obiecto, à quo malitiam sumit, sic vouens per se intendit religionem, & religio est obiectum specificans votum: at præceptum ieiunandi, quum sit ad bonum subditi, habet pro obiecto per se temperantiam (superior enim habet potestatem constituendi specialem virtutem in præcepto,) hinc est quod præceptum ieiunandi ex voto, & præceptũ ieiunandi ex impositione ecclesiæ differunt specie, etiam si materia sit eadem.

3 Et si quæras, vnde sumant obiecta differentias specificas?

Respondeo, quod sumant à diuersis motiuis disconuenientiæ cum natura rationali in ordine ad suum finem; præcepta enim, à quibus peccata proueniunt, sunt ad tollendam disconuenientiam naturæ rationali, quæ disconuenientia est opposita rectæ rationi: igitur quando obiecta habent diuersam oppositionem, vti fornicatio, & furtum, vel diuersum modum oppositionis, vti rapina, & furtum (vtrumque enim opponitur Iustitiæ) semper differunt specie, obiectum enim, ad quod per se tendit rapina, est etiam subtractio rei alienæ inuito domino, non per astutiam, sed per vim; est igitur obiectum vtriusq; iniustum, quod includit inuoluntarium: nullus enim patitur iniustum volens, at inuoluntarium per ignorantiam, quod est in furto, & inuoluntarium per violentiam, quod est in rapina, differunt specie, & ideo furtũ, & rapina differunt specie, vt optimè D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 4.

4 Secunda pars, quod scilicet in peccatis externis, scilicet in iuramento falso, in idololatria, in homicidio, in furto, in fornicatione &c. huiusmodi, proueniat diuersitas numerica à pluralitate obiectorum, e. g. si occidas vnico ictu duos homines, quod sint duo peccata numero distincta, & consequenter confitenda, est Ferdinandi à Castropalao tom. primo tract. 2. disput. 3. punt. 3. disput. 8. Et patet, quia homicidium voluntarium est peccatum respectu Petri e. g. etiam pro vt præscindit ab homicidio respectu Pauli, ergo occisio Petri, & Pauli sunt duo homicidia numero distincta, & consequenter confitenda.

5 Nec obstat, quod sint vnum respectu vnius actus voluntatis. Quia actus ille est virtualiter muliplex, quod sufficit ad multiplicationem numericam, nam si vna voluntas virtualiter multiplex sufficit ad multiplicationẽ specificam, seu ad diuersificationem specificam, etiam secundum aduersarios, vt si inter occisos sit Præsbyter, vel Pater, etiam si vnica sit voluntas, peccatum habet diuersas rationes specificas: ergo à fortiori sufficiet ad multiplicationem

nume-

Digitized by Google

numericam, species enim ex individuis componitur.

6 Confirmatur, quia ad multiplicationem obiectorum multiplicantur passiones, ergo & actiones. Hæ enim vel non sunt distinctæ, vel dicunt ad invicem essentialem respectum; & vna occisio in casu nostro non comunicat cum alia, & vna est voluntaria sicut & alia: ergo diuersa numero peccata, & consequenter confitenda.

7 Confirmatur secundò, quia parua duratio temporis non addit, nec diminuit peccatum, vt fatentur omnes, ergo quod occisio duorum sit in vnico, & eodem instanti, vel post instans, vel post horam e. g. nihil addit supra peccatum, sed si ista duo homicidia essent patrata vnum post aliud, essent duo distincta homicidia etiam per aduersarios, & hæc successio non adderet, nisi tantum durationem occisionis, quum vulnera infigerentur vnum post aliud; ergo si tempus nihil addit, neq; minuere debet, quin sint duo peccata numero distincta, & confitenda.

8 Confirmatur tertiò, quia peccatum hoc non potest dici vnum, quia pendet ab vnico actu voluntatis, nam hæc vnitas voluntatis semper multiplicat rationem specificam, ergo à fortiori rationem numericam, quæ est sub specie. Nec potest dici vnum, ex vnitate ictus v. g. quia ictus & si vnus in essendo, est multiplex in agendo, vnde & si formaliter vnus, tamen terminatiuè est duplex, terminatur enim, & facit, id quod facerent duo ictus, quum sint duo vulnera ad duos homines. Adde, quod si ictus vnus formaliter terminetur ad duo obiecta specie distincta, non obstaret hæc vnitas ictus ad multiplicandum peccata specie diuersa: vt si simul occideret clericum & laicum; ergo à fortiori haberi potest ab hac vnitate ictus pluralitas numerica. Nec dici potest vnum ex vnitate temporis, nam si quis cum dextera occidat clericum, & cum sinistra in eodem instanti temporis occidat laicum, sunt hæc duo homicidia specie distincta, & tamen sunt patrata vno, & eodem tempore; ergo nulla vnitas potest impedire hanc multiplicationem numericam peccatorum: ergo dicendum est, quod ad multiplicationem obiectorum multiplicentur peccata numero diuersa, & consequenter confitenda.

Nec obstat dictum Ioan. de Lugo de pœnitentia disp. 16. sect. 3. n. 127. quod scilicet in nostra opinione non facilè explicatur, cur singulæ partes (hæc sũt verba de Lugo) pecuniæ furtiuæ non multiplicent etiam malitias in peccato furti, sicut distincti homines, quos aliquis vult occidere, refundunt diuersas malitias in volitionem.

9 Quia facilè explicatur, quando cognoscitur vnde proueniat ratio peccati in peccatis oppositis iustitiæ, hæc enim ratio prouenit ab inuoluntario domini iustè possidentis rem illam, propriam; vnde vbi concurrit diuersa ratio specifica voluntarij, fit diuersum specie peccatum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 66. ar. 4. ad primum, & consequenter vbi concurrit diuersa ratio numerica inuoluntarij, erunt diuersa numero peccata. Hinc est quod furando mille aureos e. g. eiusdem Domini, & si mille aurei sint materia sufficiens ad constituenda mille peccata, tamen quia non habent inuoluntarium diuersum numero, ideo peccata numero non multiplicantur. At occidendo duos, vel tres homines vnico ictu, talis actio habet triplex inuoluntarium numero distinctum, & sic tres rationes formales constituentes peccatum in esse peccati distinctas tantum numero, & ideo multiplicat numericè peccata.

Nec obstat secundò, quod dicit idẽ de Lugo loco cit. nu. 131. quod scilicet peccata, quæ à parte rei committuntur, debeant esse actu determinata, & sic quæri potest, quando aliquis vult occidere omnes homines vnius familiæ, quorum numerum ignorat, quot peccata committat? non enim committit multitudinem aliquam peccatorum

Digitized by Google

confusam, & indeterminatam, inquit de Lugo loco cit. quia omnis multitudo, quæ datur à parte rei, est determinata, & certa: ergo fatendum est committi vnicum peccatum, cum ordine ad illam multitudinem hominum, confusam, & non plura peccata distincta.

10 Non, inquam, obstat hoc dictum, nam respondeo cum D. Thom. 2. 2. q. 34. art. 4. in corpore, quod peccatum commissum in proximum habet rationem mali ex duobus: vno quidem modo ex deordinatione eius, qui peccat; per odium enim deordinatur voluntas, quæ est potissimum in homine, & ex qua est radix peccati. Alio modo ex detrimento, quod infertur ei, contra quem peccatur. Peccatum primo modo non est contra iustitiam commutativam, & ideò inuoluntarium proximi nullo modo concurrit ad constituendum hoc peccatum, & ideo mirum non est, si quando quis vult familiam occidere non determinando personas, vult tantum peccatum committere, quia tantum deordinat voluntatem: at qui vno ictu tres occidit, tunc tale peccatum non solùm habet malitiam deordinationis, sed etiam malitiam detrimenti proximi, & sic inuoluntarium ipsius proximi concurrit ad constitutionem talis malitiæ; & quum rationes constitutiuæ differant numero, etiam peccata, & si in vno actu, numero differunt; quum ergo peccatum adhuc non sit à parte rei in proximum, sed tantum affectiuè commissum, dicitur internum, & vnum tantum ratione deordinationis voluntatis, nec potest multiplicari ratione obiecti, quia pro vt stat in voluntate, stat sub vnica ratione, nempè sub ratione familiæ, & sic familia per modum vnius obiecti est offensa, & ideò tale peccatum dum est in affectu
11 dicitur vnum. Vel dic quod quando quis vult occidere omnes de vna familia, vult occidere homines determinatos illius familiæ, & quum velit nunc omnes illos occidere, & hi sunt finiti & determinati, consequenter peccata erunt finita, & determinata, terminantur enim ad terminationem illorum de familia. Nec obstat, ignorantia individuorum illius familiæ, nam ignorantia omnino per accidens se habet ad individuanda peccata, sicut si talis homicida mitteret multos homines ad occidendum omnes de illa familia, & isti de facto omnes occiderent, quis enim non videt, quod mandans tot peccata committeret, quot homines de facto mandatarij occiderent, & tamen mandans ignorat numerum occidendorum; & si vnus illorum esset presbyter, & alter Religiosus, mandans esset excommunicatus diuersis numero excommunicationibus.

Hinc manifestè colligitur regula generalis, nam quando obiectum, seu ratio constituens tale peccatum in esse peccati diuersificatur numero, tùc peccata erunt numero diuersa, & si actio vna. Quando verò obiectum, seu ratio constituens peccatum in esse peccati diuersificatur specie, tunc & si actio vna, peccata specie diuersificantur. Exemplum habes in furto, & rapina, quæ quum inuoluant essentialiter in
12 uoluntarium legitimi domini, inuoluntarium furti differt specie ab inuoluntario rapinæ, ex D. Thoma loco cit. quum inuoluntarium rapinæ sit per violentiam, & inuoluntarium furti sit occultè per astutiam, vnde peccata circa talia obiecta specie differunt: at quando quis furatur diuersis dominis, vel eidem Domino diuersis vicibus, quum inuoluntaria hæc non differant specie, ideo neque peccata circa talia obiecta specie differunt: & quum inuoluntarium furti de vno aureo, e.g. nō differat specie ab inuoluntario furti de mille, nam magis, & minus non variant speciem, ideò furtum de mille non differt specie, sed tantum numero à furto de vno aureo.

13 Sic etiam de sacrilegio, nam ratio constituens sacrilegium est irreuerentia circa res sacras, vnde obiectum sacri-

Digitized by Google

crilegij est res sacra, & quia rei sacræ debetur reuerentia ratione sanctitatis, & sanctitas differt specie ex D.Thoma 2.2.q.99.art.3.in corpore,ideo peccata sacrilegij specie differunt ad differentiam specificam sanctitatum. Sanctitas enim, vel est in personis sacris, idest cultui diuino dicatis, vel in locis sacris,vel in rebus quibusdam alijs sacris. Sanctitas locorum ordinatur ad sanctitatem hominum, qui in loco sacro cultum Deo exhibent. 2.Macab.5. Est tamẽ & alia sanctitas effectiua,quæ inuenitur in sacramentis, quæ sanctitas, & si respectu sacramentorum specie non differat, tamen differt specie respectu aliarum sanctitatum.Hinc est quod quando hæc sanctitas in obiecto multiplicatur numero, tunc numero multiplicatur peccata: sic qui diuersa sacramenta ministrat eodem tempore, tunc tot peccata committit, quot sacramenta ministrat, nam sanctitas huius sacramenti differt numero à sanctitate alterius sacramenti,& sic irreuerentia circà hoc sacramentum differt numero ab irreuerentia circà aliud sacramentum. Quando verò sanctitas differt specie, actus peccaminosus etiã differt specie. Sic qui occidit clericum in ecclesia, committit duo sacrilegia specie diuersa, nimirum respectu loci, quum irreuerẽter tractet sanctitatem loci, cui reuerẽtia debetur in sanguinis, & seminis effusione ex præcepto ecclesiastico; & alterum sacrilegiũ respectu personæ,quũ irreuerenter tractet sanctitatem personę ecclesiasticæ, quæ specie differt à sanctitate loci.

14 Tertia pars, quod scilicet quando actiones sunt distinctæ, & vna est facta post aliam,constituant peccata numero diuersa, & si habeant vnicum tantum actum voluntatis, explicatur simul, & probatur. Nam hoc potest dupliciter contingere, vel quod actus, qui ordinatur ad alium actum peccaminosum, non habeat aliam malitiam,quam malitiam obiecti; vel habet propriam: si enim vna actio ordinatur ad aliam actionem,& in se actio, quæ ordinatur non habet aliam malitiam intrinsecã, & essentialem,nisi ab obiecto, seu ab operante, tunc semper erit vnum peccatum,& si sint plures actiones,e.g.qui sumit arma, exit domo, equitat ad finem occidendi inimicum. Cum omnes istæ actiones sint indifferentes, & non habeant aliam malitiam, nisi ab obiecto, seu à praua voluntate operãtis, seù ordinãtis ipsas actiones ad vindictam, tunc omnes istæ actiones cum ipso homicidio vnum tantum peccatum componunt.Sic oscula, & tactus mulieris sunt indifferentia ex natura sua,cum possint cohonestari,vel à consuetudine patriæ,vel à necessitate, vel ab alia honesta causa, vt optimè D. Thomas 2.2. q. 154. art. 4. Vndè qui osculatur mulierem,& ipsam tangit ad finem fornicandi vnum tantum peccatum committit, cum ista oscula, & tactus recipiant malitiam in ordine ad fornicationem,ad quam ordinantur ab operante. At qui libidinosè tantùm tangit, & osculatur mulierem,non ad finem fornicandi, sed ob illam libidinosam delectationem tantùm; si deindè fornicetur, committit duo peccata numero distincta,& confitenda,vt optimè Valquez de pœnitentia quæst. 91. art.1.dub. 5.num. 27. Hurtadus de sacramento pœnitentiæ disp.9.difficult. 6.Ioannes de Lugo disput.16.sect.14. num.556.Diana 4.par.resol.205. Et ratio est, quia tunc oscula. & tactus habent aliam malitiam independenter à malitia simplicis fornicationis, quia malitia tactus est non solum expositio periculi ad fornicandum,vel ad semen emittendũ, sed etiam est ipsa delectatio libidinosa,quæ ex tactibus istis cõsurgit, quæ est prohibita ab ipsamet natura, ne scilicet homines de istis delectando obliuiscantur procreationis prolis.

15 Dixi tactus, & oscula libidinosa, nã si libidinosa non sint, sunt indifferentia, & sic licita quando nullum adest periculum pollutionis voluntariæ. Sic

Digitized by Google

Chyrurgo licitum est tangere partes pudendas mulieris ad finem medendi, vt omnes concludunt. Immò Lessius dixit lib.4. de Iust. cap.3.dub.8.num. 62.quod tangere partes pudendas mulieris ob meram curiositatem citra periculum pollutionis, non est peccatum mortale.

16 Hinc fateor, me non intelligere quo modo possit loqui cohærenter, qui dicit, quod tactus, & oscula, quæ antecedunt copulam, si non sint ad finem copulandi, sed ob ipsam libidinosam delectationem sint confitenda, etiam si copula sequatur, & tactus, & oscula subsequentia copulam non esse explicanda in confessione. Nam tactus, & oscula subsequentia, vel appetuntur vt dispositiones, & quum semen sit iam emissum, & copula completa, si disponunt, disponunt ad aliam nouam copulam, & ab illa nouam malitiam sumunt, & consequenter sicut semination prima non coalescit in vnum cum secunda, ita nec dispositiones vnius copulæ coalescunt in vnum cũ dispositionibus alterius. Vel oscula, & tactus appetuntur ratione delectationis libidinosæ, quam in se habent, & tunc quũ habeant distinctam malitiam ab ipsa copula, & si sic præcederent, essent confitenda: à fortiori ergo si subsequuntur. Vel sunt peccaminosa ratione periculi, & quia periculum primæ pollutionis est iam completum, oscula, & tactus erunt peccaminosæ ratione periculi alterius pollutionis, & ab hac sument malitiam, & sic quum nouam habeant malitiam, erunt etiam confitenda.

Nec valet dicere, quod sint complementa actus antecedentis.

17 Nam contra est, quia quid complere debent in fornicatione iam completissima? malitia enim fornicationis est damnum prolis, iam damnum prolis est perfectè sequutum sine illis tactibus, & osculis subsequentibus: ex nullo ergo capite video tactus, & oscula illa subsequentia non esse confitẽda. Igitur sunt necessariò cõfitenda, vt optimè Vasquez de pœnitentia q. 95.art.1.dub.5.num.27. Coninch disput.7.de integritate confessionis dub. 7.num.59. Hurtadus de sacramentis disp.9.de pœnitentia difficult.6.

18 Nec valet dicere, quod oscula, & tactus subsequentia cum ipsa copula censeantur vnum peccatum moraliter. Quia contra est, nam ignoro vndè possit oriri talis vnitas, quum delectatio, seu malitia tactus libidinosi differat specie à malitia fornicationis, vt etiam de Lugo concedit disp.16. sect. 5.num.242. hæc enim tendit per se ad offendendam prolem futuram, vt optimè D.Thomas 2.2. quæst. 154. & sic cõtra iustitiam. At verò tactus, & oscula libidinosa si appetantur secundum se, habent pro obiecto per se intento delectationem ipsam indè surgentem, quæ à natura prohibita est, ne negligatur generatio prolis; si enim specie differunt, quomodo possunt coalescere in vnum moraliter, non cognosco.

19 Si verò actio, quæ ordinatur ad aliã actionem peccaminosam, habet aliam malitiam distinctam à malitia obiecti, nunc semper erunt duo peccata necessariò confitenda. Patet hoc ab exemplo supra adducto de volente tactus & oscula vt distincta à fornicatione, qui si deindè fornicetur, duo peccata committit, ambo in confessione explicanda, vt dixi cum Vasquez, Diana, Hurtado, & Lugo: vel qui furatur ad finem fornicandi, & si furtum ordinet ad fornicationem, quia furtum habet distinctam malitiam à fornicatione, ideo duo peccata committit specie differentia, & confitenda.

20 Quarta pars, quod scilicet in peccatis merè internis, quæ consumantur in ipsamet voluntate, multiplicentur eorum malitiæ, quando interrumpitur actus voluntatis, vel per actum formaliter oppositum, vel virtualiter tantùm, patet. Quia secundus actus est formaliter distinctus à primo, & inter ipsos actus peccaminosos intermediat

actus

actus virtutis, qui maximè impedit vnitatem moralem.

21 Difficultas tamen maxima est inter Doctores, an quando praua illa voluntas interrumpitur per actum indifferentem, vel per distractionem, peccata numero multiplicentur. Canus in relectione de Pœnitentia p. 5. dicit non multiplicari. Idem sentit Ioannes de la Crux in directorio conscientiæ part. 2. de Sacramento pœnitentiæ q. 3. dub. 6. Petrus Fay disp. de pœnitentia in additione ad tertiam partem D. Thomæ q. 6. ar. 2. disp. 5. ad quartum. Idem etiam sentiunt alij Doctores apud Dianam par. 3. tract. 4. resol. 95. Vasquez verò de pœnitentia q. 91. art. 1. dub. 5. nu. 10. Suarez loc. cit. sect. 5. nu. 17. & 18. Cominch disp. 7. dub. 7. nu. 151. dicunt multiplicari numero. Vtraq; opinio est probabilis. Aduerte tamen, quod hæc quæstio videtur potius de nomine, quã de re, vt inquit Ioãnes de Lugo disp. 16. sect. 14. nu. 164. nam tam prima, quam secunda opinio fatetur confitendum esse tempus, quo illud peccatum durauit ita interruptum per actum indifferentem: secunda verò sententia dicit, quod ratione impossibilitatis ad explicãdum tot interruptiones, pœnitens satisfaciet explicando tantum tempus durationis.

SVMMARIVM.

Circumstantiæ peccatorum notabiliter aggrauantes probabiliter non sunt confitendæ. nu. 1.

Ex Concil. Trid. sunt confitenda peccata mortalia, & circumstantiæ, quæ mutant speciem peccati tantum. nu. 2.

Patres Concilij Trid. non manifestè deprompserant, ex verbis Christi & institutione Sacramenti pœnitentiæ circumstantias peccatorum notabiliter aggrauantes esse confitendas. nu. 3.

Quando dubitamus, an lex obligat, non tenemur ad legem. eod. nu.

Vnusquisque fidelium tenetur confiteri peccata mortalia secundum speciem & numerum. nu. 4.

Si pœnitens teneretur confiteri circumstantias notabiliter aggrauãtes, teneretur etiam confiteri circumstantias notabiliter minuentes. nu. 5.

Teneretur etiam confiteri circumstantias durationis, intentionis &c. huiusmodi, cum hæ respondere possint pluribus peccatis mortalibus. nu. 6.

Pœnitens confitendo circumstantias mutantes speciem, explicat essentiam peccati, & consequenter, quod per se spectat ad peccatum. At si non confitetur circumstantias aggrauantes, non explicat aliquid extra essentiam peccati. nu. 7.

Qui non explicat numerum peccatorum, explicat sub dubio peccata certò commissa. nu. 8.

Qui nõ explicat circumstantias aggrauantes, nullum peccatum inexplicatum relinquit, nec sub dubio quod est certò commissum. nu. 9.

Moles physica, seu materialis peccati impertinenter se habet ad rationem peccati, quæ consistit in difformatione à recta ratione. nu. 10.

Ecclesia aliquando reseruat peccata ratione circumstantiæ nec etiam aggrauantis. nu. 11.

Qui commisit furtum quantitatis notabilis, & notabiliter aggrauantis, si confiteatur commisisse furtum de decem carolenis e. g. relicto furto à se commisso, confiteretur furtum à se non commissum, & consequenter confessio esset nulla. nu. 12.

RESOLVTIO XXXVII.

An circumstantiæ peccatorum notabiliter aggrauantes sint confitendæ?

1 REspondeo, probabile esse confessionem fieri non debere de circumstantijs peccatorum etiam notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem. Ita D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. ar. 2. quæstiun. 5. Vasquez 3. p. q. 91. ar. 1. dub. 2. & 3. Lessius de iustitia, & iure lib. 4. cap. 3. dub. 12. n. 8. Ioannes Sanchez disp. 15. nu. 6. Fagundez

de

de præceptis ecclesiæ lib. 4. c. 2. n. 6. in fine. Diana 1. par. tract. 7. resolut. 1. Ioannes de Lugo de pœnitentia disp. 16. sect. 3. per totam, & alij apud citatos auctores.

2 Probatur primò ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. vbi dum Concilium vult explicare quæ sint necessariò confitenda, declarat quod sint necessariò confitenda peccata mortalia, & loquens de circumstantijs in confessione necessariò exponendis, semper addit particulam limitatiuam, scilicet circumstantias, quæ mutant speciem peccati: ergo dum has tantum includit necessariò cõfitendas, signum est manifestum alias circumstantias excludere à necessitate confitendi, aliter enim defecisset Concilium in explicando circumstantias necessariò confitendas.

Nec valet dicere, quod Patres Concilij voluerunt tradere doctrinam certam, & abstinere ab incertis, & opinabilibus inter theologos.

Quia contra est, tum quia Concilium addidisset particulam, Saltem, dum circumstantias necessariò confitendas explicabat, dicendo esse obligationem confitendi saltem circumstantias mutantes speciem, & sic non exclusisset alias circumstantias: tum quia manifestè colligimus ex hac responsione, Patres Concilij non manifestè depromere ex verbis Christi, & Sacramenti institutione obligationem confitendi has circumstantias notabi-
3 liter aggrauantes, ergo lex Christi de confessione non est clarè promulgata circa circumstantias aggrauantes intrà eandem speciem: sed quando dubitamus an lex obliget, tunc non tenemur ad legem, vt optimè probat Thomas Sanchez lib. 1. summæ cap. 10. n. 32. semper enim est interpretatio facienda contrà eum, qui potuit ius clarè dicere, & non dixit: ergo præceptum confessionis non obligat ad confitendum circumstantias aggrauantes intra eandem speciem.

4 Confirmatur, quia vnusquisq; fidelis tenetur confiteri peccata mortalia ex præcepto secundum speciem, & numerum: sed qui tacet circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, confitetur omnia, & singula peccata secundum speciem, & numerũ, vt patet, nam peccatum est factum, dictum, vel cogitatum contra legem Dei; ergo pœnitens non tenetur confiteri has circumstantias aggrauantes, quum ex nullo capite colligi possit tale præceptum.

5 Probatur secundò, quia si tenetur quis confiteri circumstantias aggrauantes, tenetur etiam dicere circumstantias minuentes, nam non minus pœnitens debet esse fidelis in non minuendo, quàm in non aggrauando, ne iudicium confessarij decipiatur: sed nemo dixit, quod quis teneatur dicere circumstantias minuentes peccatum, ergo neq; dicendum erit, quod quis teneatur confiteri circumstantias aggrauantes.

6 Confirmatur, quia si tenetur confiteri pœnitens circumstantias aggrauantes, teneretur etiam confiteri circumstantias durationis, intensionis, & cætera huiusmodi. Patet hoc, nam sicut tenetur pœnitens per aduersarios explicare quantitatem furti, ex eo quia quantitas maxima furti correspondet pluribus furtis, ita explicanda erit duratio, & intensio actus, quia duratio maxima correspondet durationibus plurium peccatorum, sicut etiam intensio maxima.

Obijc. primò, rationes assignitæ à Tridentino loco citato, cur conditiones mutantes speciem sint confitendæ, æquè procedunt in his conditionibus, ac in conditionibus notabiliter aggrauantibus, ergo si illæ sunt confitendæ, etiam istæ confitendæ sunt. Antecedẽs probatur, quia rationes assignatæ à Cõcilio sunt, tum quia sacerdos Iudex est, atq; adeo non potest iudicium exercere, si causam non cognoscat: tum quia peccata non integrè exponerentur, nec

inte-

Digitized by Google

integrè iudici innotescerent: tum quia sacerdos non potest de illis, aut de eorum gravitate censere, nec potest servare æquitatem in pœnis pro peccatis injungendis. At nec causam iudex cognosceret, si non cognosceret delictum secundum gravitatem, nec peccata ipsi iudici integrè innotescerent sine conditionibus notabiliter aggravantibus; nec posset sacerdos de eius gravitate iudicium ferre, nec pœnitentiam injungere secundum gravitatem peccati: ergo vtrobiq; par ratio: & consequenter tam conditiones mutantes speciem, quam notabiliter aggravantes sunt confitendæ.

7 Respondeo cum Ioanne de Lugo loco citato n. 115. quod rationes illæ non æquè procedunt in vtrisque circumstantijs; nam si æquè procederent, non limitasset concilium necessitatem confitendi tantum ad peccata mortalia, & ad circumstantias mutantes speciem, loquutum enim fuisset de vtrisq; sine limitatione. Ratio igitur diversitatis inter illas circumstantias hæc est, quia scilicet si non explicantur conditiones mutantes speciem, non explicatur qualitas peccati, nam qualitas peccati sumitur ex ratione specifica ipsius; ergo his explicatis, declaratur essentia peccati, ergo reliqua sunt extra essentiam peccati, & sic reputantur accidentia peccati, logicè loquendo. Vt qui e.g. dicit se cõmisisse furtũ grave, iam explicat suum peccatum, & integrè quidem, cum explicet totam suam essentiam specificam quoad genus, & differentiam vltimam, quam differentiam si non dixisset, non explicasset integrè peccatum. Quum ergo declaretur essentia peccati, etiam non declaratis conditionibus notabiliter aggravantibus, & non declaretur essentia peccati non declaratis circumstantijs mutantibus speciem: hinc est quod hæ, & non illæ sunt confitendæ, & sic prima ratio Concilij procedit ad explicandum has, & non illas.

Dices: ergo ex institutione huius Sacramenti colligi non potest obligatio explicãdi numerum peccatorum, nam sicut confitendo furtum in confuso, explicatur sufficienter illud peccatum, sic dicendo commisi plura furta, per hanc confessionem verè, & propriè sunt explicata peccata, licet non explicetur eorum numerus distinctus.

8 Respondeo negando paritatem, & disparitas est, quia vnusquisq; tenetur confiteri sua peccata certa, quæ certò scit commisisse: si enim non explicetur numerus peccatorum, iam non explicantur vt certa, quæ sunt certa, nam qui dicit se commisisse furta, iam vt certum non dicit, nisi duo, vel tria furta, & sic quartum furtum v. g. remanet sub dubio, quum sit certò commissum: & si essent plura tanto magis manerent inexplicata, igitur taliter confitendo confiteretur vt dubium id quod est certum, quod esset contra rationem iudicij, vt suppono.

Dices secũdò: ergo propter eandem rationem sunt explicandæ conditiones aggravãtes notabiliter, nam qui dicit, Commisi grave furtum, tantum confiteretur vt certum furtum quatuor, vel quinq; carolenorum, aliã verò quantitatẽ furti confiteretur vt dubiã, quum sit certa, ergo vtrobiq; par ratio: sic etiã de intensione odij, nam qui confitetur habuisse odium, confitetur vt certum primum vel secundum gradum odij, alij vero gradus exponerentur vt dubij.

9 Respondeo negando sequelam, & ratio negationis patet ex dictis, nam qui non explicat numerum peccatorum, non explicat certò quartum, & quintum furtum, sed duo, vel tria tantum, quæ sunt distincta à quarto, & quinto, & sic non explicat omnia peccata, quum reliqua & si certa, remanẽt explicata vt dubia; & quum sint determinata, explicantur vt indeterminata. At qui non explicat quantitatem furti, vel durationem, aut intensionem odij, nullum peccatum relinquit non explicatum certum, nam totum illud furtum

Digitized by Google

est vnum, & idem peccatum, & sic nullum peccatum à se commissum cælat, & sic satisfacit qui non explicat numerum peccatorũ. Et hinc patet, quod non procedit secunda ratio Concilij in conditionibus aggrauantibus, sicut procedit in mutantibus speciẽ. Quum enim sacerdos cognoscit rationem specificam, statim fert iudicium, quod illud peccatum sit indiuiduum illius speciei scilicet furti, vel rapinæ &c. & sic si ignorat rationem specificam, ignorabit simpliciter peccati grauitatem; quum ignoret cuius speciei sit indiuiduum, nam sicut ignorata specie ignoratur simpliciter peccatum, ita ignorato simpliciter peccato ignoratur eius grauitas. Quod verò non cognoscatur tota grauitas indiuidualis distinctè, nõ facit ad distinguẽdum lepram à lepra, quam sacerdos tantum vt iudex distinguere debet. Quod verò sit indiuiduum tantæ, vel tantæ molis physicæ, impertinenter se habet ad rationem peccati, nam peccatum consistit in difformitate à recta ratione, quæ formaliter ita habetur à tanta, sicut à minore quantitate physica, vt patet; furtum enim ideo dicitur malum, quia se opponit iustitiæ, quod verò opponatur cum tanta, vel tanta quantitate, est omnino accidentale ad rationem peccati. Sacerdos ergo vt iudex potest iudiciũ ferre de peccato, cognita eius ratione specifica, etiam si non cognoscat totam suam rationem indiuidualem, iudicat enim adulterium, non intensionem adulterij; iudicat etiam furtum, non verò qnantitatem furti, & sic de alijs: quãtitas enim furti debetur de iure gentium, etiam si confessarius nullo modo cogitet de restitutione. Et hinc manifestè patet, quod tertia ratio Concilij nõ procedit in conditionibus aggrauantibus, nam pœnitentia debet esse proportionata furto, non verò quantitati furti, nam quantitas maior obligat ad maiorem restitutionem de natura sua, & non ex impositione confessarij: iudicat etiam confessarius adulterium, non verò intensionem amoris, cum qua est patratum; aliter enim deberent pœnitentes confiteri etiam conditiones minuentes, vt pœnitentiæ essent proportionatæ intensioni, vel extensioni actus peccaminosi, vt dixi.

Obic. secundò, ecclesia reseruat aliquando peccatum ratione circumstantiæ aggrauantis tantum, nempe incestum in primo, vel secundo gradu; furtum tantæ quantitatis &c. ergo conditiones aggrauantes sunt confitendæ.

11 Respondeo, quod ecclesia reseruat aliquando peccata mortalia ratione alicuius circumstantiæ non aggrauantis, vti furtum bonorũ naufragantium; quod enim bona sint naufragantium nihil addit in furto, nec specificum, nec aggrauans, & tamen talis conditio tunc est confitenda, per accidens, nempe ratione excommunicationis, vel reservationis: at per se non esset confitenda, etiam in opinione aduersariorum.

Obijc. tertiò, si non teneretur pœnitens confiteri conditiones aggrauantes, posset interrogatus à confessario de illis æquiuocare, posset enim pœnitentens dicere, commisi furtum de peccato mortali, & si confessarius interrogaret de quantitate, posset respondere de quinque carolenis, etiam si furtum fuerit de mille aureis.

12 Respondeo cum Vasquez loco cit. q. 91. ar. 1. dub. 3. quod qui taliter cõfitetur, diceret furtum non commissum, & celaret furtum commissum: non potest igitur hoc facere, quia sic non confiteretur peccatum commissum, nam licet non teneatur explicare distinctè suum peccatum in indiuiduo secundum se totum, tenetur tamen nõ supponere vnum peccatum pro alio. Sic qui confitetur occidisse Petrum tempore quo occidit Paulum, non cõfitetur validè, quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit.

Digitized by Google

SVMMARIVM

Confessio ex fine extrinseco venialiter tantum malo sufficit in Sacramento pœnitentiæ pro materia. nu. 1.

Dolor internus, quia est à voluntate volitus remanet liber, etiam si ipsi dolori præcedat actus imperij, & habeat propriam malitiam independenter ab actu imperante nu. 2.

Actus vanæ gloriæ potest imperare actum charitatis Dei. eod. nu.

Implicat perseuerantia propositi seruandi omnia præcepta cũ omissione obseruantiæ illorũ. nu. 3.

Actus internus voluntatis semper perseuerat vsq; dum non interrumpatur per actum oppositum, vel signatè, vel exercitè. eod. nu.

Confessio facta de peccatis venialibus vnius speciei, si sit imperata ab actu malo eiusdẽ speciei, non sufficit pro materia Sacramenti pœnitentiæ. nu. 4.

Confessio Sacramentalis est accusatio sensibilis propriorum peccatorum ad finem obtinendi veniam virtute clauium. nu. 5.

Peccatum veniale non impedit gratiam Sacramentalem. eod. nu.

Qui confitetur ob vanam gloriam non excludit positiuè à sua confessione finem principalem ipsiusmet confessionis. nu. 6.

Sacerdos, qui principaliter celebrat pro stipendio si debitè celebrat, non peccat. Sicut nec peccat, qui eucharistiam sumit in paschate principaliter vt non sit interdictus. Nec etiam qui matrimonium contrahit principaliter ad honorem, vel diuitias obtinendas. eod. nu.

Qui vult dare efficaciter eleemosynam, & mittit manum in crumenã, & pecuniam nõ inuenit, non habet minus meritum, quam qui de facto illam inuenit, & tribuit. nu. 7.

Actus externus si nullam habet connexionem cum actu interno, non habet etiam malitiam, nisi actus imperantis, at si habet connexionem physicam vel moralem cum actu interno, ab hoc desumit meritum, & demeritum, non verò ab actu imperante. eod. nu.

Confessio imperata ab actu mortaliter malo non potest sufficere in Sacramento pœnitentiæ; tum quia non adest verus dolor de peccatis; tum quia deest propositum non peccandi nu. 8.

RESOLVTIO XXXVIII.

An confessio facta ex fine extrinseco malo tantum venialiter sufficiat in Sacramento pœnitentiæ?

1 REspondeo, confessionem ex fine extrinseco malo tantum venialiter, scilicet, ob vanã gloriam, sufficere in Sacramento pœnitentiæ. Ita Sotus in 4. dist. 18. q. 31. art. 3. ad tertium Vasquez 3. p. q. 92. art. dub. 2. nu. 2. Pro probatione

Suppono primò, hic nos nõ loqui de dolore, cuius est signum sensibile confessio, sed loqui de confessione Sacramentali supra explicata. Dolor enim internus imperatus, quum retineat propriam libertatem, habet propriam malitiam, & bonitatem independenter ab actu imperante: quando enim voluntas ex desiderio pœnitentiæ e. g. imperat actum dilectionis Dei, non aliter concurrit actus pœnitentiæ ad actum dilectionis, nisi impellendo intellectum, vt applicet motiua ad actum dilectionis excitandum, quibus motiuis applicatis adhuc est in potestate voluntatis non elicere dilectionem Dei: quare si eliciatur, habebit suam libertatem, & moralitatem diuersam à moralitate pœnitentiæ. Hæc doctrina deducitur ex Vasquez 1. 2. q. 51. cap. 5. & disp. 53. cap. 1. & 2. & disp. 73. cap. 10. vnde si appetitus vanæ gloriæ venialiter tãtum malus imperabit actũ dilectionis Dei, hic actus habebit suã bonitatem independenter à malitia actus imperantis, & sufficiet ad gratiã, quæ à defectu veniali impedimentum non recipit.

Nec obstat contra hanc doctrinam sequela Ioannis de Lugo de pœniten-

Digitized by Google

tiæ disp. 15. sect. 9. nu. 196. quod scilicet posset aliquis habere propositum implendi omnia præcepta Dei, & stante, ac perseuerante hoc proposito, ac occurente occasione seruandi aliquod præceptum, posset illud omittere. Probat sequelam, quia illud propositum est quoddam imperium implicitum eorum actuum, qui necessarij fuerint ad seruanda præcepta: sed stante imperio potest non poni actus imperatus per nos; ergo stante, & perseuerante illo proposito potest violari aliquod præceptum; consequens autem est satis absurdum, & contra mentem Concilij Tridentini sess. 14. cap. 4. vbi motum attritionis veræ dicit esse talem, vt omnem voluntatem peccandi excludat.

3 Non inquam obstat hæc sequela, quia implicat, quod perseueret propositum obseruandi omnia præcepta, & omittatur obseruantia illorum, eo enim ipso quod omittitur, per actum voluntarium omittitur: si per actum voluntarium, ergo illud propositum obseruandi omnia iam est interruptum, & consequenter amplius non perseuerat: actus verò internus dicitur perseuerare vsq; dum voluntas non facit actum oppositum, vel signatè, vel exercitè, vt patet in contritione, & in omnibus alijs actibus internis; non igitur perseuerat propositum seruandi omnia præcepta, & simul sit oppositum, est enim secundus ille actus oppositus etiam à voluntate, sicut fuit actus imperij, & consequenter sicut hic fuit actus imperans à voluntate, sic potuit secundus actus ab eadem voluntate tollere huic actui imperanti ipsummet imperium; actus enim imperans quum fuerit à voluntate, & liberè, non potuit tollere voluntatem ipsimet voluntati. Itaque liberā amplius non esset in secundo actu, nam si voluntas amitteret libertatem, amitteret actionem actus liberi, liberè eliciti ab ipsamet voluntate; at nō pōt intelligi quomodo actus liber à voluntate factus libertatem tollat ipsimet volnutati. Meritò igitur dicendum est cum Vasquez, actum internum imperatum habere propriam malitiam, vel bonitatem independenter ab actu imperante. Id verò de quo loquimur in præsenti dicto est tantum, quod confessio sensibilis, seu Sacramentalis modo explicato dub. 14. facta ob vanam gloriam, seu ob alium finem extrinsecum malum tantum venialiter sufficiat in Sacramento pœnitētiæ.

4 Suppono secūdò, nos hic non loqui de cōfessione facta de venialibus vanæ gloriæ tantum, vel illius finis mali secundum speciem, vel numerum, prætensi in ipsamet confessione, tunc enim confessio illa connotans dolorem internum deficeret in proposito amplius non peccandi saltem de illa specie venialium, de qua facit confessionem: sed supponimus confessionem illam, vel esse de mortalibus, vel venialibus alterius speciei. His positis, & explicatis

Probatur responsio, nam quando appetitus vanæ gloriæ, vel alterius actus voluntatis imperat confessionem extrinsecam, vel vult confessionem Sacramentalem, vel non: si non vult confessionem Sacramentalem non sumus in casu, quia confessio non Sacramentalis non sufficit in Sacramento pœnitentiæ etiam præcisa vanagloria: si vult confessionem Sacramentalem, ergo vult confessionem cum debito fine intrinseco honesto, & cum alijs partibus intrinsecè, & essentialiter ipsam confessionem Sacramentalem cōponentibus, modo, quo explicauimus supra vult ergo tale imperium confessionem, quæ sit accusatio sensibilis propriorū peccatorum, ad finem obtinendi veniam virtute clauinm, ergo vult confessionem cum proprio fine honesto, ipsam intrinsecè specificante, & cum propria libertate independenter intrinsecè, & essentialiter ab actu imperante: ergo hæc confessio pro vt dicit suas partes essentiales intrinsecè ipsam componentes, sufficit in Sacramento pœnitentiæ.

Nec

Digitized by Google

Nec obstat finis extrinsecus, seu actus imperans venialiter tantum, malus; Quia veniale peccatum non impedit gratiam Sacramentalem.

6 Confirmatur, quia talis pœnitens non excludit positiuè à sua confessione finem principalem ipsiusmet confessionis Sacramentalis, nolendo illum, & si non vtatur principaliter tali fine dum confessionem elicit: sed nullum habemus præceptum vtendi fine principali Sacramentorum principaliter, vt patet, quum nullibi sit tale præceptum expressum; qui enim principaliter missam celebrat pro stipendio, si debitè celebrat, non peccat, & sacrificium est validum: qui eucharistiam sumit in Paschate principaliter vt non sit interdictus, præcepto satisfacit, & nullo modo peccat: qui matrimonium contrahit principaliter ad honorem, vel diuitias acquirendas, nullum peccatum committit, vt optimè Coninch disp. 25. dub. 2. ergo etiam confessio ob vanam gloriam sufficit in Sacramento pœnitentiæ.

Obijc. actus exterior imperatus ab actu interiori, seu voluntate non addit nouam malitiam, vel bonitatem, nec nouum meritum, vel demeritum supra actum interiorem imperantem per se loquendo, quia posito actu interno, & voluntate omninò efficaci, actus externus necessariò procedit sine nouo exercitio libertatis: eodem enim modo, immò multò magis obediunt potentiæ exteriores interioribus, ac bruta homi nibus; non enim meritum, vel demeritum augetur, quia equus mouetur quo ego volo, & ita etiam si moueatur pes, manus &c. sed confessio sensibilis est actio externa; ergo confessio sensibilis erit meritoria, vel demeritoria ab actu interno imperante; sed actus internus imperans est vanagloria, ergo confessio externa habebit demeritum, seu in ratione moris erit defectus vanægloriæ; ergo non poterit eleuari ad producendam gratiam vel moraliter, vel physicè.

7 Resp. distinguẽdo maiorem, Actus externus, qui nullã dicit essẽtialẽ cõnexionẽ physicè, vel moraliter cum actu interno, nõ habet propriam malitiam, vel bonitatem, nec auget meritum, vel demeritum actus imperãtis, vltrò conceditur, non enim minus habet meritum per se qui vult efficaciter eleemosynam, si mittat manum in crumenam, & pecuniam non inueniat, ac de facto, qui illam inuenit, & tribuit; sicut non habet maius demeritum per se, qui sagittam mittit cum animo occidendi, & de facto occidit, & qui mittit cum animo occidendi, & de facto non occidat. Actus externus, qui habet essentialem connexionem cum actu interno non habet aliam bonitatem, vel malitiam, quã actus interni imperantis, negatur; nam habet suam malitiam, & bonitatem ab actu interno, ipsum intrinsecè componente, non verò ab actu imperante, nam post imperium adhuc remanet liber homo ad faciendum actum ob finem honestum, vel non honestum: confessio enim Sacramentalis, & si sit actus externus, tamen componitur ab actu interno, nempè ab intentione, seu à fine recipiendi veniam per virtutem clauium, & ab animo accusandi se ipsum: quod si hoc fine careat, non erit confessio Sacramentalis, seu sufficiens in Sacramento pœnitentiæ; & hic dicitur finis intrinsecus, ipsam confessionem Sacramentalem intrinsecè componens, & quum confessio Sacramentalis dicat essentialiter hunc finem intrinsecum, ab hoc meritum desumit, non verò ab actu imperante. Et si igitur actus intrinsecus imperans confessionem sit vanægloriæ, tamen confessio secundum quod dicit suum finem intrinsecè ipsam componentem, mala non est, & secundum hanc rationem eleuatur ad producendam gratiam, vnde confessio non est vanagloria, sed cum vanagloria, meretur igitur pœnam non secundum se, sed respectu vanægloriæ, quam concomitantem dicit, quæ quum sit venialiter tantum,

Digitized by Google

mala, non impedit gratiam à Sacramento pœnitentiæ producendam.

Obijc. secundò, quia si confessio habet suam malitiam, & bonitatem independenter ab actu imperante, igitur etiam si actus imperans erit mortaliter malus, non impediet sufficientiam confessionis in Sacramento pœnitentiæ.

8 Respondeo cum Soto in 4. dist. 18. q. 3. ar. 3. ad tertium, negando consequentiam, quia quando adiungitur finis extrinsecus mortalis in confessione, tunc non adest verus dolor de peccatis, neque adest propositum non peccandi, & sic non potest esse vera confessio Sacramentalis, quum non possit significare dolorem intrinsecum, nec potest esse Sacramentum confessionis, quia non habet propositum non peccandi, &c.

SVMMARIVM.

Satisfactio potest significare reparationem in bonis, vel fama: reparationem maiestatis, seù auctoritatis læsæ: & reparationem amicitiæ læsæ. nu. 1.

Satisfactio amicitiæ læsæ, & maiestatis læsæ differunt, quia prima requirit actum liberum offensoris, secunda potest esse cum actu libero, & sine; & si dicatur satis passio, quãdo coactè fit. nu. 2.

Vnico actu læditur auctoritas, & amicitia superioris; Non tamen vnico actu satis fit vtriq; nu. 3.

Peccator peccando Deum non ladit, sed eius amicitiam, & iustitiam; pro læsione amicitiæ non potest Deo homo satisfacere; restituta tamen amicitia Dei potest ipsi Deo ad æqualitatem satisfacere pro iustitia læsa. nu. 4.

Satisfactio Sacramentalis est recompensatio ex opere operato pœna temporali Deo debita, ratione offensæ præteritæ, iudicio confessarij taxata. nu. 5.

Satisfactio quæ non est taxata à confessario, non est Sacramentalis. eod. nu.

Satisfactio est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, sed non causat gratiam sanctificantem ex opere operato. num. 6.

Satisfactio deseruit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem pœnæ temporalis proueniens ex culpa. nu. 7.

Totum potest consistere sine suis integralibus, & si minus perfectè. nu. 8.

Sacramentum pœnitentiæ in tantum debet conferre gratiam, in quantum delet culpam mortalem, quæ lege ordinaria non remittitur sine gratia. nu. 9.

Sicut Sacramentum, ita & pars ipsius, quod significat producit. nu. 10.

Si satisfactio causaret aliquod augmẽtũ gratiæ iustificantis, iustificaret impium attritum. nu. 11.

Pars Sacramenti, sicut & Sacramentum ipsum non potest producere effectum, ad quem significandum non est institutum. nu. 12.

Remissio pœnæ non est ablatio culpæ, nec gratia habitualis, sed est quoddã cõplementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ. nu. 13.

Satisfactio tollit reatum pœnæ debitæ ex culpa, & ideo est pars Sacramenti. eod. nu.

Si satisfactio adæquata præcedat Sacramentum pœnitentiæ, Sacramentum producit maiorem effectum, non quia satisfactio præcessit, vt pars Sacramenti, sed vt dispositio ad Sacramentum. nu. 14.

Pœnitentia satisfactoria habet remittere pœnam temporalem ex opere operato; mederi verò, & curare habet ex opere operantis, & sic non vt satisfactio Sacramentalis, sed vt talis individua, nempe ieiunium curat luxuriam, eleemosyna auaritiam, &c. nu. 15.

Remissio culpæ necessariò secum affert remissionem pœnæ æternæ, & ideo fit per infusionem gratiæ; remissio verò pœnæ temporalis non fit necessariò per infusionem gratiæ. n. 16.

Sanguis Christi in Sacramento eucharistiæ ita est pars, vt sit verum Sacramentum secundum essentiam. nu. 17.

Satisfactioni non est promissa gratia sanctificans, sicut bibenti sanguinem Christi. eod. num.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO XXXIX.

An satisfactio Sacramentalis ita sit pars Sacramenti pœnitentiæ, vt causet gratiam ex opere operato?

1 PRo responsione suppono primò, quod satisfactio potest significare reparationem in bonis, vel fama factam ex damno in istis sequuto, quæ fit per restitutionem eorum, quæ ablata sunt: & potest significare repararionem læsæ maiestatis, seu auctoritatis, quæ fit per nouam subiectionem, & humiliationem eius qui læsit: vel potest significare reparationem læsæ amicitiæ, quæ fit per actus amicitiæ ipsi offensioni contrarios. Communiter tamen hic accipitur satisfactio pro sola reparatione auctoritatis, vel amicitiæ læsæ, prò vt distinguitur à restitutione, quæ reparationem in bonis, vel fama significat.

2 Suppono secundò, satisfactionem prò vt dicit reparationẽ amicitiæ læsæ, & satisfactionem prò vt dicit reparationem auctoritatis læsæ, in hoc differre, quod scilicet reparatio amicitiæ læsæ necessariò requirit actum liberum eius, qui offendit, quo spontaneè amico offenso ad ipsius placitum satisfacit; hi enim actus possunt amicum offensum ei, qui offendit reconciliare, & ad pristinum amorem reuocare. At reparatio auctoritatis læsæ, quũ sit actus cuiusdã iustitiæ vt suppono, potest dupliciter contingere; vel per liberum, & spontaneum actum pœnitentis, seu per pœnam voluntariè ab ipso pœnitente assumptam, & dicitur satisfactio, & pertinet ad virtutem iustitiæ cõmutatiuę. Vel pœna infligitur à iudice inuito reo, & etiam tunc reparatur auctoritas læsa, sed hæc reparatio pertinet ad iustitiam vindicatiuam, at tunc reus non dicitur satisfacere, sed satis pati, ad quod sufficit eum pati tantum, quantum meretur prò satisfactione.

3 Aduerte tamen, quod & si eodem actu & auctoritas præsertim superioris, & amicitia lædantur, tamen potest quis satisfacere auctoritati læsæ, & non amicitiæ, & è contra amicitiæ læsæ, & non auctoritati. Primum est, quando reus inuitus sustinet condignam pœnam pro peccato à iudice inflictam; tunc enim reus satisfacit iustitiæ, sed non amicitiæ, quia amicitia inter inuitos esse non potest, vt optimè Bellarminus lib. 4. de pœnitentia cap. 1. §. rursus. Secundum est quando quis ità grauiter aliquem læsit, vt non possit nisi longo tempore iniuriam compensare. Is quidem poterit humili prece continuò veniam petere, atq; in gratiam eius redire, quem læserat, tamen suo tempore pro iniuria integrè deinde satisfacere tenebitur, exemplum affert Coninch disp. 10. dub. 1. nu. 3. in anima, quæ decidit in solum peccatũ veniale, quæ primo instanti per actum charitatis, & auersionis à suo peccato absolutè satisfacit amicitiæ, non tamen iustitiæ, quia postea debet adhuc satis pati.

4 Suppono tertiò, quod homo peccando nullum damnum Deo infert, & consequenter nec restituere Deo tenetur aliquid, sed tantum lædit amicitiam simul, & iustitiam; & pro amicitia reformanda non potest homo Deo satisfacere; nam satisfactio hominis erga Deum indiget necessariò acceptatione ipsius Dei, vt supponimus, acceptatio autem amicitiam præsupponit, vt patet: præterea, vt satisfactio sit ad æqualitatem, oportet, vt sicut peccatum fuit infinitum ex parte obiecti, ita & ipsa satisfactio habeat aliqualem infinitatem ex parte principij satisfacientis. Insuper requiritur, vt opera satisfactoria fiant à spiritu Dei hominem habitante, siue ab ipso homine vt membro Christi, ac à filio Dei iam per gratiam, & charitatem effecto; & ideo dicitur, quod Deus gratis nobis amicitiam suam, & iustificationem restituit. Pro iustitia verò potest homo Deo satisfacere ad æqualitatem, restituta amicitia per gratiam Dei, & misericor-

Digitized by Google

ricordiam, & per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Nam & si Deus posset verè pœnitentibus vniuersum pœnæ debitum remittere, & condonare, sicut solet dispositis ad gratiam baptismalem, & subeuntibus martyrium causa ipsius Dei, tamen non ita pœnitentibus semper peccata dimittit, vt vniuersam pœnam condonet, sed semper remanet aliqua pœna temporanea in hac, vel in alia vita luenda; quæ pœna temporanea est illa ipsa pœna sensus, quam peccator in gehenna pati debuisset, remota solum æternitate. Nam pœna gehennæ tria complectitur, pœnam scilicet damni, pœnam sensus, & æternitatem vtriusq; pœnæ. Prima respondet auersioni à Deo, secunda conuersioni inordinatæ ad creaturas, tertia inimicitiæ cum sempiterno Rege infinito. A prima, & tertia liberantur continuò qui ad amicitiam Dei, & ad eius gratiam redeunt, solum tamen remanet malum illud secundum, videlicet debitum pœnæ sensus ad tempus luendæ. Hæc omnia Caietanus in trac. de contritione q. 4. Bellarminus loc. cit. §. iam igitur &c.

5 Suppono 4. satisfactionẽ Sacramentalem esse recompẽsationem ex opere operato pœnæ temporalis Deo debitæ, ratione offensæ præteritæ, iudicio confessarij taxatam.

Dicitur 1. Cõpensatio loco generis, & per hoc cõuenit satisfactio Sacramẽtalis cum alijs satisfactionibus, nempe cum restitutione ex dãno illato, & cum alijs recompensationibus Deo factis ex opere operantis extra Sacramentum.

Dicitur secundo, Ex opere operato loco differentiæ, quia satisfactio Sacramentalis pœnam temporalem ex operato remittit.

Dicitur tertiò, Pœnæ temporalis, quia satisfactio remittit tantum pœnam temporalem, quæ reliquia est peccati remissi quo ad culpam, vt infra dicam.

Dicitur quartò, Ratione offensæ præteritæ, quia satisfactiò Sacramentalis, de qua loquimur deseruit tantum pro culpis præte-ritis, quæ in confessione exponi possunt, non verò pro futuris.

Dicitur 5. Iudicio cõfessarij taxatam, quia satisfactio nõ dicitur Sacramẽtalis, nisi sit à confessario, & per hoc differt satisfactio Sacramentalis à satisfactione facta extra Sacramẽtum de peccatis remissis, & absolutis, quæ etiam pœnam temporalem relictam à culpa remittit, sed non est taxata à iudicio confessarij: per hoc etiam differt satisfactio Sacramentalis ab indulgentijs. His positis

6 Respondeo satisfactionem esse partem integralem Sacramenti pœnitentiæ. Sed non causare sanctificantem gratiam ex opere operato.

7 Prima pars, scilicet satisfactionem Sacramentalem esse partem Sacramẽti pœnitentiæ, non quidem essentialem sed integralem, est definita in Concilio Florentino in litteris Eugenij, & in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. vbi dicitur, satisfactionem eatenus esse partem Sacramenti pœnitentiæ, quatenus ad eius integritatem, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur: sed perfecta remissio peccatorum non potest consistere in remissione culpæ, quum hæc sit indiuisibilis; ergo Concilium loquitur de remissione pœnæ ex culpa prouenientis, nõ quidem æternæ, quia hæc cum culpa remittitur, vt diximus supra cum eodem Concilio, ergo temporalis, correspondentis pœnæ sensus, vt supra dixi, satisfactio enim non habet aliud, quod remittat in peccato.

Obijc. ex Durando in 4. dist. 16. q. 10. totum non potest consistere sine suis partibus, sed Sacramentum pœnitentiæ est perfectum ante satisfactionem, ergo satisfactio non est pars.

8 Resp. quod totũ non potest consistere sine suis partibus essẽtialibus, põt tamen consistere sine integralibus, & si minùs

Digitized by Google

minùs perfectè; est enim homo perfectè sine manu. Sic quum satisfactio sit pars integralis, potest sine illa pœnitentia consistere, & si minùs perfectè, quum semper remaneat reatus pœnæ temporalis sine pœnitentia.

Secunda pars, scilicet satisfactionem in Sacramento pœnitentiæ non causare gratiam Sacramẽtalem sanctificantem ex opere operato, est Coninch disp. 10. n. 94. hoc supponit Vasquez loco cit. nu. 84. ar. 1. dub. 2. propè finem.

9 Probatur, quia Sacramentum pœnitentiæ in tantum debet conferre gratiam, in quantum delet culpam mortalem, quæ lege ordinaria non remittitur sine gratiæ infusione: sed quando aduenit atisfactio, est iam deleta culpa per materiam, & formam pœnitentiæ; ergo satisfactio non potest conferre gratiam ex opere operato.

10 Confirmatur primò, quia satisfactio quum sit pars Sacramenti pœnitentiæ, illud producit, quod significat; sed non potest significare remissionem culpæ, quum sit iam significata, & deleta per materiam, & formam; ergo significat tantum remissionem pœnæ: sed pœna potest remitti sine infusione gratiæ, vt patet, nam pœna remittitur per indulgentiam, & sacrificium missæ, ergo non est vnde colligamus satisfactionem habere nouam virtutem ad conferendam, vel augendam nouam gratiam sanctificantem.

11 Confirmatur secundò à Coninch loc. cit. n. 94. quia si satisfactio augeret gratiam ex opere operato posset etiam aliquando dare primam gratiam, nam si pœnitens peccasset post absolutionem, & haberet deinde attritionem de tali peccato, & postea pœnitentiam impleret, iustificaretur, nam quidquid habet vim conferendi gratiam ex opere operato, potest etiam producere per accidens primam gratiam in attrito, quum non inueniat obicem.

12 Confirmatur tertiò, nam Sacramentum integrum non potest conferre effectum, quem non significat, siue ad quem conferendum non est institutum, ergo neq; pars Sacramenti potest conferre effectum, quem non significat: sed satisfactio non significat collationem gratiæ sanctificantis, nec ad hanc conferendam est instituta, sed ad punitionem & ad remissionem pœnæ temporalis, & ad facilitandam euitationem peccati futuri, vt in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. ergo satisfactio non confert gratiam ex opere operato.

Obijc. primò ex Suarez de pœnitentia disp. 38. sect. 2. nu. 3. quia Sacramenta nouæ legis causant gratiam, ergo quum hæc satisfactio sit pars Sacramenti, aliquid gratiæ confert.

13 Respondeo cum Ioanne de Lugo de Pœnitentia disp. 25. sect. 1. n. 10. satisfactionem esse partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, licet ipsa non conferat gratiam; sicut remissio pœnæ licet non sit gratia habitualis, nec ablatio culpæ, est quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ. Sic satisfactio, quæ ordinatur ad tollendum reatum pœnæ, est complementum, & pars integrans Sacramentum, quod causat gratiam, & remittit culpam; neque enim cuilibet parti integranti competit definitio essentiæ, nam sanguis est pars naturæ humanæ, & tamen in verioti sententia sanguis non informatur anima rationali, nec illi cõuenit esse rationale, sed est pars integrans naturam rationalem.

Obijc. secundò, nam si homo tempore, quo absoluitur, exhibuisset omnia satisfactionis opera, & esset melius dispositus ad Sacramentũ consummandum, maiorem effectum gratiæ ex opere operato acciperet, vt constat ex doctrina de Sacramentis in genere: sed satisfactio licet tempore posteriori fiat, tamem moraliter coniungitur cum alijs partibus, & vnum Sacramentum cum illis constituit; ergo totum Sacramentum cõfert maiorem gratiam, atq; adeo aliquid gratiæ per satisfactionem infun-

Digitized by Google

infunditur, quod antea datum nõ erat.

14 Respondeo negando consequentiã, nam si satisfactio præcessisset, tunc plus gratiæ datum fuisset, non quia satisfactio præcessit, vt pars sacramenti (quod verò plures partes præcedant, impertinenter se habet ad maiorem productionem gratiæ in sacraméto) sed ideò plus gratiæ datum fuisset, quia melior dispositio præcessisset: sicut si aliæ dispositiones præcederent, etiam si pæniten tia sacramentalis non esset, adhuc plus gratiæ datum fuisset. At quia satisfactio quando subsequitur non disponit subiectum ad gratiam sacramentalem, quũ iam sit data, ideò nequè plus gratiæ recipitur, per satisfactionem subsequentem: sicut etiam recipitur plus gratiæ ex opere operato per actus bonos subsequentes formam absolutionis: quod verò satisfactio constituat vnum sacramentum, & si subsequatur, hoc parum refert, nam partes, quæ post absolutionem, & post eius effectum ponuntur, non augent effectum absolutionis præcedentis, quoad gratiam, sed quoad aliquid aliud tunc temporis non productum, vt in casu nostro augetur per satisfactionem remissio pœnæ ex opere operato.

Objicitur tertio, hæc satisfactio non solum est in vindictam, & remissionem pœnæ, sed est etiam in curationem, & medicinam, ad quem effectum est maximè necessaria gratia, ergo credibile est, quod hanc habeat ex opere operato.

15 Respondeo satisfactionem imponi à Confessario ad finem curandi pœnitentem; at talis curatio non habetur à pœnitentia secundum se ex opere operato, nam sic omnis pœnitentia quomodocumque haberet hunc effectum curationis, & sic quælibet pœnitentia esset proportionata cuilibet generi peccati, quod constat esse falsum, nam diuersis peccatis diuersæ medicinæ applicari debent, nam per abstinentiam curatur homo carnalis, per eleemosynam curatur auarus, &c. & si ergo pœnitentia satisfactoria habeat remittere pœnam temporalem supra explicatam ex opere operato, tamen quod sit medicina, & curatio non habetur à satisfactione ex opere operato, sed à satisfactione Sacramentali vt talis satisfactio est ex opere operantis.

Obijc. quartò, in absolutione reperitur aliqua remissio pœnæ cum remissione culpæ, ergo econtra in satisfactione debet reperiri aliqua remissio culpæ cum remissione pœnæ.

16 Respondeo negando consequentiam. Nam remissio culpæ, quæ fit per infusionem gratiæ, semper affert secum necessariò remissionem pœnæ æternæ: at remissio pœnæ temporalis, non fit necessariò per infusionem gratiæ vt patet in Indulgentijs, & in sacrificio missæ, & si non affert secum remissionem alicuius culpæ.

Obijc. quintò, sumptio sanguinis post sumptionem corporis in Sacramento eucharistiæ secundum probabilem opinionem causat nouam gratiam, quia est noua pars Sacramenti eucharistiæ, ergo idem dicendum est de satisfactione, quum sit noua pars Sacramenti pœnitentiæ.

17 Respondeo negando consequentiam, nam calix, seu sanguis ita est pars, vt sit verè Sacramentum secundum essentiam, adeo vt illi etiam vt parti promissa est gratiæ sanctificans, non minus quam manducanti corpus: at satisfactio non est Sacramentum, sed pars integralis Sacramenti, cui secundum se non est promissa gratia, nec nos debemus absq; fundamento talem effectum illi tribuere.

SVMMARIVM.

Satisfactio remittit ex opere operato pœnam temporalem debitam peccato remisso per absolutionem, etiam si in peccato fiat. nu. 1.

Pœna æterna remittitur simul cum culpa nu. 2.

Satisfactio significat pœnam in purgatorio soluendam. nu. 3.

Sa-

Digitized by Google

Satisfactio est præceptum humanum, & ideo non obligat ad modum. nu. 4.

Qui in peccato interest sacro, satisfacit præcepto ecclesiastico. eod. nu.

Satisfactio remittit pœnam temporalem ex opere operato, ex eo quia est pars Sacramenti pœnitentiæ; & est pars Sacramenti pœnitentiæ, quando est punitio voluntaria à iudice imposita &c. nu. 5.

Satisfactio Sacramentalis facta in peccato mortali statim habet effectum suum, remittendi scilicet pœnam temporalem ex opere operato. nu. 6.

Satisfactio secundum pœnam temporalem spectat ad iustitiam commutatiuam tum spectet ad maiestatem, non ad amicitiam læsam. eod. nu.

Damnati secundum aliquos satisfaciunt pro pœnis temporalibus luendis ex peccatis remissis. eod. nu.

Satisfactio Sacramentalis operatur non ex dignitate operantis, sed Christi. nu. 7.

Actus pœnitentis non sunt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ prout sunt à pœnitente, sed pro vt assumuntur à Sacerdote per potestatem clauium. nu. 8.

Effectus Sacramenti est perductio gratiæ, effectus satisfactionis est condonatio pœnæ temporalis. eod. nu.

Qui pœnitentiam Sacramentalem peregit in peccato mortali, si moritur non erit iterum puniendus pro illa pœna. nu. 9.

Peccatum non opponitur satisfactioni, sed gratiæ. nu. 10.

Satisfactio remittit pœnam temporalem, non ex vi satisfactionis, vt talis, sed ex virtute partium essentialium Sacramenti pœnitentiæ. nu. 11.

Qui non est aptus ad habendam remissionem pœnæ temporalis secundum se, potest esse aptus virtute Sacramenti. nu. 12.

Attritus est ineptus ad gratiam, sed aptus ad Sacramentum. eod. nu.

Satisfactio remouet impedimentum ad gloriam quantum est ex parte sua, etiam si in peccato fiat. nu. 13.

Peccatum impedit effectum partium essentialium Sacramenti, non verò partis integralis. nu. 14.

RESOLVTIO XXXX.

Quid remittat peccati satisfactio Sacramentalis, & an habeat suum effectum etiam si in peccato fiat?

1 REspondeo satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ remittere ex opere operato pœnam temporalem, debitam peccato remisso per absolutionem, etiam si in peccato fiat. Ita Vasquez q. 94. ar. 2. dub. 5. nu. 8. Suarez disp. 38. sect. 2. nu. 1.

Prima pars probatur ex verbis Concilij Tridentini dicentis, has esse partes Sacramenti pœnitentiæ, scilicet confessionem, contritionem, & satisfactionem, quia ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur: sed satisfactio non requiritur ad remissionem peccatorum quo ad culpam, vt diximus, neq; quoad pœnam æternam, quum hæc remittatur simul cum culpa ex eodem Concilio: ergo satisfactio pertinebit ad remissionem peccatorum quoad pœnam temporalem, quum nihil aliud in peccato remitti possit.

Probatur secundò, quia satisfactio quum sit pars Sacramenti, est instituta à Christo Domino vt auctore Sacramentorum, ergo ex Christi institutione, & potestate ab eo accepta, per sacerdotem satisfactio in Sacramento pœnitentiæ imponitur; ergo illa pars à sacerdote imposita, & à Christo instituta habet vim efficiendi quod significat, ex opere operato; hoc enim habent cætera Sacramẽta: sed significat pœnã in Purgatorio soluendam mutatam à sacerdote potestatem habente; ergo remittit pœnam illam, loco cuius supponitur, & quam significat. 3

Secunda pars dicti probatur, quia satisfactio Sacramentalis est quoddam præceptum humanum impositum à confessario tanquam à iudice, ideò enim tenetur pœnitens eam adimplere, quia hæc fuit à confessario præcepta; 4

sed in alijs præceptis sufficit ponere substantiam operis præcepti, & nullo modo obligamur ad modum, vel ad faciendum ea in charitate, vt patet in præcepto missæ in die festo, immò etiam in alijs Sacramentis, vt patet in matrimonio contracto, ergo per pœnitentiam in peccato factam satisfit præcepto confessarij; ergo pœnitentia in peccato facta est pars Sacramenti, & consequenter habet effectum suum ex opere operato.

5 Confirmatur, quia vt satisfactio habeat hunc effectum remittendi pœnam temporalem, [illegible] si sit pars Sacramenti: sed etiam facta in peccato mortali est pars Sacramenti: ergo etiam facta in peccato mortali habet hunc effectum. Minor probatur, nam ad hoc vt sit pars Sacramenti, sufficit si sit punitio voluntaria imposita à iudice ad puniendum peccatorem: sed ieiunium e. g. factum ex pœnitentia in peccato mortali est huiusmodi, ergo satisfactio facta in peccato mortali est pars Sacramenti pœnitentiæ, & consequenter habet hunc effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato.

Sed quæres, an satisfactio in peccato mortali facta statim habeat talem
6 effectum. Resp. cum Vasquez loco cit. dub. 5. nu. 10. Turriano de pœnitentia disp. 38. dub. 3. quod statim habeat effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato. Probatur quia si quid obstaret, vt fieret remissio pœnæ, esset, aut quia subiectum est incapax, quum sit in peccato mortali; & hoc non obstat, quia in peccato mortali adhuc perseueranti potest remitti pœna temporalis, quum ipse possit satisfacere pro tali pœna: nam satisfactio secundum pœnam temporalem spectat ad iustitiam commutatiuam, quum sit satisfactio facienda maiestati læsæ, non verò amicitiæ, vt dixi; at verò potest quis debitum soluere inimico, & iustitiæ satis facere, vt patet, nam opus non est quod sit amicus debitor creditori, sed sufficit vt debitor offerat creditori quod debet ad satisfaciendum iustitiæ debito, vt benè obseruat Ioannes Sanchez in selectis disp. 16. nu. 5. Adde quod secundum multos damnati etiam satisfaciunt pro pœnis temporalibus satisfaciendis ex peccatis remissis quo ad culpam, vt videre est apud Vasquez loco cit. Aut obstaret quia opus non potest esse meritorium, quum sit factum ab homine in statu peccati mortalis; & hoc non obstat, quia satisfactio non operatur tunc per modum meriti condigni, sed per modum Sacramenti, idest non ex dignitate operantis, sed ex dignitate
7 Christi Domini, & sic impertinenter se habet dignitas operantis satisfactioni, sicut qui baptizat, etiam si infidelis sit producit effectum baptismi, sicut etiã qui in peccato consecrat, vel absoluit; quum igitur non obsit indignitas subiecti, vel agentis, dicendum est satisfactionem in peccato factam statim producere effectum suum.

8 Confirmatur primò, quia actio pœnitẽtis, seu satisfactio, quæ est à pœnitente non est materia proxima prout est à pœnitente, sed pro vt assumitur per potestatem clauium, & quatenus sit quodam modo actus sacerdotis, vt supra dixi resol. 25. ergo siue pœnitens sit, siue non sit in gratia semper põt satisfactio illa assumi à potestate clauium ad Sacramentum; ergo semper satisfactio illa est aliquid Sacramenti, & consequenter habet effectum suum. Hæc vltima consequentia patet, maximè in opinione aduersariorum ponentium Sacramentum validum, & informe: nam peccatum mortale ideo impedit effectum Sacramenti, quando sunt partes essentiales ipsius, quia effectus Sacramenti est gratiæ infusio, quæ nõ põt esse cum obice peccati; sed effectus satisfactionis non est gratiæ infusio, sed cõdonatio pœnæ temporalis ex opere operato, non per modum meritoriæ satisfactionis, seu ex opere operantis; ergo statim habet effectum suum satisfactio etiã si fiat in peccato mortali.

9 Con-

Digitized by Google

9 Confirmatur secundò, quia si quis confessus est peccata sua, & de illis habuit pœnitentiam condignam, & absolutionem à confessario, si deinde committit nouum peccatum mortale, & postea pœnitentiam adimplet, qua peracta moritur, quæro ab aduersarijs, vel hic est iterum puniendus pro illa pœna, cui satisfecit in peccato, vel non: si primum; ergo Deus exigit pœnam vltra condignum, quia bis exigit condignam pœnam pro vnico delicto, quando enim sacerdos commutauit pœnam illam luendam in purgatorio pro pœna illa facienda in hac vita virtute clauium, iam hæc pœna facta fuit condigna virtute Sacramenti huic culpæ, sicut erat illa Purgatorij. Si secundum, quod scilicet Deus non exigat aliam pœnam, ergo Deus recepit tunc satisfactionem, quando posita fuit in peccato mortali.

10 Nec valet dicere, quod tunc satisfactio impediatur à peccato. Quia contra est, nam peccatum si opponitur, non opponitur satisfactioni, sed gratiæ: ergo si præbet impedimentum, non præbet effectui satisfactionis, sed gratiæ, quum possit esse simul cum peccato satisfactio Sacramentalis.

Nec valet dicere, quod non potest quis satisfacere de condigno audiendo sacrum, si existit in peccato mortali; neque quod indulgentias reciperet, & tamen qui missam audit in gratia secundum multorum sententiam satisfacit de condigno pro pœnis temporalibus relictis à culpis confessis, & ad participandum de Indulgentijs non requiritur noua infusio, vel augmentum gratiæ.

11 Quia contra est, nam visio sacri, & participatio Indulgentiarum non sunt partes Sacramenti, sicut est satisfactio: hæc enim habet remittere ex opere operato pœnam temporalem, non ex vi ipsius satisfactionis vt talis, sed quatenus est pars Sacramenti pœnitentiæ, & sic ex virtute partium essentialium, & quatenus cum illis dicit vnitatem, non verò ex propria virtute, quatenus aliquid pœnale est, sicut indulgentia, & visio sacri.

12 Nec dicas, quod qui est inimicus Dei, & reus æternæ pœnæ, non est subiectum aptum, cui remittatur aliqua pœna. Quia contra est, nam subiectum non aptum ad habendam remissionem pœnæ secundum se, est aptum ad remissionem pœnæ virtute Sacramenti antea suscepti, & sic est aptum ad satisfaciendum in Sacramento, & ad ponēdā æqualitatē maiestati læsæ virtute eiusdem Sacramenti, ex qua satisfactione sequitur remissio pœnæ temporalis, sicut attritus non est aptus ad recipiendam gratiam iustificantem, sed est aptus ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, quo recepto sequitur iustificatio.

Nec dicas, quod remissio pœnæ temporalis est effectus supernaturalis præparans hominem ad gloriam, & visionem Dei, quatenus remouet impedimentum illius, quod est ipsa pœna temporalis vel in hac, vel in alia vita sufferenda: ergo non potest conferri nisi ei, qui est proportionatus ad gloriam, & est amicus Dei.

13 Quia contra est, nam satisfactio etiā in peccato facta quantum est ex parte sua remouet impedimentum, quod ponebatur à peccato remisso in Sacramento, cuius est pars. Quod vero ex alio capite subiectum non sit capax, impertinenter se habet respectu remissionis pœnę tēporalis peccati cōfessi, & in primo Sacramento expiati, & sic quantum est ex vi huius satisfactionis iam tollitur omne impedimentum ad gloriam, proueniens à peccato absoluto in Sacramento, cuius ista satisfactio est pars.

14 Nec dicas vltimò, quod impeditur à peccato effectus Sacramenti, ergo etiam effectus partis Sacramenti. Quia contra est, nam hoc verum est si effectus partis sit eiusdem rationis cum effectu totius, non verò si sit diuersæ rationis, vt est in casu nostro; nam impe-

Digitized by Google

ditur effectus remissionis culpæ, quia remissio fit per gratiã, quæ nõ infunditur (saltem de lege ordinaria) quando est peccatum: At remissio pœnæ, quæ est effectus partis Sacramenti, nempè satisfactionis, fit tantum per positionem actus pœnalis, præcepti à confessario, sine infusione gratiæ, vt dixi.

SVMMARIVM.

Non tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam satisfactoriam à confessario iniunctam. num. 1.

Confessarius non tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti, quem cognoscit satisfeciſſe pro pœna temporali peccato confesso debit. num. 2.

In Sacramento pœnitentiæ tantum pœnitens non habet præceptum satisfaciendi pro reatu pœnæ temporalis debitæ culpa remissæ, num. 3.

Qui habet peccata venialia non tenetur vti Sacramento pœnitentiæ, sed potest vti alio medio, sine vlla culpa, pro earum remissione. nu. 4.

Satisfactio est imposita ob bonam pœnitentis, cum deseruiat loco pœnæ debitæ in purgatorio. num. 5.

Finis principalis Sacramenti pœnitentiæ est remissio culpæ, & pœnæ æternæ. nu. 6.

Non potest sacerdos non imponere pœnitentiam satisfactoriam pœnitenti, quia huic facit grauem iniuriam. nu. 7.

De satisfactione non habemus præceptum, nam si ante quam Sacramentum pœnitentiæ quis recipiat, adæquatè maiestati læsæ satisfecit, non tenetur in Sacramento satisfacere. At de essentia Sacramenti habemus præceptum, quia & si pœnitens per actum contritionis satisfecit amicitiæ læsæ, tenetur peccata illa subijcere clauibus. nu. 8.

Qui non vult acceptare pœnitentiam grauem, sed tantum leuem, est absoluendus. num. 9.

Qui non vult acceptare pœnitentiam grauem, facit vt Sacramentum non remittat totam pœnam temporalem peccato remisso debitam. nu. 10.

Potest quis pœnitentiam Sacramentalem acceptatam non facere, & loco illius lucrari indulgentiam. nu. 11.

In cap. omnis vtriusq; sexus &c. præcipitur tantum confessio semel in anno. nu. 12.

Præceptum iustum, & sanctum in materia graui obligat sub mortali, si est præceptum absolutum, & independens. At si est præceptum modificatiuum alterius supremi superioris, obligat vel ad præceptum modificans, vel ad modificatum. nu. 13.

Potestas imperandi, & necessitas obediendi sũt correlatiuę secundũ rem, & secundũ modum; & sic potestati imperandi absolutè, correspondet necessitas obediendi absolutè, potestati conditionatè & dependenter, seu ex suppositione correspondet necessitas obediendi ex suppositione. nu. 14.

Qui pœnitentiam iniunctam à confessario facit, libere satisfacit præcepto imposito à confessario liberè, cum possit alio medio pœnam debitæ satisfacere. eod. nu.

Libertas potest stare cum præcepto. eod. nu.

Iurisdictio Sacramentalis semper est cum coercitione, etiam si pœnitens pœnitentiam non accepiet. nu. 15.

Pœnitens dum pœnitentiam à confessario impositam non acceptat, non est iudex in causa propria, sed sequitur iudicium supremi iudicis. nu. 16.

Tam essentia, quam integritas Sacramenti pœnitentiæ est à Christo Domino instituta, sed hæc sub disiunctione, non vt simpliciter necessaria, illa verò vt simpliciter necessaria. nu. 17.

Non potest confessarius absoluere nolentem absolutionem. nu. 18.

Pœnitens, qui ita intendit confiteri Petro, vt nolit confiteri alteri, si confessarius non erit Petrus, nec confessio, nec absolutio erit valida. eod. nu.

Sacerdotes aliquãdo soluũt, & nõ ligãt. eod. n.

Confessarius si absoluit nolentem pœnitentiam acceptare, non cooperatur ad peccata pœnitentis. nu. 19.

Qui non vult acceptare pœnitentiam à confessario impositam maximam contritionem indicat, dum vult pœnas atrociores in purgatorio. nu. 20.

Tenetur confessarius absoluere pœnitentem nolentem acceptare pœnitentiam. num. 21.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO XXXXI.

An teneatur pœnitens acceptare pœnitentiam satisfactoriam à confessario impositam?

1 REspõdeo cum Caietano in summa verb. satisfactio, & verb. confessio, & in q. 2. de satisfactione ad secundum. Adriano q. de confessione. Scoto in 4. dist. 17. q. vnica ar. 2. Gabriele dist. 17. q. 2. Nauarro cap. 20. nu. 26. Beia in responsionibus casuum conscientiæ, par. 3. casu 3. Philippo Fabro de pœnitentia in 4. sect. dist. 19. q. vnica disp. 38. cap. 10. nu. 16. & sequenti: quod Pœnitens non tenetur acceptare pœnitentiam satisfactoriam impositam à confessario in Sacramento pœnitentiæ.

2 Probatur primò, quia pœnitentia, seu satisfactio in Sacramento pœnitentiæ in tantum est imponenda, in quantum confessarius cognoscit pœnitentem non satisfeciſſe pro pœna temporali debita peccato confesso. Ita Suarez disp. 38. sect. 3. nu. 4. dum dicit non teneri confessarium imponere pœnitentiam, quando cognoscit pœnitentem integrè satisfeciſſe pro peccatis commiſſis. Idem sentit Fagundez loco citato. lib. 9. cap. 3. nu. 9. Herriquez lib. 5. de pœnitentia cap. 20. nu. 6. ergo quando adæquatè satisfacit pœnitens pro peccatis confessis non tenetur pœnam acceptare: ergo neque tenetur acceptare pœnitentiam à confessario impositam, etiam si cognoscat se non satisfeciſſe, si velit vti alijs me-
3 dijs ad satisfaciendum: Hæc vltima consequentia patet, nam pœnitens nullum habet præceptum satisfaciendi pro reatu pœnæ temporalis in Sacramento pœnitentiæ tantum. Aliter enim teneretur confessarius dare condignam pœnam peccatis confessis, & si aliter faceret, peccaret mortaliter, quum redderet Sacramentum imperfectũ, & desperaretur de remiſſione totius pœnæ temporalis, quod nemo dixit; nec deseruiret purgatorium, si pœna illa non posset exolui niſi tantum in Sacramento, & sic neque posset exolui antequam Sacramentum susciperetur, cõtra Suar. Herriq. & alios locis citatis. Si ergo pœnitẽs nullum habet præceptum vtendi hoc medio, nempè pœnitentia Sacramentali, vti poterit alio, nempè Purgatorio, vel indulgentijs &c. ergo ad libitum erit pœnitentis acceptare pœnitentiam Sacramentalem satisfactoriam.

4 Confirmatur primò, quia qui habet peccata venialia potest vti Sacramento pœnitentiæ, vel alio medio ad eorum remiſſionem, & non peccat si vtatur Sacramentalibus, vel alijs medijs, & non Sacramento Pœnitentiæ; ergo à pari quamuis pro pœna temporali possit pœnitens satisfacere per pœnitentiam à confessario iniunctam, quum possit etiam per purgatorium, & per alia pœnalia opera, non peccabit si vtatur purgatorio, vel alijs pœnis, & non pœnitentia à confessario iniuncta.

5 Confirmatur secundò, quia satisfactio est posita in Sacramento Pœnitentiæ ob bonum pœnitentis, nam deseruit tantum ad commutandam pœnam purgatorij atrociſſimam in pœnam temporalem in hoc mundo leuiſſimam ex opere operato, vt dixi: sed fauori suo quilibet renunciare potest, maximè quando fauor non est vnicum medium ad finem talis fauoris consequendum, sicut est in casu nostro, ergo potest pœnitens non vti tali pœnitentia, & vti alio medio ad consequendam remiſſionem pœnæ temporalis.

6 Probatur secundò, quia finis principalis Sacramenti pœnitentiæ est remiſſio culpæ, & pœnæ æternæ, ideo enim dicitur Sacramentum mortuorum, aliter non minus esset mortuorum, quã viuorum: sed talis finis habetur in Sacramento sine satisfactione, vt patet in moribundo &c. ergo qui satisfactionem non acceptat, nullam iniuriam irrogat Sacramento pœnitentiæ, quum

non

Digitized by Google

non impediat finem principalem ipsius met Sacramenti.

Nec valet dicere, quod argumentum hoc plus probet, quam intendit, nam probat etiam sacerdotem posse non imponere pœnitentiam.

7 Quia contra est. Nam satisfactio Sacramentalis est facta à Christo Domino in bonum pœnitentis, quo bono non potest pœnitentem gratis priuare sacerdos, quum ei iniuriam irrogaret, inferendo illi per talem negationem maximum detrimentum vt dixi.

Nec dicas secundò, quod non est magis factum in fauorem pœnitentis Sacramentum quoad essentiam, quam quoad satisfactionem, & tamen pœnitens non potest non recipere essentiam Sacramenti, etiam si sit positus in gratia per actum contritionis; ergo neque poterit non acceptare satisfactionem Sacramentalem, & si sit in fauorem ipsius.

8 Nam contra est, quia de essentia pœnitentiæ habemus præceptum, non verò de satisfactione: & præceptum de vno, non de alio, sic demonstro: Nam etiam secundum aduersarios posita satisfactione adequata p pœna temporali peccato debita ante absolutionem non tenetur amplius pœnitens satisfacere in Sacramento maiestati læsæ; at posita satisfactione per actum contritionis amicitiæ læsæ tenetur peccata illa subijcere clauibus etiam per aduersarios, ergo signum est de hoc haberi præceptum, non de illo.

9 Confirmatur primò, nam qui pœnitentiam grauem à confessario impositam non vult acceptare, sed tantum leuem, est absoluendus, vt per Doctores proximè citatos, ergo & qui nullã pœnitentiã. Consequentia patet: Nam qui leuem, & non proportionatam peccato suo pœnitentiam acceptat, facit quod non remittatur tota pœna temporalis debita peccato confesso in Sacramento pœnitentiæ, & sic dicitur Sacramentum inadæquatum secundum illam partem, quæ non remittitur culpa confessarij, & pœnitentis. Nunc vero sic arguo, si peccat, qui nullam pœnitentiam acceptat, ideo peccat, quia facit vt Sacramentum sit inadæquatum, dum non remittit pœnam temporalem, quam posset remittere per satisfactionem: sed qui leuem pœnitentiam acceptat, etiam facit idem damnum, saltem secundum aliam partem, quam posset Sacramentum remittere, & de facto non remittit; ergo vel vterque peccat, vel neuter. Nam potest contingere quod qui nullam pœnitentiam acceptat, habeat peccata tam leuia, vt minus pœnæ tẽporalis soluere teneatur, quam qui acceptat tantum pœnitentiã leuem, & sic hic quum habeat peccata grauiora, debet soluere plus pœnæ temporalis, quam ille; vnde magis hic impediret effectum secundarium, & completionem Sacramenti, quam ille.

11 Confirmatur secundò, quia potest pœnitens etiam acceptatam pœnitentiam, non facere, si velit pro pœna temporali debita suis peccatis indulgentias sumere. Ita Coninch disp. 12. de Indulgentijs dub. 3. n. 17. ergo pœnitens poterit etiam illam non acceptare, & pro pœna debita Indulgentias sumere, vel in purgatorio satisfacere, acceptatio enim potius inducit obligationem exequendi promissum, quam à promisso excusat.

Obijc. primò nam in cap. omnis vtriusq; sexus de pœnitentijs, & remissionibus eodem planè tenore dicitur vt omnis fidelis sua peccata singulis annis confiteatur, & pœnitentiã iniunctam studeat pro viribus adimplere: ergo pœnitens sicut habet præceptum semel in anno confitẽdi ex hoc cap. ita etiam habet ex eodem capitulo præceptum acceptandi Pœnitentiã à confessario impositam.

12 Respondeo, si hoc esset verum, sequeretur, quod qui non studeret adimplere pœnitentiam à confessario impositam, esset viuus interdictus ab ingressu ecclesiæ, & mortuus à sepultura fidelium

Digitized by Google

lium, quod nemo dixit: Nam in textu hoc habes, Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis prouenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anuo fideliter confiteatur; alioquin, & viuus ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Igitur dicendum est quod ibi præcipitur confessio semel in anno facienda, vt clarè colligitur ex rubrica illius textus; & quia confessio ordinariè fieri solet cum pœnitentia iniuncta à confessario, ideo subdit, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, quasi diceret posito quod quis velit illam facere, studeat proprijs viribus illam exequi; non alienis.

Obijc. secundò omne iustum, & sanctum præceptum in materia graui obligat sub mortali, vt omnes communiter fatentur, & per se patet: sed confessarius tenetur pœnitentiam strictè præcipere pœnitenti ex Tridentino sess. 14. cap. 8. eumque ad eius impletionem obligare: ergo pœnitens in materia graui, vt est in pœnitentia iniuncta, tenetur sub mortali eam implendo obedire.

13 Respondeo ad maiorem, omne præceptum iustum & sanctum in materia graui obligat sub mortali, distinguo: obligat sub mortali si præceptum sit absolutum, & independens, concedo; si præceptum hoc modificat præceptum Principis supremi ex voluntate ipsiusmet Principis, absolutè, nego maiorem: obligat .n. sub mortali disiunctiuè, idest vel ad hoc præceptum modificans, vel ad principis præceptum modificatum.

Ad minorem: sed confessarius tenetur pœnitentiam strictè præcipere, distinguo, ob pœnitentis bonum, & quatenus pœnitentia hæc modificat pœnas Purgatorij à Deo pro tali reatu pœnæ temporalis impositas concedo: tenetur præcipere strictè independenter à pœnis purgatorij, & ex proprio marte, vtique negatur: immò. vt dixi, sacerdos nõ tenetur pœnitentiam imponere, quando certò scit pœnitentem nullam pœnam temporalem pro tali culpa debere. Ad secundam partẽ minoris, quod scilicet confessarius tenetur obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ, hoc non colligitur ex Concilio, & sic omnino gratis asseritur. Sed dato quod colligererur, etiam sub distinguo; tenetur confessarius obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam, posito quod pœnitens velit satisfacere pro pœnis temporalibus debitis suis peccatis per satisfactionem Sacramẽtalem, concedo: Nam satisfactio, quæ fit à pœnitente est materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & consequenter eleuata ad remittendam pœnam temporalem ex opere operato, sed quatenus assumitur à confessario per virtutem clauium, & sic quatenus à confessario præcepta: tenetur confessarius obligare pœnitentem, posito quod pœnitens nolit satisfacere per pœnitentiam Sacramentalem, sed per aliud medium, vtique negatur, & si negatur consequentia.

Obijc. tertiò, hæc sunt correlatiua, potestas scilicet imperandi in superiore, & necessitas obediendi in inferiori, nec illa sine hac potest vllo modo consistere: sed Concilium definit illam esse in confessario, ergo hæc necessariò debet esse in pœnitente.

14 Respondeo ad maiorem, quod potestas imperandi, & necessitas obediendi sunt correlatiua secũdum rem, & secundum modum: Nam si potestas imperandi est absoluta, & independenter, necessitas obediendi erit etiam absoluta, & independenter: si potestas imperandi est conditionata, & dependenter, seu ex suppositione, etiam necessitas obediendi erit dependenter, & ex suppositione: vnde ad minorẽ dico Concilium definire potestatem imperandi esse in confessario dependenter à voluntate pœnitentis, quum definiat iudicium hoc esse voluntarium, & sic ex suppositione, quod pœnitens velit iudi-

Digitized by Google

iudicari, & velit satisfacere per pœnitentiam à confessario iniunctam, & sic necessitate consequenti, seu ex suppositione. Nec hoc est nouum, quod scilicet saluetur libertas simul cum præcepto; quando qui obedit vult imponi præceptum à præcipiente: sic enim multi saluant libertatem Christi, qui liberè satisfecit Patri, & ex præcepto ipsius Patis, dicunt enim quod Christus rogauit Patrem, vt de tali satisfactione præceptum imponeret, sic in casu nostro quando pœnitens vult rigorosè satisfacere diuinæ iustitiæ pro pœna temporali relicta à peccato remisso, tunc vult illam exoluere in Purgatorio. Quando verò vult satisfacere ex opere operato, & vti priuilegio Sacramenti Pœnitentiæ, tunc tenetur acceptare præceptum satisfactionis à Sacerdote impositum; Christus enim dedit hanc præcipiendi sacerdotibus: vndè quando pœnitens satisfacit pœnitentiæ à confessario iniunctæ, satisfacit præcepto sibi imposito à tali sacerdote, & si liberè satisfaciat, quum possit satisfacere alio modo.

Obijc. quartò Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum Iurisdictionis: Ideo enim non potest quilibet sacerdos ministrare hoc Sacramentum; sed is dumtaxat, qui habet potestatem ordinis, & Iurisdictionis: sed Iurisdictio sine coercitione nulla est l. vltima ff. de officio eius, cap. pastoralis de officio iudicis delegati; ergo habet sacerdos vim coercendi, quum Iurisdictionem in hoc Sacramento exerceat.

15 Respondeo quod Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum iurisdictionis, sed communicatæ à Christo Domino principali ministro Sacramentorum. Ad minorem: sed iurisdictio sine coercitione nulla est, distinguo, taxata vel à iudice supremo, & principali, vel à iudice inferiori, & ministerialiter tantum iurisdictionem habente à supremo &c. transeat: taxata tantum ab inferiori iudice, & ministerialiter iurisdictionem habente, negatur. Ad consequentiam dico, quòd habet sacerdos vim coercendi, quando pœnitens non vult vti coercitione taxata à supremo iudice, & principali ministro huius Sacramenti. Patet ergo nunquam esse tadem iurisdictionem sine coercitione, etiam si pœnitens nolit acceptare pœnitentiam confessarij.

Obijc. quintò, nemo potest esse iudex in causa propria, l. vnica C. ne quis in sua causa iudicet: sed si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam à confessario impositam, esset sibi iudex in causa propria; ergo dicendum est, quod teneatur pœnitentiam à confessario impositam acceptare.

16 Respondeo quidquid sit de maiori respectu huius iudicij voluntarij, quod exercetur in Sacramento Pœnitentiæ. Ad minorem dico, quod quando pœnitens non vult acceptare pœnitentiam à confessario impositam, non ipse sibi iudicat pœnam condignam propriæ culpæ: sed iudicatam à Christo Domino supremo, & Principali iudice subit, & tunc pœnitens exercet iudicium diuinum in hoc, & non proprium.

Obijc. sextò, Pœnitentiæ Sacramentum cõstat ex essentia, & integritate, & vtramq; habet à Christo Domino, auctore Sacramentorum, & vtraq; est iuris diuini: sed nemini licet violare sine peccato essentiam Sacramenti pœnitentiæ: ergo nemini licet violare integritatem sine peccato sacrilegij.

17 Respondeo quod tam essentia, quam integritas Sacramenti est à Christo Domino instituta, & consequenter de iure diuino; sed essentia est instituta, vt simpliciter necessaria lapsis post baptismum: integritas verò non vt simpliciter necessaria, sed sub disiunctione; vnde non benè colligitur ex institutione diuina æqualis necessitas: sed ex fine institutionis; nam quum essentia Sacramenti Pœnitentiæ sit instituta ad tollendam culpam, & æternitatem pœnæ, nemini licet hanc violare, si vult à culpa exire: at quum integritas confessio-

Digitized by Google

fionis sit instituta ad finem remittendi pœnam temporalem, relictam à peccato remisso in Sacramento pœnitentiæ, & hæc pœna temporalis habeat alia media, etiam à Christo Domino taxata, ideo licitum erit peccatori exoluere pœnas illas vel per integritatem Sacramenti, vel per pœnas purgatorij à Deo taxatas, & si ergo idem Christus instituit & essentiam, & integritatem Sacramenti pœnitentiæ, tamen quia hæc duo instituit pro duobus effectibus, ideo licitum est vnum relinquere, & non alterũ; sicut absolutio à venialibus in Sacramento pœnitentiæ est à iure Diuino, quia tamen possunt alijs medijs absolui, ideo non peccat, qui peccata venialia nunquam confitetur.

Obijc. septimò: sacerdos accepit potestatem à Christo Domino non solum absoluendi, sed etiam ligandi in Sacramento pœnitentiæ: sed ligare in Sacramento pœnitentiæ est pœnitentiam imponere, ex Tridentino loco cit. ergo confessarius habet potestatem imponendi pœnitentiam, & consequenter pœnitens subiectionem faciendi illam.

18 Respondeo, quod sacerdos sicut in hoc Sacramento non potest soluere, nisi volentes ab ipso indiuiduo sacerdote solui, & aliter confessio est nulla: (si enim pœnitens credit confessarium esse Petrum v.g. & ita vult Petro confiteri, vt absolute nolit coram alio agere causam suam, si confessarius non est Petrus, sed Franciscus, confessio, & absolutio est nulla, etiam si pœnitens habeat absolutionem à tali Frã cisco, vt optimè Suarez de pœnitentia disp. 20. sec. 3. nn. 1.) ita non poterit per pœnitẽtiã ligare, nisi volentem ab ipso ligari, stante quod tale ligamen Sacramentale ita ligat, vt soluat à ligamine illo atrocissimo purgatorij, & ideo videtur potius ligamen amoris, quam rigorosæ iustitiæ. Nec Christus Dominus dixit sacerdotibus, quod eodem tempore, quo soluere velint, necessariò ligare debeant, nam sic nunquam possent absoluere à peccatis sine pœna, quod est falsum etiam secundum aduersarios: sed aliquando in eodẽ Sacramento soluunt à culpa, & nõ ligant alia pœna, sed in taxata à Deo relinquũt pœnitentes, vt quando absoluunt sine pœnitẽtia: aliquãdo soluunt & ligant in eodem Sacramento; aliquando ligant tantum tunc, & postea soluunt, vt quando iubent pœnitentẽ ante absolutionem pœnitentiam complere.

Obijc. octauo Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. vbi dicitur, sacerdotem debere imponere condignam pœnitentiam, ne si leuem imponat, particeps fiat peccatorum pœnitentis. Ex quibus verbis colligitur primò secundũ Eminẽtissimũ de Lugo de pœnitẽtia disp. 25. sect. 5. nu. 69. pœnitentem obligari ad pœnitentiam: si enim ipse non teneretur eam acceptare, non peccaret sacerdos, nec fieret particeps pœnitentis peccati imponendo leuem pœnitentiam pro peccatis grauibus: Colligitur secundò, quod si pœnitens non obligatur ad pœnitentiam, sacerdos non habet potestatem ligandi, quum pœnitens maneat æquè liber, ac antea.

16 Respondeo, quod participatio hæc alienæ culpæ non potest verificari de peccatis præteritis, sed de futuris, vt patet, nam peccata præterita sunt iam consummata, & hæc participatio non est per aliud, nisi quia confessarius per talem leuem pœnitentiam demonstrat pœnitenti peccata illa in confessione explicata fuisse mullius momenti, & sic animat pœnitentem ad iterum committenda peccata illa. At quando pœnitens cognoscit grauitatem peccati ex alio capite, vel confessarius illam exaggerat, nullo modo cooperatur ad peccata pœnitentis, & consequenter nec peccat. Ex quibus patet respõsio ad primũ corollariũ. Ad secundũ corollariũ dico, q sacerdos habet potestatẽ ligandi, ideſt imponendi pœnitentiam dependenter

Digitized by Google

à voluntate pœnitentis, à qua pendet tam in fieri, quàm in conseruari, quũ sit iudiciũ hoc voluntarium, & in quãtum dicit potestatem ligandi semper pro fauore, & cõmodo pœnitentis supponitur, cui fauori renũciare põt pœnitens, vt dixi.

Dices, quod talis pœnitens nullam indicat habere contritionẽ, nec dolorẽ.

20 Respondeo, quod cum pœnitens sit Christianus, (nisi enim esset Christianus non esset capax absolutionis sacramẽtalis) credit purgatorium esse, at dum certò de fide hoc scit, & vult pœnas illas atrocissimas sufferre pro suis peccatis, maximam contritionem, & dolorẽ indicat. Et licet hęc omnia vera & probabilissima sint; tamen cõsiliũ do omnibus pœnitentibus, vt pœnitẽtias à confessarijs impositas acceptent ad euitandas illas atrocissimas pœnas purgatorij.

21 Hinc colligo, cõfessarium peccare, si nolit absoluere pœnitẽtem nolentem acceptare pœnitentiam, nam quum confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis, secundum Vasquez in 1.2. q.63.cap.2.nu.10. Coninch. disp. 8.de Sacramentis dub.17.nu.131. Sanchez lib.1.summæ cap.9. nu.29. Fagundez secundi ecclesiæ præcepti lib.3. cap.4. nu.4. & nostra opinio sit valdè probabilis, & tuta, cõsequẽter peccat cõfessarius si neget absolutionem huic pœnitenti, dum obligat ad iterum confitendũ peccata mortalia semel cõfessa. Diana p.2 res.trac.15.1. miscell.res.52.& 3.p.tr.4.res.51. Qui citat Fabrum in 4. dist.19.q.vni.disp.35.c.10.n.26.& seq. Pharaoniũ tra.1.de pœnit.sect.22.casu 10. Ruyz in cõtrouers.4.sent.cõrro.94. Raph.de Cæsare in cõs.ani.dial.8.cap. 26. & alios.

SVMMARIVM.

Legatum factum incertis indiuiduis de certa specie est validum, quia non committitur voluntati alterius substãtia legati, sed qualitas.nu.1.

Legatarius signatus in specie tantum à testatore, & ab hærede electus in indiuiduo, legatum accipit de manu testatoris, non hæredis.nu.2.

Filia electa à patre hærede testatoris, & à testatore nominata in specie ad electionem ipsius patris, præter legatum, debet habere dotem ab ipsomet patre. nu.3.

Si testator legauit libertatẽ vni ex suis seruis eligendo à suo hærede, si hæres eligat, & seruus hic electus sit tali hæredi ingratus, libertatem non perdit.eod.nu.

Hæres non tenetur ex suo soluere aliena relicta.nu.4.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij neq; lucrum neq; damnum reportare debet ex tali hæreditate. nu.5.

Mala obuenientia hæreditati adita cum beneficio legis, & inuentarij, hæreditati & non hæredi obueniunt.eod.nu.

Inuentarium iura hæredis, & testatoris separat, & non confundit.nu.6.

Inuentarium constituit hæredem quoad damnum euitandum, ac si nunquam hæres fuisset; existimatur enim ac si nunquam hæreditatem adijsset.eod.nu.

Hæres cũ beneficio legis, & inuẽtarii reputatur vt purus administrator, seu executor.nu.7.

Hæreditas adita cum beneficio legis, & inuentarii dicitur iacens.num.8.

Missas alicui ecclesiæ vel hospitali relictas non spectat ad Administratores illius loci pii modtrare, reducere, seu reformare, vel minuere: sed de iure, vel ex Concilio Tridentino spectat ad Episcopum; At ex vi decreti D.N. Vrbani VIII. spectat ad Summum Pontificem.nu.9.

Ordinarii, & non beneficiati habebant potestatem reducendi missas.nu.10.

Gratia concessa à Pontifice de restrictione missarum circa numerum non intelligitur circa pretium, seu pitantiam.nu.11.

Qui potest propria auctoritate aliquid facere & recurrit ad iudicem, si iudex executionem impedit, illud amplius talis exequi non potest. nu.12.

Diminutis bonis relictis cum onere missarum vel alterius pia causæ, minuendum est onus, si diminutio bonorum sit perpetua: secus verò si sit temporalis, etiam si duret per aliquot annos, maximè si reditus sint multò maiores, & ampliores oneribus.nu.13.

re

Digitized by Google

Pensio cedit in causam alimentorum. nu. 14.
Pensionarii beneficiorum, non possunt allegare temporis sterilitatem, & incursus hostium, ad finem diminuendi pensionem, si habuerunt reditus veberes precedentibus annis. nu. 15.
Hæres tenetur renunciare hæreditati non ferenti onus missarum, vel ad pontificem recurrere. nu. 16.
Et hoc etiam verum est in capellaniis collativis. nu. 17.

RESOLVTIO XXXXII.

D. ANTONIVS CARAFA MARCHIO Curati suum vltimum condidit testamentum, & ante hæredis institutionem suum corpus sepeliri iussit in ecclesia sanctissimæ Annuntiatæ, in qua fieri mandauit capellam Sanctæ Mariæ gratiarum, cui capellæ voluit vt assisterent 24. Sacerdotes, qui in perpetuū pro sua, & suæ vxoris anima quotidie celebraret, suumq; hæredem instituendum grauauit, vt cuilibet ex dictis sacerdotib. seu capellanis duc. 50. singulis annis elargiretur, his præcisis verbis. Alli quali 24. Sacerdoti sia obligato il mio herede, e cosi voglio, & ordino di pagare docati cinquanta l'anno per ciascheduno sacerdote, restando à peso del detto mio herede la spesa, che sarà bisogno per la cera, & altre cose necessarie per il seruitio della celebratione delle dette 24. messe in perpetuo &c. *Deinde instituit hæredem vniuersalem domum sanctissimæ Annnnciatæ, quæ hæreditas tunc temporis excedebat summam ducatorum ducentorum mille lium: & ab anno 1622. quo obijt dictus D. Antonius vsque ad præsentem annum 1643. semper fuerunt soluti dicti ducati 50. At quia ob inopiam temporum hæreditas prædicta iam reddita est difficilis exactionis, & penè decocta, prætendunt Gubernatores prædictæ domus Annuntiatæ moderare legatum dictarum missarum propria auctoritate. Quæritur, an hoc licitè prædicti Gubernatores facere possunt?*

1 PRò resp onsione suppono primò, prædictum legatum esse factum incertis indiuiduis de certa specie, nempe Præsbiteris, quos elegerit hæres, (ad hæredem enim spectat electio) & consequenter hoc dici legatū factū incertis personis de certis, quod legatū validū est. Quia tunc substantia legati vel dispositionis non confertur in voluntatem hæredis, sed tantum qualitas vel quoddam accessorium, ideſt illa electio personæ tātum. Tex. est expressus in l. vnus ex familia per totam, ff. de legatis secundo. l. cum quis la seconda eodem tit. l. vtrum §. 1. ff. de rebus dubijs. sic Gomez in l. 31. Tauri n. 4. Gabriel Vasquez de testamentis cap. 8. §. 3. dub. 2. nu. 44. Parisius cons. 38. col. 1. & nu. 31. & 32. vol. 2. Nauarr. cons. 14. de testamentis. Rota apud Caualer. dec. 374. & in d. Reg. pensionis coram Dunofesto. dec. 38. nu. 37. & 38. part. 7. diuersorum nouissimorum &c.

2 Suppono secundò, quod legatarij electi ab hærede, & à testatore in specie tantum signati, seu legatarij incerti ex certis electi ab hærede non accipiunt legatum de manu commissarij, seu hæredis ipsos eligentis, sed de manu legantis sub illa conditione. videtur decisum in l. vnum ex familia §. si de Falcidia ff. de legatis secundo ita sentit Gabriel Vasquez loco cit. nu. 46. qui

3 exemplificat in legante centum filiæ hæredis, seu pro dote, eligendæ ab eodem hærede Patre. Hæc electa præter legatum debet accipere legitimam in-

Digitized by Google

tegram in bonis paternis: sic etiam seruus, cui libertas est legata, eligendus voluntate hæredis, libertatem accipit à primo non à secundo, & ideo licet ingratus sit secundo, non perdit libertatem. Hæc omnia colligit Vasquez ex Gomez, & ex tex. in l. ita autem §. gessisse ff. de administr. tut. & ex regula, quod iussu alterius ff. de regulis iuris & ex cap. qui facit de regulis iuris in sexto.

Vnde sacerdotes assistentes ad celebrandum in capella Marchionis Curati, illa quinquaginta, in quibus grauatur hæres ipsius Marchionis, recipiunt de manu Marchionis, non de manu Annuntiatæ hæredis.

4 Suppono tertiò, hic non quæri an domus Annuntiatæ prædictis sacerdotibus de proprio teneatur soluere vltra vires hereditatis, nam clare patet, quod non teneatur, tum quia Domus Annuntiatæ ex suo aliena relicta persoluere non tenetur. l. scimus quæ est finalis, §. fin autem C. de iure deliberando: sic Marescott. variar. resol. lib. 1. cap. 29. nu. 33. cum hæres cum beneficio legis & Inuentarij neq; damnum, neque lu-
5 crum reportare debeat à tali hereditate dicta l. scimus §. licentia C. de iure deliberandi: & ita de Franch. dec. 613. n. 18. Anna alleg. 30. nu. 14. Capyc. latro consult. 13. num. 1. tum quia mala obuenientia hæreditati adiræ cum beneficio legis &c. non hæredi, sed hæreditati obueniunt, & consequenter legatorijs, & creditoribus. l. mulier 22. §. sed enim si quis, & l. deducta. 1. 5. & §. ante diem ff. ad Trebell. l. 2. §. sed si quid. & l. 3. ff. de hæredit. vel act. vendita: & ita Decius cons. 80. n. 4. dub. 3. Parisius cons. 25. col. penul. & vlt. lib. 2. Peregrinus de fideicommiss. art. 10. nu. 38. & alij apud ipsum tum quia inuentarium iura hæredis, & testatoris separat, & non confundit. Bald. in d. l. scimus §. in computatione nu. 30. in fine C. de iure deliberan. Carn. in l. debitor nu. 3. C. de pactis. Roland. à valle in tract. de Inuentario in 10. vtil. n. 1. & 3. q. 170. in tract. diuers. fol. 86. Anna al. leg. 30. nu. 10. & 33. Seraphinus decis. 842. nu. 5.

Cum Inuentarium quo ad damnum euitandum constituat hæredem ac si nunquam hæres fuisset, Roland. loc. cit. nu. 3. Præses Amatus cons. 46. nu. 8. talis enim hæres existimatur ac si nunquam hæreditatem adijsset, vt ex dicta l. scimus, quæ est finalis §. & si præfatum, & §. in computatione, C. de iure deliberandi. Minad. cons. 17. nu. 3. Regens de Ponte cons. 37. nu. 2. & 3. Anna allegat. 30. nu. 13. Giurba dec. 43. sub nu. 25. Amat. dicto cons. 46. nu. 8.

7 Vnde talis hæres reputatur purus administrator, seu executor, vt optimè Regens Rouitus dec. 48. nu. 11. Immò depositarius hæreditatis, vt dicunt Peregrinus ar. 33. nu. 12. Fontanella dec. 46. nu. 13. & 18. & vti extraneus etiam reputatur, vt probat Amatus d. cons. 46. nu. 8. vers. & facit.

8 Et hæreditas adita cum beneficio legis, & Inuentarij dicitur hæreditas iacens. Bald. in d. l. finali §. in computatione nu. 3. C. de iure deliberandi: Iason ibidem n. 4. Roland. à valle loc. cit. nu. 4. Seraphin. loc. cit. num. 5. Mantica dec. 326. Pro vt hæc, & alia videri possunt in iure, pro venerabili Hospitali D. M. A. Auctore Amicissimo, & doctissimo viro Ioanne Hieronymo de Philippis.

Sed tantum quærimus an stante hac difficili exactione, vel quasi decoctione hæreditatis Curati possint administratores propria auctoritate missas illis reformare, seu moderare, vel diminuere. His positis

9 Respondeo, administratores hospitalis, & domus sanctissimæ Annuntiatæ non posse prædictas missas reformare, reducere, seu moderare in tuta conscientia: sed hanc moderationē, reformationē, ac diminutionem spectare ad Episcopum, ex vi Concilij Tridentini sess. 25. cap. 4. de reformatione, seu ex vi iuris communis, vt in cap. cum accessisset, & cap. ex parte de constitutio-

nibus

nibus. Ita Naugr. in summa cap. 25. n. 138. Horriquez lib. 9. cap. 20. §. 6. Petrus de Ledesma in summa de eucharistia cap. 10. conclus. 16. ad finem Rodrq. tom. 1. quæstionum Regul. q. 3. art. 13. Garsias de benefic. par. 7. cap. 1. nu. 131. & testatur, sic à sacra Congregatione fuisse decisum.

At ex vi decreti Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. anno 1625. in decretis de celebratione Missarum, vers. Ac primo &c. hæc moderatio, seu reformatio, vel diminutio spectat tantum ad summum Pontificem, his verbis, Ac primo districtè prohibet, atq; interdicit, ne Episcopi in Dioecesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera illa missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam sedem recurratur &c.

10 Nec valet dicere, quod hæc constitutio loquatur cum Episcopis, & Generalibus. Quia contra est. Nam ordinarij tantum habent potestatem deducendi, vel moderandi missas, & non beneficiati, vt habetur in cap. cum accessissent de constitutionibus, cap. Nos quidem de testamentis, & ibi Doctores. Fauet l. legatum ff. de vsufructu legato. Ita Azorius tom. 2. lib. 6. cap. 24. quæsito 1. Fabertinus de iure Patronatus lib. 1. q. 6. art. 4. Parez de Lara de Anniuersarij, & capellanijs lib. 1. cap. 15. nu. 6. Garsias de beneficijs 7. part. cap. 1. nu. 12 Ferdinandus à Castropalao tom. 2. tract. 1. disp. 1. puncto 6. num. 23.

Cum ergo hi tantum possint missas deducere, & moderare cum ijs tantum loquitur Decretum, non cum alijs, qui nullo modo possunt.

Nec valet dicere, quod summus Pontifex fuit consultus de hac re, & & dispensauit, quando anno Domini 1631. die 15. Martij post transactionem factam cum R. Camera Apostolica per ducatos quatuor mille, causa missarum non adimpletarum ab anno 1625. vsq; ad 1631. Gubernatores supplicarunt Pontifici, vt commutaret missas quotidianas, & perpetuas in tot anniuersaria perpetua, & deinde possent in tuta conscientia exigere reditus dictarum missarum; quæ gratia fuit concessa sub die 15. Martij 1631. pro vt hæc, & alia videri possunt in copia processus, cuius titulus est, Processus originalis Reuerendi D. Prosperi Salsani cum sacro Hospitali. A. G. P. fol. 84.

Nã contra primo est, quia in illa supplicatione non fuerunt comprehensæ missæ relictę à Marchione Curati, quia supplicatio porrecta Pontifici fuit tenoris sequentis. Sanctissime Pater.

Li Gouernadori della Casa Santa dell' Annuntiata di Napoli espongono à V. S. come detta Casa, & Hospidale sono molte centinara de anni, che furono fundati, e per le grand'opere di carità che in esse si fanno, hanno bauuto molte heredità, donationi, e legati, con peso di messe perpetue &c.

At hæreditas Curati non fuit relicta Annuntiatę cum onere missarum. Nam Marchio grauauit hæredem ad soluendum quinquaginta ducatos singulis annis Capellanis, quibus antea factum erat legatum cum onere missarum; dixerat enim; *Obligando il mio herede, e cosi voglio, & ordino, di pagare docati cinquanta l'anno, per ciascheduno sacerdote, restanda à peso del detto mio herede la spesa, & altre cose necessarie per detta celebratione &c.*

Cum ergo expositum fuit Pontifici, domum, & Hospitale sanctissimę Annuntiatæ habuisse nonnullas hæreditates, donationes, & legata cum onere missarum, & hæreditas hæc non sit cum onere missarum, sed cum onere soluendi ducatos quinquaginta, igitur non fuerunt comprehensæ prædictæ missæ in tali supplicatione. Legatarius enim incertus, electus ab hærede recipit legatum cum onere de manu testaroris, & non hæredis, vt dixi in secundo supposito.) & conse-

quen-

quenter nec in gratia concessa.

Insuper porrecta fuit supplicatio Pontifici ad finem restringendi numerum missarum, non verò ad finem moderandi pretium missarum, quæ de facto celebrabantur tempore supplicationis, verba enim supplicationis hæc sunt; *E perche per l'auenire haueriano da sodisfare detto peso di messe, & Anniuersarij puntualmẽte; & in detta chiesa non si celebrano piu che cento messe il dì &c.* & inter has missas erant viginti quatuor Marchionis Curati) *che però rapresentandosi à V. S. tutte queste considerationi, la supplicano si degni detto peso di messe commutarlo in tanti Anniuersarij l'anno*, petunt ergo onus missarum commutari in anniuersaria, non verò moderari solutiones pro celebrandis centum missis quotidianis iàm expositis, quæ celebrabantur.

Et in decreto sub die 15. Martij 1631 sacra congregatio benignè indulsit, vt oneribus missarum celebrandarum hactenus susceptis satisfieri possit celebratione centum missarum quotidianarum, ac duorum anniuersariorum singulis quibusq; hebdomadis in perpetuum, ita tamen vt in futurum noua onera missarum, etiam per viam legatorum sponte relictorum minimè reciperent &c. pro vt hæc, & alia videri possunt in copia processus originalis, mihi exhibita, cuius titulus est: Processus originalis R. D. Prosperi Sallani cum sacro hospitali A. G. P. a folio 84. vsq; ad 86.

11 Vbi vide, quod grauamen expressum, intolerabile non erat pretium, seu pitantia exhibita pro celebrandis centum missis quotidianis, quæ de facto celebrabantur, sed numerus tantum exorbitans erat; cui moraliter satisfacere non poterant supplicantes, vnde Pontifex prouidit iuxta petitionem, idest ad numerum missarum, non verò ad pretium, seu pitantiam exorbitantem, & ideò Pontifex restrinxit numerum, non moderauit pitantias in legatis pijs relictas tali ecclesiæ pro missis celebrandis.

Et hoc, quòd scilicet Pontifex intellexit restringere numerum, & non moderare pitantiam, adeo est verum, quod vt accepi ab ijsdem Gubernatoribus, supplicarunt Pontifici pro tali restrictione, & acceperunt responsum, quod vel hæreditati Marchionis Curati renunciarent, vel prædictos ducatos quinquaginta singulis Capellanis sol-
12 uerent. Ex quo manifestè deduco, quod etiam si potuissent gubernatores ante istam supplicationem propria auctoritate (quod dicendum non est) prædictas missas restringere, stante tali denegatione facta à Pontifice, amplius illas restringere non possunt. Ita Hyppolitus de Marsilijs de fideiussoribus n. 72. ex Bartolo, & Baldo. Aflic. decis. 326. nu. 2.

13 Confirmatur hoc totum magis ex doctrina communi, seu ex limitatione illius communis doctrinæ, quod scilicet diminutis bonis relictis cum onere missarum, vel alterius piæ causæ, minui debet onus missarum, adito scilicet superiore, ad quem talis reductio spectat vt in specie tradit Aluaradus de conlecturata mente defuncti lib. 2. cap. 2. §. 1. nu. 37.

Et si pro parte sunt diminuta bona, pro parte diminuitur onus, & si in totum extinguitur, in totũ cessabit onus, sicut dicitur de legato l. ei qui amplius ff. de donationibus. Parlador. in 3. parte differentia 17. §. vnico n. 7. Et etiam dicitur de hæreditate relicta cum onere, l. Plautus 43. in principio, & in fine ff. de condit. & demonstr.

Tamen hæc doctrina limitatur communiter à Doctoribus, primo si diminutio non sit perpetua, sed temporalis, vnde si bona relicta pro celebrandis missis præstent magnos reditus, qui sint multo maiores, & ampliores oneribus missarum, si ob sterilitatem aliquo, vel aliquibus annis fructus deficiant, nihilominus missæ sunt adimplendæ iuxta mentem testatoris sine vlla diminutione. Ita sentit Perez de Lara de anniuersarijs, & Capellanijs,

cap.

Digitized by Google

cap.15.nu.15.Romanus cons.369. nu. 32,Idem sentit Ioannes Baptista Caccialupus de pensionibus ecclesiasticis super 16.quæst.n.6. Idem sentit etiam Hieronymus Gigas de pensionibus ecclesiasticis q.62. nu.7. qui pro se citat Paulum de Castro cons. 338. col. penult.in fine,& col.vlt.in principio,nam tunc sterilitas cum vbertate compẽsatur.Lex eo ff.de vino.trit.& oleo,lega-
14 to.Et licet loquatur de pensione,tamẽ quia pensio cedit in causam alimentorum;& in litteris reseruationis pensionum semper dicatur, vt commodius sustentati valeas, vt testatur idẽ Gigas supra quæst.51.num.20. & pitantia quæ datur pro missa quotidiana, etiã detur pro hodierno victu, vt habet Diuus Thomas in 4. dist. 25. quæst. 3. ar.2.quæstiuncula 2. Abbas in c.suam num.4. de simonia, Sylvester verb. Simonia q.9. dicto 3. Paulus Layman lib.4.tra.10.c.vlt. §.4.n.42.ac proinde de fide est esse licitum dare eleemosynam stabilitam pro missa,& nõ dicitur simonia,vt optimè Tho.Sanchez in cõsilijs moralibus lib. 2. c. 3. dub.11. Ideo ea quæ de pensionibus dicuntur, dici possunt de pitantijs missarum.

Et hoc maximè verum est, quando præstatio in pecunia consistit. l.Firmio in princ.ff.quando dies leg.ced.citant etiam pro hac doctrina Gigas, & Caccialupus, Felynum in d.cap.ad audientiam el secondo de rescriptis col.5. in verb. subdit Paulus. & Felynus citat glos.in cap.vobis in glos.finali 12.q.2.
15 quæ dicit, quod Ecclesiarum Prælati non possunt allegare temporis sterilitatem, & incursus hostium, si præcedentibus annis reditus vberes habuerunt. allegant etiam plenè tradita per Doctores in cap. si propter sterilitatẽ de locato,&c. Si ergo destructis,& deperditis omnibus fructibus hæreditatis pinguis ad tẽpus, missæ sunt adimplendæ, à fortiori suspensis partialiter fructibus ad tempus missæ erunt adimplendæ iuxta mentem testatoris.

At hæreditas Curati fuit annis elapsis pinguissima, & nunc sterilitas prouenit ab iniusto bello à Gallis in Italiam illato, consequenter cum diminutio non sit perpetua, sed potius exactio impedita per aliquot annos, (nam bellum perpetuũ esse non potest,) satisfactio Missarum debet esse integra iuxta mentem testatoris, & secundum numerum, & secundum solutionem legatam.

Pinguedo præterea huius hæreditatis iam manifestè apparet à computatione mihi exhibita, vbi manifestè apparet reditus huius hæreditatis ascẽdere ad summam plusquam 200 000. ducatorum, & per multos annos feliciter fuerunt exacti,deinde ob necessitates Regis nostri facti sunt difficilis exactionis.

16 Nec valet dicere, quod hæreditas de facto tale onus sufferre non potest, cum sit notabiliter deteriorata. Quia vel est renuncianda, vel recurrendum ad superiorem pro iustitia, vel gratia, vt optimè Ioannes Baptista Caccialupus de pensionibus Ecclesiasticis super 16.quæstionum num. 3. in fine, & Doctores in responsione allegata.

17 Igitur concludendum est,non posse amplius propria auctoritate prædictos Gubernatores prædictas Capellanias, vel reformare,vel moderari,vel restringere.Ità Paulus Layman lib.5.tract.5. cap.3.num.5. versu,adducat vero,&c. Azorius tom.2. lib.6. cap. 24. quæstio 6.qui loquuntur in terminis de capellanis collatiuis, &c.

SVMMARIVM.

Emptio chyrographorum exactionis regiæ fit in Regno Neapolitano tribus modis scilicet, vt vulgo dicitur, con la girata per altri tanti, con la girata per impronto, e con la girata, atteso che ad esso spettano. *Primus,& secundus modus sunt emptio palliata, & manifesta vsura: tertius modus est vera emptio. nu.1.*

In emptione chyrographorum id quod emitur est

Digitized by Google

est ius ad debitum, non debitum ipsum. n. 2.

Emptio debiti est mutuum virtuale. eod. nu.

Publicanus seu Gabellarius est procurator Regis, quatenus exigit datia à subditis, quãuis se obligauit dare fisco certã mercedẽ, & ipse incerta datia exigat: dicitur verò mã datarius, quatenus habet in commissis, vt pecuniam exactam distribuat inter assignatarios. nu. 3.

Mandatarius tenetur exequi, & seruare formam mandati etiam in minima qualitate. eod. num.

In Regno Neapolitano adsunt litteræ regiæ, quibus præcipitur gabellariis, vt exactum, seu debitum diuidant inter assignatarios ad proportionem, seù per as, & libram. n. 4.

Inter assignatarios, & Regem est initum nouũ pactum, quod etsi nudum, vestitur cohærentia contractus vestiti prius initi, nempe emptionis. nu. 5.

Litteræ Regis facientis pactum non indigent acceptatione, nisi contrahentium, seù interessatorum, qui sunt assignatarii. nu. 6.

Litteræ Regis priuata arctant scientes sine publicatione. nu. 7.

In Regno Neapolitano non possunt emi chyrographa, quæ vulgo dicuntur d'arrendimenti di corte, *quia talis emptio vel est manifesta vsura, vel manifesta rapina. n. 8*

Assignatarius quod vendere potest est tantum ius ad ratam exacti diuidẽdi inter assignatarios, & sic emptor hanc tantum exigere potest. n. 9.

Vnus creditorum non habentium prælationẽ potest totum suum creditum exigere de manu communis debitoris, etiam si sciat alterũ creditorem esse excluſum ratione huius integræ solutionis. nu. 10.

Diligentia prodest creditori respectu principalis debitoris, non verò respectu depositarii, seu procuratoris. nu. 11.

Diligentia non prodest creditori in ordine ad non verum debitum. eod. num.

Prorex non est supra ius gentium, & ideo non potest præcipere, vt quod vni contingit ratione contractus alteri tribuatur. nu. 12.

Gabellarius habet in commissis, vt mandata Proregis, quod soluat vni aliquid extra depositum, replicet, & recurrat ad commissarium sui arrendimenti, & post secundã ordinationem obediat, sed commissarius tenetur de hoc certiorare Regem. nu. 13.

In venditione chyrographorum in nostro Regno Neapolitano intercedit dolus, fraus, & vis. nu. 14.

Qui retinet depositum apud semetipsum dicitur spontaneus depositarius. nu. 15.

Spõtaneus depositarius tenetur ex culpa leuissima, & ex casu fortuito. eod. num.

Depositarius requisitus, si non restituit depositum, dicitur dolum committere. n. 16.

Qui agit contra formam pacti, dolum committit. nu. 17.

Dolus vnius alteri nocere non debet. Secus verò dicendum est, quãdo ex dolo illius ad hũc alterum res peruenit. nu. 18.

Dolus proueniens ab eo, à quo emptor habet causam lucratiuam, reddit nullum contractum. n. 9.

Supponere contractũ pro contractu, est committere fraudem legi. n. 20.

Vis, & metus dicitur manifesta fraus. nu. 21.

Assignatarii arrendimentorum ideo chyrographa vendunt, quia timent iniustam, & totalẽ excluſionẽ à depositio per gabellariũ. eo. n.

Emptor chyrographorum fraudem cõmittit, quoties pactum emittit cum gabellario vt facilius exigat. nu. 22.

Vis interuenit in venditione chyrographorum exactionis regiæ, quoties gabellarij hæc chyrographa emunt. n. 23.

Gabellarii dum emunt hæc chyrographa, causant vilitatem, & difficilem exactionem horum chyrographorum. eod. n.

Pretium, quo emuntur chyrographa in hoc nostro regno Neapolitano, dici non potest iustũ in ordine ad totum debitum in chyrographo contentum. n. 24.

Pretium pendere non potest à voluntate emptoris tantum. eod. n.

Emptor chyrographorũ dum inducit gabellarium ad integram solutionem debiti contenti in chyrographis facit, vt hic committat iniustitiam, & ideo tenentur insolidum ad restitutionem ratione damni illati, rei acceptæ, & iniustæ acceptionis. nu. 26.

Gabellarius tenetur soluere ad ratam debiti totum exactum omnibus assignatariis, etiã si de hoc litteræ regiæ non extarent, & dũ aliter facit, cõtra iustitiam operatur. n. 27.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO XLIII.

An licitum sit emere chirographa exactionis regiæ, quæ vulgo dicuntur, poliſe d'arrendamento di corte, *ſoluendo viginti aureos, plus minusue pro ſingulis centenis ſeu centenarijs, & deinde integrum debitum in chirographo contentum per fauorem, vel amicitiã à Gabellarijs exigere?*

PRo reſponſione ſuppono primò, hoc fieri in hoc noſtro Regno Neapolitano tribus modis.

1 Primo accipiẽdo chirographa ab aſſignatariis cum declaratione, quòd aſſignatarius recepit ab emptore chirographi tot nummos numeratos quot chirographum continet, quod vulgò dicitur, *con la girata per altri tanti*; & hæc non eſt vera emptio, ſed mutuum, cum tunc emptori remaneat ius repetendi ab aſſignatario contenta in chirographo, quoties illa non exigit.

Secundo modo, vt quis accipiat chirographum ab aſſignatario cum declaratione, quòd mutauit ipſi aſſignatario contentam ſummam in chirographo, quod vulgò dicitur *con la girata per impronto*. Et hæc neque eſt emptio, vt patet ex verbis ipſis.

Tertio modo fit, quòd aſſignatarius declarat ſummam in chirographo contentam ſpectare ad emptorem, quod vulgò dicitur *con la girata*, ſcilicet, *Atteſo che ad eſſo ſpettano*, & hæc eſt vera emptio. Primus, & ſecundus modus ſunt manifeſta vſura ſecũdum omnes, quia mutuans, ſeu palliatus emptor plus exigit, quàm mutuauit. Tertius modus eſt vera emptio, & hæc emptio licita eſt ſecundum Sotum de iuſt. lib. 6. quæſt. 4. art. 1. in ſolut. tertij argumenti. Sanchez in conſilijs moralibus lib. 1. cap. 7. dub 17. & 18. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 21. dub. 9. Molfeſium in ſum. tract. 12. c. 5. à nu. 116. Bonacin. de conrract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 10. num. 4. verſ. Addo tamen, &c. & alios apud iſtos auctores.

2 Suppono ſecundò id, quod emi, vel vendi poteſt in hoc contractu eſſe ius, quod aſſignatarius habet in illo reditu, ſeu arrendimento, non verò debitum ipſum. Ita Caietanus verb. vſura ex mutuo implicito, verſ. tertius caſus. Sylueſter verb. vſura 2. quæſt. 14. Diu. Thom. opuſc. 67. & 73. cap. 8. Ioſeph Angles vbi de vſura 2. par. fol. 271. & DD. ſuprà citati in primo ſuppoſito. Et ratio eſt, quia ſi emit debitum, & non ius, erit hoc mutuum virtuale. At ſi emit ius, & non debitum, nulla eſt hic ratio mutui neque formaliter, neq; virtualiter, ſed tãtũ emptionis illius iuris exigendi, quod poſt aſſignationẽ, ſeu vẽditionẽ, ſtatim fit emptoris, & ſi perit ob decoctionẽ patrimonij Regij, emptori perit; & nihil tenetur tunc aſſignatarius venditor reddere emptori de pretio ſoluto, at ſi venderet debitum ipſum, non venderet centũ in ſpe, vt inquit Sotus l. c. ſed centum in re, & cõſequenter ſi periret debitum, venditori periret, & hoc eſſet mutuum virtuale, ſeù mutuum implicitum, & conſequenter manifeſta vſura, vt benè citati DD. in primo, & ſecundo ſuppoſito.

3 Suppono tertio publicanum, ſeu gabellarium eſſe procuratorem Regis quatenus colligit datium à ſubditis, etiam ſi ſe obligauit fiſco dare certam mercedem, & ipſum incerta datia exigere, l. 1. §. hic titulus ff. de publicanis, & vectig. & ibi gloſ. verb. pendant, &c. his verbis. pendant tanquam procuratores (loquitur de publicanis) exigendo pro Fiſco, & quod ſubijcit, vel etiã tributa conſequantur, ſcilicet iure ſuo, & ad ſuum commodum reddendo fiſco certam mercedem, &c. & l. ſi cum Hermes ff. eod. verb. conduceret, &c. vbi gl. pro certa mercede ſingulis annis, vt ipſe minutatium colligat, & talis conductor dicitur publicanus, &c.

Quatenus verò publicanus habet in commiſsis, vt pecuniam debitam ſiue ratione collectionis, ſiue exactionis, ſiue

Digitized by Google

ratione conductionis, diuidat inter assignatarios, gabellarius dicitur mandatarius; tantò magis quia officium ipsum procuratoris quædam species mandati est, l. 1. ff. de procuratoribus, vbi procurator dicitur, qui aliena negotia mãdato domini administrat. Layman lib. 3. de iust. tract. 4. cap. 24. nu. 6. vers. Procurator &c.

Et mandatarius tenetur exequi, & seruare formam mandati, etiam in minima qualitate, Seraphin. decis. 918. num. 2. Butreus in cap. fin. notab. 7. de rest. spol. ex l. diligenter ff. mandati.

4 Suppono quartò esse litteras regias, in quibus præcipitur gabellarijs, vt quando exactum, seu pro affecto soluendum non sufficit ad soluendum omnibus assignatarijs ad rationem septem pro centenarijs; tunc gabellarij soluãt omnibus assignatarijs vniformiter difformiter, ita quòd seruetur proportio inter oẽs assignatarios, seù quòd diuidatur exactum per æs, & libram inter assignatarios, prout videri potest in libro, cuius titulus est, Pragmatica y reforma del tribunal della regia Camera dela Summaria, mandada executar por el Illustrissimo y Eccellentissimo Señor Don Emanuel de Fonseca y Zunica Conte de Monterey, y Fuentes, &c. vbi in pragm. 30. nu. 118. Hæc habes.

Y *Para que los pagamientos de las dichas mis rentas se hagan a su tiempo y plazos, y con la justificaçion, y igualdad necessaria; he mandado dar la orden que sobre ello se ha de guardar; la qual es del tenor siguiente. El Rey. Illustre Conde de Monterey primo de nuestro Consejo de estado, Presidẽte en el de Italia, y nuestro Lugarteniente, y Capitan general. Hauiendose reconoçido por la resulta de la visita, qua en esse Reyno hizo Don Francisco Antonio de Alarcon de mi Consejo Realde Castilla, y mi Visitador general en el; los dãños, que se siguen, de no pagar a cada vno de los Assignatarios de los Arrendamientos de mis rentas Reales dè esse Reyno en el lugar que les toca. Y la desigualdad de la Iusticia, y el descredito de mi Real Patrimonio, y negociacion que pueden hazer los Arrendadores y otras personas, con mi Real hazienda, y para que todo cesse, y haya mejor orden de aqui adelante. Y à cada vno se le pague lo que justamente huuiere de hauer, huuiendose visto en mi Consejo supremo de Italia con Assistencia de dicho Visitador, las ordenes que sobre ello dio el Duque de Alba, siendo Virrey en esse Reyno, y entendido que se han començado a executar en algunos arrendamientos con mucho vtil de los consignatarios, y satisfacion publica, y commigo consultado, he acordado de mandar, como por la presente mando; que de aqui adelante se guarde, cumpla, y execute lo siguiente. Que en los arrẽdamientos cuyo valor, o estallo es sufficiente para pagar todo lo que sobre ellos esta assignado, se pague por mandato general al fin de cada terçia, o semestre despues de la goduta que les da el Tribunal de mi Regia Camara de la Summaria, conforme ala oblicaçion, que tienen, y que estos Arrendadores puedan anticipar vna terçia, o semestre tan solamente a cada vno de los Consignatarios, con iuteres de diez por çiento al Año, respectiuamente del tiempo que se anticipa, y que al fin de la terzia, o semestre se haga al dicho mandato: y entren en ellos que non vuieren cobrado para cobras hasta igualarse, con los que estuuieren anticipados, de modo que en cada*

Digitized by Google

da tercia, ò semestre queden todos iguales. Y los arrendadores, ò consignatarios, que quesieren puedan gozar del beneficio de la dicha anticipacion. Y en quanto a los arrendamientos en cuyo cargo, ò estallo falta alguna cantidad para la paga de los consignatarios puedan los Arrendadores assi mismo anticipar una tercia, ò semestre à los consignatarios que tienen rentas compradas con la Regia Corte, que son las de justicia. Y que al fin de la tercia, ò semestre y gaduna, que da el dicho Tribunal: se haga mandato general, en que se incluyan los que han sido enticipados, a los quales se igualen, y ajusten en aquella tercia, ò semestre los de mas consignatarios de justicia. Y lo que sobrare pagados estos se de a los consignatarios de gracia por su antiguedad de situacion conforme a las ordenes, que sobre esto estan dadas. Y que los pagamentos de las anticipaciones que hizieren los arrendadores se hagan por mãdato o polizas de banco, y con dinero Real, y effectiuo puesto en el banco. Y non con polizas passadoras, como se ha hecho muchas vezes, antes de aora paraque con effecto se euiten las fraudes, que de lo contrario resultan. Y que lo mismo se guarde en la paga de los mãdatos generales de suerte que no lo sean solo en el nombre sino en la substancia, y effecto. Y respecto a los arrendamientos en cuyos estallos no caben todos los consignatarios de justicia, que a estos assignatarios puedan los arrendadores anticiparles tan solamente la medad, ò las dos tercias partes de una tercia ò semestre. Y que al fin de la tercia, ò semestre se haga el mandato general, en el qual se ajusten, y igualen todos los consignatarios, segun la cantidad de lo que han de hauer, y monta el estallo del arrendamiento: Que no se arrienden ningunas de las dichas mis rentas con calidad de que los arrendadores o caradarios cobren sus rentas cõ prelacion sino que entren como los demas en el lugar que les tocare en los mandatos. Y lo mismo se entienda con los Presidentes de mi Camera que fueren Comissarios de las dichas rentas, y de mas ministros de la dicha Camara. ò otras personas poderosas, por quãto es mi voluntad; que los pobres, y de mas consignatarios sean iguales à ellos en las cobranzas, y porque se ha entendido, que los Commissarios de los arrendamientos han tomado mucha mano en hazer pagar aquien les parece, de que nazen muchas quejas de los cõsignatarios, y que corre el alagio mas subido, de lo que solia quando corria el pagamiento por solo los arrendadores, de que tambien naze duplicado descredito a mi Real hazienda: y deseando por todos modos el remedio della mando que los dichos Comissarios no se embarazen en hazer pagar a nadie sino tan solamente en referir en la summaria las quejas, que tuuieren de los consignatarios quando no son pagados al tiempo, y forma que estuuieren obligados los dichos arrendadores. Paraque entonces mi Regia Camara de la Summaria prouea, en appremiarles à la paga cõforme a las ordenes dadas. Y mando que ni el Lugarteniente de la dicha Camara ni de ninguno de los dichos Commissarios non contrauengan a lo aqui contenido. Y que las personas

Digitized by Google

aquien toca toman las cuentas de los dichos arrendamientos no receuan en vlla, ni passen lo que se huuiere pagado en contrauencion de esta orden pena que el Lugarteniente, y Presidentes de la Camara que no la executaren, y los Racionales que lo contrario hizieren cada vno por lo que mira a su officio quedaran obligados a pagar a las partes ò a mi Real hazienda el interesse, que se les huuiere seguido. Y incurran en pena de la sexta parte de lo que assi mandaren pagar cada vez que lo hizieren applicada a mi Real hazienda, y de mas se les hara cargo dello en las visitas, y os mando, que no deys ninguna orden, paraque le pague cosa alguna fuera de mandato, y si la dieredes se os replique, y si despues de la replica, que se os hiziere lo mandaredes cumplir sin embargo della: el Comissario que fuere del tal arrendamiento la obedezca, y me de auiso dello; pena de pagarlo de su hazienda Hareys lo executar, y cumplir por quanto conuiene assi a mi Real seruicio. Como yo lo fio de vuestra persona, y lo mismo mãdo, que se obserue en esta materia de pagamientos quando mis rentas Reales estuuieren en de manco, y se administraren por mi Reg a Corte de Madrid a veynte y seys de Septiembre de mil, y seycientos y treinta, y tres años la qual preinserta orden quiero, y mãdo, que en el dicho Tribunal de mi Regia Camara se guarde, cumpla, y execute por lo que le toca con toda puntualidad como en ella se contiene.

5 Et stantibus his litteris, & voluntate vnanimi omnium creditorum stare volentium huic volũtati Regis, vt omnes assignatarij fatentur, iam est initum nouum pactum inter Regem, & prædictos assignatarios, quod & si pactum nudũ sit, cum sit noua conuentio carens omni alio firmamento, tamen vestitur cohærentia contractus vestiti, nempe emptionis prioris factæ cum Rege, & cum ab hac oriatur illud pactum nudum, sapit naturam huius emptionis. Less. lib. 2. de iust. cap. 17. dub. 3. nu. 17. vers. quinto cohærentia, &c. ex l. si cũ §. qui iniuriarũ ff. si quis cautionibus, &c.

Nec valet dicere, quòd hæ litteræ regiæ non sint acceptatæ, & consequẽter nullius roboris.

6 Quia contra est. Nam litteræ hæ secundum quod nouũ pactum inducunt inter Regem, & assignatarios non sunt leges, sed nouus contractus, seu pactũ nouum inter Regem, & assignatarios, quod pactum sufficit si acceptetur à contrahentibus tantum, seu à Rege, & interessatis, seu assignatarijs. Nam cum hic contractus sit nominatus, nempe emptionis, solo consensu contrahentiũ fit: l. si quis argentum C. de donationibus: gl. in l. vltima verb. Non liberaberis circa medium ff. de conditione causa data. Nec valet dicere, quod hæ litteræ non sunt publicatæ. Quia contra 7 est, nam litteræ Regis arctant scientes sine vlla publicatione, vt probat Costa de iuris, & facti ignorantia dist. 75. centuria 2. nu. 3. Genua de scriptura priuata lib. 3. q. 3 nu. 8. & hoc maximè in foro conscientiæ. Addo, quod cum hæ literæ sint tantum instructiones directæ ad regiam cameram, sufficit si promulgentur dictæ Regiæ Cameræ, seu officialibus ipsius, vt loquitur Salas de legibus disp. 12. sect. 1. nu. 7. de regulis cancellariæ.

Eo magis quia sæpius à prorege per diuersas litteras inculcata fuit obseruantia dictarum litterarum Regis, & quando mandat solui integrum pretiũ alicui dicit, nõ obstãtibus litteris regis de æqualitate. Signum sanè manifestũ obseruantiæ, seu vigoris harum litterarum. His positis

8 Re-

Digitized by Google

8 Respondeo talem emptionem chirographorum prout in casu propositã in hoc nostro Regno Neapolitano esse omninò damnatam, cum sit vel manifesta vsura, vt probaui in primo, & secundo modo, explicatis in primo supposito; vel manifesta rapina, seu iniustitia, si fiat vt in tertio modo.

9 Quod probo primò. Nam assignatarius vẽdendo chirographũ, vendit tantũ ius, quod habet in exacto, seu in deposito facto a Rege penes gabellariũ, hoc enim tantũ vendi, & emi potest vt in secũdo supposito. sed stãte quod Rex inijt nouũ pactum cum assignatarijs de diuidendo exactũ ad æqualitatem, seu proportionem, seu per æs, & libram, vt in quarto supposito, ius quod assignatarius habet ad exactũ, seu ad illud depositũ, est tantum ius ad ratam contingentem ex diuisione reditus illius arrendamenti. ergo ius ad illam ratã tantũ tali assignatario contingentem emit emptor chirographorum. ergo emptor hic non potest exigere totum debitum contentum in chirographo, sed tantum ratam illi assignatario vẽditori cõtingẽtem, ergo si exigit vltra ratam, rapit quod alijs assignatarijs contingit. Nam ideo alij assignatarij sunt excluſi, quia istis emptoribus est integraliter satisfactum.

10 Nec valet dicere, quòd assignatarij sunt creditores Regis, qui nullam habent inter se prælationem, & sic potest vnus creditor sua diligentia totum creditum exigere, excludendo alios creditores, ex dictis per Dianam 3. parte tract. 5. miscell. resol. 10.

11 Quia contra est primò. Nam diligentia prodest creditori respectu veri, seu principalis debitoris, & veri debiti, non verò respectu depositarij, seu procuratoris, & mandatarij in ordine ad debitum non verum. Si enim mihi creditori posteriori debitor meus soluat integrum debitum, possum in tuta conscientia illum retinere, vt inquit Diana cum Homobono in examin. Eccles. p. 2. tract. 10. cap. 3. quæst. 6. casu 7. & Fernãdez in exam. Theolog. moral. par. 4. cap. 5. §. 13. num. 4. At diligentia non potest prodesse creditori in ordine ad depositarium, seu mandatarium, vti est Gabellarius, vt in tertio supposito; quia hic tenetur diligenter custodire fines mandati, etiam in minima qualitate, cap. cũ dilecta de rescriptis. Ioseph Ludou. decis. perus. 37. num. 5. & 6. & decis. 117. num. 12. Rota Genuę apud Bellon. decis. 9. nu. 8. 13. & 14. & decis. 64. nu. 1. Valenzuel. cons. 47. nu. 15. & sequen. vol. 1. Seraph. decis. 918. num. 2. qui citat Butreum in cap. fin. notab. 7. de restitut. spol. & alios.

Nec potest diligentia prodesse creditori in ordine ad non verum creditum, quia diligentia non potest facere, vt creditor plus exigat, quam consequi tenetur. Et cum ius emptum in casu nostro sit ius ad ratam, facta diuisione inter assignatarios, vltra ratam non potest exigere, & si exigit, aliena rapit, nempe portionem aliorum assignatariorum excluſorum. Nam quando his emptoribus est integraliter satisfactũ, semper sunt alij assignatarij simpliciter excluſi, vt in dies videmus.

Nec valet dicere, quòd gabellarius soluit integrum debitum in chirographo contentum istis emptoribus ex mandato Proregis.

12 Quia contra est, tum quia & si Prorex iubeat solui istis emptoribus integrum debitum, debitum integrum est rata contingens ex diuisione per æs, & libram, vt per secundum contractum inter assignatarios, & Regem.

Nec potest Prorex aliud præcipere, quia cũ contractus sint de iure gentiũ, Prorex non est supra ius gentium, igitur posito nouo contractu inito inter Regem, & assignatarios nõ potest Prorex tollere portionem contingentem alijs assignatarijs, & tribuere istis emptoribus. Ita Fagũdez de contract. lib. 5. cap. 17. nu. 6.

13 Tum quia gabellarius est procurator, seù mandatarius, & vt talis tenetur exequi formam mandati etiam in minima

Digitized by Google

sima quantitate, vt in tertio supposito; Et habet in commissis, vt his mandatis nõ obediat, sed teneatur recurrere ad cõmissarium sui arrendamenti, & replicare illi mandato, & post replicationem, si iterum mandetur, teneatur commissarius Regem de hoc certiorare, prout in litteris. *Y os mando, que non deys ninguna orden paraque se pague cosa alguna fuera de mandado. Y si la diere-des se us replique. Y si despues de la replica, que se os bixiere lo mandaredes cumplir sin embargo della. El commissario que fuere de tal arrendamiento le obedezca, y me de auiso dello; pena de pagarlo.*

At cum Gabellarius hoc nõ faciat, consequenter facit contra formam mandati, & sic contra iustitiam, vt dixi.

14 Probatur secundo, quia in contractu huius venditionis in nostro Regno intercedit dolus, fraus, & vis; ergo nullus.

Intercedit dolus, Nam pecunia, quam retinet gabellarius ad finem distribuendi illam assignatarijs, est depositum ex voluntate Regis, vt in præfatis litteris; & dum Gabellarius il-
15 lam non reponit in publico banco, sed retinet penes se, Gabellarius seipsum constituit voluntarium depositarium, seu spontaneum, cum seipsum sponte offerat deposito; cap. bona fides de depositi l. prima §. sæpe ff. depositi; & sic tenetur etiam ex culpa leuissima, vel ex casu fortuito, teste Azorio 3. par. lib. 7. cap. 7. quæst. 2. 3. & 4. ex glossis in dicto cap. bona fides, & dicta l. 1. §. sæpe.

16 Sed depositarius tunc dicitur dolũ committere, quando requisitus depositum non restituit, l. 1. §. inde scribit, & §. Neratius ff. depositi, & l. qui depositum C. depositi, Molfesius in summa tom. 2. tract. 12. cap. 15. num. 32. ergo cum assignatarij semper debitum requirant, & dato quod non requirant, cum in contractu inito inter Regem, & assignatarios sit adiecta dies, & dies interpellet pro homine, l. magnam, C. de contrahenda, vel committenda stipulatione; maximè quando stipulatio est iuramento firmata, vt optime probat Facchin. lib. 2. controuers. cap. 36. n. 1. Ozas. decis. 48. n. 7. Mastrill. decis. 298. num. 17. consequenter dum Gabellarius die debito non soluit, & assignatarij ideo coguntur vendere, dicitur dolum committere cum manifesta iniustitia, & tenetur ad restitutionem, vt optime Fagundez de contract. lib. 3. cap. 17. nu. 2. vers. interdum, & nu. 7.

17 Confirmatur, quia qui agit contra formam pacti, dolum committit, l. palam §. sequitur, & ibi glos. ff. de doli mali, & metus excep. sed gabellarius non soluendo exactum assignatarijs per depositum in publico banco factum, facit cõtra formam pacti stipulati inter ipsum, & Regem, vt patet ex eorum stipulationibus; ergo dolum committit.

Nec valet dicere, quòd dolus non sit commissus ab emptoribus chirographorum, sed à Gabellario, & consequenter emptoribus nocere non debet, l. 2. §. si. ff. si quis cautionibus &c. l. si cum venditor ff. de euictionibus, l. electio §. si absente ff. de noxalibus actionibus.

Quia contra est, tum quia sufficit si dolo tantum assignatarius sit inductus ad contrahendum, vt contractus sit nullus, gl. in cap. peruenit verb. deceptione de empt. & vend. ex can. quis quis Episcopus 12. quæst. 2. & ex cap. cum vniuersorum de rerum permut. & ex l. & eleganter ff. de dolo.

18 Tum quia & si verum sit, quòd dolus vnius alteri nocere non debet, vt in præfata l. electio, & alijs legibus citatis, tamen hoc falsum est, quando ex dolo huius ad alium res peruenit, tunc enim dolus vnius alteri nocet, vt optimè Accursius in d. l. electio §. si absente Verb. noceat. in fin. ff. de noxalibus actionibus ex tex. in l. sed ex dolo ff. de dolo, & l. 3. ff. de trib. l. cuicunque §. fin. ff. de institut. l. apud §. quæsitum ff. de doli exceptione, & ideo da-

tur

Digitized by Google

tur actio doli contra talem tertium possessorem, glos. in l. 2. §. 1. & §. si in ea re ff. de doli, ac metus excep. per text. in l. apud Celsum §. si quis autem, glo. in verb. concesserit ff. de doli mali, & met. excep. & cum in casu nostro ex dolo gabellarij vtilitas emptoribus chirographorum perueniat, ideo istis emptoribus dolus gabellarij nocere debet.

Tũ quia hi emptores habent lucrũ exorbitans ratione amicitiæ, quam habent cum gabellario, vel ratione imperij in ipsum Gabellarium, vt patet, & dolus proueniens ab eo, a
19 quo emptor habet causam lucratiuam lædit, imò nullum reddit contractum ipsum, l. palam §. sequitur, & ibi gl. verb. Noceat. ff. de doli mali, & metus excep. Isti enim emptores dum sibimet integrum pretium solui faciũt à gabellarijs, furantur medijs gabellarijs portiones contingentes alijs assignatarijs.

Intercedit etiam in hoc cõtractu manifesta fraus contra legem, & ipsi legi, Nam cũ Rex præcipiat gabellarijs fieri depositum de exacto, vel debito in publico banco, & debita assignatarijs solui per mandata; Gabellarij nec pecuniam in publico banco deponunt, nec per mandatum soluunt creditoribus Regis, seu assignatarijs. Immò soluunt tantum ementibus iura ab his venditoribus, & sic committunt fraudem legi, dum supponunt contractum
20 pro contractu, supponunt enim contractum inter emptorem chirographorum, & creditorem Regis assignatarium venditorem, pro contractu inter Regem, & assignatarios, & cum debeant soluere exactum nomine Regis istis assignatarijs, nolunt istis soluere; sed ementibus ab istis iura, quibus non se obligarunt soluere, & hæc est manifesta fraus, vt videre est apud Less. lib. primo de Iust. cap. 2. dub. 4. nu. 26.

21 Confirmatur, quia fraus manifesta dicitur uis, & metus, vt optimè gl. in l. iuris gentium §. sed si fraudandi ff. de pactis. sed in tali contractu intercedit metus iniustus. Nam assignatarius ideo vendit, quia timet ne excludatur à tali deposito, cum videat includi tantum amicos gabellarij emptores, vel qui emũt nomine ipsius gabellarij, vel paucos viros potentes, & hoc quotidie experiuntur cum sui totali exclusione, ergo cum manifesto metu iniusto, cum sit contra mentem Regis, & consequenter cum manifesta fraude.

22 Insuper fraus dicitur in casu nostro quoties emptor chirographorum pactũ emittit cum gabellario, vt habeat facilitatem ad exigendum. Ita Molfes. in summa tom. 2. tract. 12. de contract. cap. 5. num. 116. qui citat Molin. disp. 161. de contract. Less. lib. 2. cap. 21. nu. 74. Salas dub. 4. de empt. & vendit.

At in nostro Regno Neapolitano quis non videt non solum pactum interuenire inter emptorem, & gabellarium, vt facilius exigat, sed etiam exacti diuisionem, immò totalem acceptionem, cum hi emptores emant talia iura nomine ipsorum gabellariorũ, qui emunt ad finem excomputandi in computationibus, & per talia iura empta, vt vulgò dicitur, *si coprono*, & sic notabiliter ditantur, quod fit cum manifesta iniustitia, Fagundez l. cit. nu. 7. Molina lib. 2. de iustitia disp. 313.

23 Et ecce vis manifesta, nam ex Soto lib. 6. de iust. quæst. 4. art. 1. in solut. 3. argumenti, vis in casu nostro tunc dicitur intercedere, quando qui soluere debet nomine Regis, prædicta chirographa minoris emit. Vnde ex eo quia isti gabellarij emunt hæc chirographa, fiunt difficilis exactionis, & ita vilescunt, vt optimè obseruat Fagundez lib. 5. de contract. cap. 16. num. 8. Mol. l. c. disp. 313. Less. lib. 2. de iust. cap. 21. dub. 9. nu. 10.

Nec valet dicere, quòd hi emptores emunt chirographa pretio currenti, & consequenter iusto.

Quia contra est, tum quia pretium hoc vilescit malitia gabellarij, non verò de natura chirographi, & cum sit ex dolo, & fraude gabellarij, non potest em-

Digitized by Google

emptor amicus gabellarij ditari ex fraude alterius, vt patet. tũ quia si pretium hoc erit iustum (quod affirmare non audeo) erit iustum in ordine ad
24 ratam venditori contingentem tantũ, & non in ordine ad totum debitum, vt dixi, & dum totum exigit, quod non emit exigit: tum quia si pretium currens esset iustum, sequeretur quod assignatarius non posset vendere vltra tale pretium, & si venderet, teneretur ad restitutionem emptori chirographorum, quod nemo dixit: tũ quia pretium illud iustum dici non potest, nam non est taxatum à Principe, & sic non legitimum: nec dici potest naturale, quia non est taxatum ab expertis, sed ab ipsis emptoribus amicis gabellariorum, qui passione lucrandi ducti taxant pretia chirographorum ad sui placitum, quod est contra rationem pretij, l. pretia rerum ff. ad legẽ falcidiam. Fagundez de contract. lib. 5. cap. 16. num. 18. vers. Nec obstat. Less. de iust. lib. 2. cap. 21. dub. 9. nu. 74. Molina lit. C. disp. 361. §. illud etiam obserua. Pretium enim pendere non potest à voluntate emptoris tantum, vt bene Fagundez l. c. cap. 29. nu. 6. tum quia assignatarij sunt inducti timore iniusto, (ne scilicet excludantur omninò à deposito) ad vendendum tali pretio, & ideo tale pretium iustum dici non potest.

Confirmatur, seu potius probatur tertiò. Quia mandatarius non potest excedere fines mandati, vt ex l. diligẽter sæpius dixi. Ergo si gabellarius integrum pretium soluit vni, & alterum excludit, facit contra mandatum, &
25 consequenter contra iustitiam cum lædat iura assignatariorum excluſorũ. Ergo emptores horum chirographorum dum integrum debitum sibi soluere faciunt, inducunt gabellarium ad committendum aliquid contra iustitiã. Ergo tenentur in solidum ad restitutionem accepti vltra ratam in damnum aliorũ assignatariorũ. Cõfirmatur quia etsi hę litterę regię non essẽt, nõ posset
26 gabellarius vni creditori potius soluere, quam alteri, sed teneretur facere solutionem ad ratam, ita vt nullus grauaretur. Ita Fagundez l. c. lib. 5. cap. 17. nu. 6. Bonac. de contract. disp. 3. quæst. 3. Molina tom. 2. de Iust. disput. 313. Quia Rex ipse tenetur seruare hanc æqualitatem vt præcitati DD. ergo & si hę litteræ non essent, non possent hi emptores ipsum gabellarium inducere ad talem integram solutionem talis debiti, & si inducerent peccarent contra iustitiam, dum aliorum iura lęderẽt, & consequenter tenerẽtur in solidum ad restitutionem. Tenẽtur igitur ad restitutionem emptores, & gabellarij ratione rei acceptæ, cum accipiant quod est aliorũ assignatariorum; ratione iniustæ acceptionis, cũ accipiant ab assignatario debitum contra formam contractus noui iniri inter Regem, & assignatarios, & contra formam mandati; & ratione damni illati. Nam ideo alij assignatarij sunt excluſi, quia his emptoribus est adæquate satisfactũ, vt patet ex computationibus à gabellarijs deductis tẽpore quo satisfactionem integram demonstrant commissario sui arrendimenti.

Cõcludo igitur, quod hæ emptiones in nostro Regno Neap. cum sẽper fiãt cum declaratione, quod assignatarius totidem numerata accepit ab emptore quod vulgo dicitur *con la girata per altri tanti*, semper sunt pálliata vsura, cũ emptoribus remaneat ius repetendi in chirographo contenta ab assignatario, quoties chirographum nullum effectum habet; vt sentiunt auctores citati in primo, & secundo supposito. Et quãdo fiunt cum declaratione, quòd contenta in chirographo spectant ad emptorem, tunc si emptor integrum debitum in chirographo contentum exigit, committit manifestã iniustitiam, quia assignatarius potest vendere ratam tãtum sibi cõtingentem in depoſito, & nõ totũ debitũ, & cõsequenter emptor ratam tantum emere potest, & hanc exigere tantum; & cum gabellarius in nostro

Digitized by Google

stro regno sit voluntarius depositarius, consequenter tenetur exequi mandata depositantis, maximè quando fiunt cũ interesse tertij, & gabellarius habeat mandatum à Rege, vt soluat omnibus per æs, & libram: tum quia in tali contractu in nostro Regno adest dolus, dũ Gabellarius requisitus, vel statuto tempore depositum non soluit; & dum agit contra formam mandati Regis soluendo totum debitum vni creditori, & excludendo alios concreditores. Insuper in tali contractu intercedit fraus contra legem, dum non soluit per mandatum in publico banco, sicut gabellarijs præcipitur à Rege; & intercedit fraus legi, dum nolunt gabellarij soluere proprijs assignatarijs, sed emptoribus chirographorum. Intercedit etiã metus iniustus, dum assignatarius vendit, quia timet iniustam, & totalem exclusionem à depositio. Intercedit vis, dum ipsi gabellarij talia chirographa emunt. Nec pretium quo isti emptores emunt iustum dici potest, dum est taxatum ab emptoribus tantum; & dum coguntur assignatarij tali pretio vendere timore totalis exclusionis. Nec est tutus in conscientia talis emptor, sed tenetur cum gabellario in solidum ad restitutionem, dum inducit ipsum gabellarium ad actum per se iniustum, vt probaui.

SVMMARIVM.

Lex continere debet iustitiam legalem commutatiuam, & distributiuam, & etiam habere debet iustitiã in materia, in forma, in fine, & in agente. nu. 1.

Lex si iniustitiam contineat in forma, seu distributione; vel in materia, seu æqualitate ad onus, non est nulla, & si non obliget secundum excessum. eod. num.

Iustitia dubia in lege ex parte subditi obligat subditum ad obseruantiam legis, si sit certus de potestate legislatoris. nu. 2.

Mandatum superioris in dubio præsupponitur iustum. eod. num. quo modo hoc sit verum. num. 10.

Non potest quis expoliare possessorem possessione, & si ignoret titulum possessionis. eod. num.

Mandatum dubium præsupponit absolutam possessionem in mandante. nu. 3.

In dubio tutior pars est sequenda. eod. num.

Dubium subditi est omninò extrinsecum potestati superioris. nu. 4.

Superior non tenetur reddere rationem subditis de præcepto impositio. nu. 5.

Qui dubitat de præcepto superioris, nullo modo cognoscit præceptum superioris esse iniustum; at qui cognoscit præceptum superioris esse probabiliter iustum, cognoscit etiã esse probabiliter iniustum. num. 6.

Præceptum certum præferendum est præcepto dubio. nu. 7.

Quando subditus certò scit superiorem dubitare an res præcepta excedat suam potestatem, non tenetur obedire. nu. 8.

Nemini licet disponere de re, de qua dubitat an sit sua. nu. 9.

Præceptum dubium præsupponitur iustum quando est dubium ex parte modi, vel dubium ex parte materiæ, vel quantum est ex parte subditi tantum, non vero quando superior dubitat de sua potestate. nu. 10.

Quando superior dubitat, & præcipit, operatur cum dubio practico, non autem subditus si non obedit nu. 11. Sicut etiam talis superior non sequitur partem tutiorem in dubio. nu. 12.

Iustitia probabilis in lege non sufficit ad simpliciter obligandum subditum. nu. 13.

Incertitudo in lege oritur vel à dubietate, vel ab opinione. Si oritur à dubietate, non potest huic legi subditus non obedire, at si oritur ab opinione potest non obedire. nu. 14.

Subditus quidquid potest licitè, tenetur exequi accedente præcepto superioris habentis potestatem absolutam, non vero probabilem præcipiendi. nu. 15.

Subditus non dicitur simpliciter, sed secundum quid, seù probabiliter subditus, quãdo adest tantum opinio, quod res præcepta sit licita. eod. num.

Non implicat bellum iustum, & iniustum respectu diuersorum, & si implicet secundum idem. Sicut nec bellum iustum, & iniustum opinabiliter. num. 16.

Digitized by Google

Potest quis spoliare aliquem re probabiliter iustè possessa. Nam iustitia probabilis admittit secum iniustitiam probabilem. num. 17.

RESOLVTIO XLIV.

Qualis Iustitia requiratur in lege humana, ad hoc vt subditos obliget?

1 REspondeo, quod lex Iustitiã continere debet non solũ legalem, quia debet pro suo fine respicere bonum commune, quod proprium est iustitiæ legalis, sed etiam continere debet iustitiam commutatiuam, quia Princeps non potest præcipere non subditis, nec vltra vires suæ iurisdictionis: Vnde si Princeps leges ferret pro personis non subditis: etiã si leges illæ bonum commune respicerent, nõ essent validæ, & peccaret Princeps cõtra iustitiam commutatiuam. Sic etiam si Princeps præcipiat aliquid, quod in communicatione, seu inuestitura Regni conuentum fuit ne præciperetur, si deinde præcipit, facit etiam contra iustitiam commutatiuam. Insuper in lege requiritur iustitia distributiua quia Princeps præcipiẽdo multitudini quasi distribuit onus inter partes Reipublicæ in ordine ad bonum commune, & ideo seruare debet æqualitatem distributionis, quæ ad iustitiam distributiuam spectat. Ita D. Thomas prima secundæ quæst. 96. art. 4. Addit Alphõsus de Castro de lege pœnali cap. 5. docum. 1. quod in lege requiritur etiã iustitia inter onus impositum, & causam impositionis: si enim communitati ob nouam necessitatem onus imponitur, non solum debet onus hoc esse æqualiter distributum inter communitatis partes, sed etiam debet esse æquale necessitati, propter quam imponitur, vt colligitur ex Can. Quia plerique de immunitate ecclesiastica. Itaque in lege requiritur iustitia in Agente, quia legislator debet habere potestatem ferendi leges: in Fine, quia debet respicere bonũ cõmune: in Forma quia debet esse æqualis distributio: in Materia, quia debet esse æqualis ad onus, propter quod imponitur. Verum tamẽ est, quod si lex deficiat in vltimis Iustitijs, nempè formæ, seu distributionis, & materiæ, seu æqualitatis ad onus, lex non est nulla, si alias conditiones ad legem requisitas habet, & si non obliget secundum excessum. Ita Suarez de legibus cap. 9. num. 16.

2 Hæc tamen Iustitia in lege sufficit si sit dubia, ad hoc vt lex obliget quantum est ex parte subditi, dummodo subditus sit certus de potestate ferentis illam. si ergo subditus dubitat an lex tendat, vel non tendat ad bonum commune, vel an sit æqualiter distributa inter subditos, vel an onus impositum sit æquale necessitati, propter quam imponitur, vel an lex excedat potestatem legislatiuam ferẽtis illam, in omnibus his tenetur subditus obedire legislatori, & peccat non obediẽdo, dummodo subditus sciat superiorem non dubitare de iustitia legis. Et ratio est quia mandatum superioris in dubio præsupponitur iustum. Can. quid culpatur 23. quæst. 1. in fine: sed tenetur subditus obedire mandato iusto superioris, vt patet. ergo. Tum quia si quis dubitat an res ab alio possessa, sit sua, & si ignoret titulum possessionis possidentis, non potest spoliare talem re illa; Nam exponeret se periculo expoliandi Dominum re propria. Nec per dubium quod alter habet, possessor spoliatur sua possessione actuali. ergo neque subditus poterit spoliare superiorem obedientiæ, & si ignoret quo iure, & quo fine præceptum imposuit: quum superior sit in possessione
3 præcipiendi. Dubium enim absolutam possessionem in mandante supponit vt optime Ioannes Sanchez loc. cit. num. 35. circa medium. Tum quia in dubio tutior pars est sequenda, ne quis se exponat periculo peccandi, sed in casu nostro tutius est obedire legi, quia obediendo ad nullum peccatum se exponit subditus, & transgrediendo est in pe-

in periculo peccandi contra præceptū impositum, ergo subditus tenetur obedire legi dubiæ, ergo Iustitia dubia in lege sufficit ad obligandum subditum. Tum quia superior non amittit ius, quod alias habet super illa re, ex eo quia subditus dubitat, ergo se habet
4 illud dubium subditi quoad potestatem superioris, ac si non esset, cum sit omnino extrinsecum potestati superioris, ergo subditus tenetur obedire, quum Ius superioris sit omnino illæsum a dubietate eius, quia si nullum esset dubium subditus teneretur obedire, quum ergo ita se habeat dubium subditi, ac si non esset respectu superioris; subditus tenetur obedire etiam si dubitet. Tum quia superior non te-
5 netur reddere rationem de præcepto impositio; nam bonum commune deperiret, si standum esset sensui subditorum: & si de præceptis latis à superiore ratio subditis reddenda esset, ergo subditus tenetur obedire, & si ignoret rationem, seu iustitiam legis; ergo iustitia dubia sufficit in lege ad obligādum subditum, quantum est ex parte subditi. Ita Rodriquez quæstionum regularium tom. 3. q. 14. art. 4. Vasquez in primam secundæ tom. 1. disp. 62. c. 6. num. 33. in fine.

6 Nec dicas quod qui habet opinionē pro se contra opinionem superioris, potest non obedire, ergo etiam qui dubitat. Quia contra est: Nam qui habet dubium nullo modo cognoscit præceptum superioris esse iniustum, & dum superior sit in possessione præcipiendi, melior est conditio possidentis. At qui cognoscit præceptum superioris esse probabiliter iustum, cognoscit etiam esse probabiliter iniustum, & scit subditus, quod potest sequi propriam opinionem, secundum quam præceptum illud superioris est iniustum.

7 Nec dicas, quod quando dubito de materia præcepta, dubito an adsit præceptum supremi superioris, cui teneor obedire, ergo nō possum obedire huic infimo superiori præcipienti. Nam contra est, quia sum certus de præcepto superioris infimi, quod præceptum in dubio supponitur iustum, vt dixi, & dubito de supremi superioris præcepto: at certitudo præferenda est dubietati, ergo præceptum certum infimi superioris præferendū est præcepto dubio superioris supremi, ergo teneor ad præceptum superioris infimi, & si dubito de materia præcepta. Vel dic quod quum dubito an materia sit licita, vel contra Ius naturale, vel diuinum tunc non teneor obedire, quia tunc superior etiam dubitat, an licitè possit præcipere, vt dicam infra.

8 Si verò Legislator dubitat an res præcepta excedat suam potestatem, & subditus scit tale dubium superioris, tunc non tenetur subditus obedire superiori, ita Thom. Sanchez in summa lib. 6. cap. 3. num. 21. circa medium. Et ratio est quia nemini licet disponere de
9 re, de qua dubitat an sit sua, maximè quando nullam de re illa habet possessionem, ergo neque licebit superiori præcipere quod dubitat an sit contra libertatem subditorum. Nec in tali casu possessio fauet superiori; quia superior est in possessione præcipiendi iusta simpliciter, & non quæ in dubio sunt iusta, ergo quando præcipit rem sub dubio iustam, & subditus in hoc nō obedit superiori; cum tali inobedientia subditus potius tuetur suam libertatem, quam spoliat superiorem possessione aliqua, cum de hoc numquam superior habuerit possessionē, vt dixi, ergo subditus in casu dubio ex parte superioris non tenetur obedire.

Nec obstat Canon Quid culpatur 23. quæst. 1. vbi clare habetur, quod præceptum in dubio præsupponitur
10 iustum. Quia Canon est intelligendus secundum Sanchez in summa lib. 6. c. 3. nu. 21. de iniquitate ex parte modi, nempè quando Rex habet iustam causam ferendi legem, & vult illam præcipere ex iniquitate, aut dubito an præcipiat ex iniquitate: vel secūdum Merollam loco citato num. 338. Canon est

intelligendus de iniquitate materiali concomitante, nempè & si Princeps iniquus sit,& iusta præcipiat, tenetur subditus obedire:vel est intelligendus de materia dubia ex parte subditi,non verò ex parte superioris,vt diximus, & patet legenti ipsum Canonem.

11 Nec subditus non obediendo operatur cum dubio practico.Quia potius superior operatur cum tali dubio, nam dubitando an hic, & nunc ratione suæ potestatis possit præcipere aliquid, & cum tali dubio præcipit: subditus verò certò scit non posse superiorem præcipere quod dubitat an suam excedat potestatem: consequenter practicè scit subditus se tueri suam libertatem non obediendo: nec spoliat superiorem iure aliquo non obediendo, quia hoc ius nunquam habuit superior,vt diximus,imo potius superior sic in dubio præcipiendo spoliat subditum libertate, quam possidet.

12 Nec obstat quod in dubio tutior pars sit sequenda. Quia in tali casu superior operatur in dubio, & sic superior se exponit periculo expoliandi indebitè subditum sua libertate, nam subditus certò scit superiorem non posse præcipere quando dubitat de sua potestate, & sic subditus non est minus tutus à culpa non obediendo, quam obediendo superiori sic præcipienti.

13 Si verò Iustitia in lege sit tantum probabilis, non sufficit ad simpliciter obligãdum subditum. Ita Thom.Sanchez in summa lib.6.cap.3.n.3.Ioann. Sanch.in Selectis disp.33.num. 32. Nã quando est opinio pro superiore, & pro subdito,possessio non magis fauet iuri superioris in subditum, quam libertati ipsius subditi,vt patet: ergo nõ est maior ratio cur subditus teneatur obedire superiori, quam sequi suam libertatem. Nam posita sub opinione potestate superioris in subditum, eo ipso non dicitur superior simpliciter esse in possessione,sed tantum sub opinione, seu opinabiliter, & sub opinione etiam est subditum non teneri obedire superiori sic præcipienti.

Nec dicas primò,quod subditus tenetur obedire quando est incertus de re præcepta an sit licita,vel an excedat potestatem superioris, ergo etiam tenetur subditus obedire quando adest opinio quòd res præcepta sit iusta,quia tunc subditus etiam est incertus.

14 Nam respondet Ioann.Sanchez loco citato num.37. quod incertitudo in lege oriri potest vel à dubietate, vel ab opinione:quando enim oritur à dubietate non potest subditus non obedire,cum superior sit in possessione, & in dubio melior sit conditio possidentis, nec potest subditus cum suo iure dubio expoliare superiorem suo iure certo: At quando incertitudo oritur ab opinione, potest subditus non obedire,quia fas est cuique vti opinione probabili,vt omnes concedunt.

Nec dicas secundò cum Vasquez in primam secũdæ quæst.19.disp.62.cap. 6.num.32.quod subditus id,quod potest licitè exequi, tenetur exequi, accedente præcepto superioris: sed potest licitè exequi quod præcipitur, & si sit sub opinione, ergo tenetur.

15 Nam contra est,quia subditus tenetur exequi quidquid potest licitè exequi accedente præcepto superioris habentis potestatem absolutè illud præcipiendi. Nam ad præcipiendum requiritur Iustitia ex parte præcipientis, seu requiritur potestas in præcipiente ad rem illam præcipiendam, quæ potestas in præcipiente si est absoluta, subditus tenetur absolutè exequi mãdatum,si licitè potest, si verò potestas illa in superiore est sub opinione:tunc quia vnicuiq; licitũ est vti opinione probabili; subditus poterit licitè nõ obedire,sequẽdo opinionẽ probabilẽ oppositam. Vndè distinguẽda est maior, quidquid potest subditus licitè exequi vt subditus est,tenetur si præcipiatur, conceditur;quidquid potest subditus licitè exequi vt non subditus, tenetur, nega-

Digitized by Google

negatur: Nam potest subditus licitè exequi præceptum superioris circa res merè internas, & tamen non tenetur: sic etiã dicẽdum est, quod quando adest opinio de re præcepta potest subditus sequi opinionem oppositam superiori, quia secundum illam opinionem subditus in illa re non est subditus, nisi probabiliter, & sic quamuis licitè possit, non tenetur.

Nec dicas tertiò, quod sic daretur bellum iustum ex vtraque parte, cum licitum sit superiori præcipere aliquid sequendo opinionem sibi fauentem, & licitum sit subdito non obedire sequendo opinionem sibi fauentem.

16 Nam contra est, quia non implicat dari bellum iustum ex vtraque parte, quando ignoramus veritatem: ignorãtia enim veritatis vtrumque excusat, vt optimè Thom. Sanchez loco citato in fine, nam tunc bellum erit iustum ex vna parte materialiter, & formaliter à parte rei: ex altera autem parte erit iustum tantum formaliter, & erit materialiter iniustum: quia si coram Deo superior iusta præcipit, quæ secundum opinionem subditi sunt iniusta; tunc superior injicit bellum iustum materialiter, & formaliter, & si subditus injiciat bellum formaliter tantum iustum, & materialiter iniustum. Vndè subditus quando non obedit præcepto superioris, ductus ab opinione probabili; tunc non facit bellum de re iusta absolutè contra rem iustam absolutè, nam hoc implicat, sed facit bellũ de re iusta probabiliter contra rem iniustam probabiliter, vt optimè Ioann. Sanchez loco citato num. 42. vers. sed esto, &c. ex Maldero de virtutibus q. 40 dub. 4. & Molina tom. 1. de iustitia disp. 103. & sic bellum non erit iustum, & iniustum secundum idem, idest secundum eandem rationem, sed erit iustum secundum rationem superioris in sua opinione, secundum quam rationem erit iniustum bellum subditi contra superiorem: & erit bellum iustum secundum opinoinem, seu rationem opinionis subditi, secundum quã rationem erit iniustum bellum superioris in subditum, & sic erit bellum iustum, & iniustum respectu diuersorum, quod non implicat, non enim implicat quod idẽ sit debitor, & creditor eiusdem secundum diuersas rationes.

Nec dicas quartò cum alijs, quod subditus peccat contra iustitiam, dum superiorem spoliat iure præcipiendi, quod ius superior habet ab illa opinione probabili, qui enim alterum spoliat re, quam iustè possidet, iniustitiam committit.

17 Nam contra est, quia & si verum sit quod qui alium spoliat re, quam iuste possidet, peccat contra iustitiam, tamen hoc verum est, quando rem iustè absolutè possidet: at quando possidet rem iustè probabiliter, & non absolutè, tũc non facit contra iustitiam, qui re illa ipsum spoliat, sequendo opinionem oppositam. Nam possidere iustè probabiliter admittit secum iniustè probabiliter possidere: quando igitur subditus spoliat superiorem illo iure iustè probabiliter possesso, non spoliat illũ secũdum quod iustè probabiliter possidet secundum opinionem superioris, sed secundum quod iniustè probabiliter possidet secundum opinionem ipsius subditi. Ita Ioannes Sanchez loco citato vers. sed esto, &c.

SVMMARIVM.

Miles siue sit subditus siue non, si scit suum principem non dubitare de iustitia belli, tenetur obedire. num. 1. Si verò scit suum Principem dubitare, non potest in tuta cõscientia obedire. nu. 2.

Bellum in dubio præceptum est formaliter malum. nu. 3.

Iustitia principis, & militis in bellando vna & eadem est. nu. 4.

Miles subditus si scit suum principem dubitare de iustitia belli, scit habere suum principem præceptum naturale de non bellando ante depositionem dubij. nu. 5.

Operatio practica subditi habet eandem ho-

ne-

Digitized by Google

nellatem, quam habet operatio practica superioris in præcipiendo.nu.6.

Miles subditus, qui scit suum principem dubitare, obediendo peccat contra iustitiam, & caritatẽ.num.7.

Quando concurrunt duo præcepta per se opposita ad aliquid faciendum ineuitabiliter, faciendum est quod est minus peccatum.eod.num.

Miles, qui habet opinionem probabilem, quod bellum sit iustum, potest, sed non tenetur militare.num.8.

Cuilibet licitum est uti opinione probabili. eod. num.

Quod præcipitur cum opinione probabili, nec licitum, nec illicitum est simpliciter, sed est utrumque opinabiliter. eod. num.

Miles, qui militauit cum opinione probabili, & damnum intulit, si postea aduertit bellũ fuisse iniustum, ad nullam tenetur restitutionem: sicut nec tenetur restituere bona in tali bello accepta, & consumpta, dummodo ex illis non sit factus ditior.nu. 9.

Qui nullam commisit culpã mortalẽ inferendo damnum alteri, ad nullam tenetur restitutionem ex damno illato. eod.n.

RESOLVTIO XLV.

An miliți, siue sit subditus, siue non, licitum sit militare, si dubitet de iustitia belli?

1 REspõdeo, vel miles scit suũ Principem dubitare de iustitia belli, vel non: si non scit suum Principem dubitare, tenetur obedire: tum quia Miles non tenetur examinare iustitiam præcepti, vt optime D. Thomas de veritate q. 17. art. 5. ad quartum, quando non dubitat de prudentia, & bonitate Principis. Tum quia sic agendo miles tutius facit, quum non se exponat periculo inobedientiæ: tum quia præceptum in dubio præsupponitur iustum: tum quia possessio stat pro Principe præcipiente: tum quia Principi non expedit causam sui belli omnibus aperire, vt suprà diximus. Ità Petrus à Nauarra de restitutione lib. 2. ca. 3. n. 278. Ioann. Salas in prima secundæ q. 21. tra. 8. disput. 1. sect. 26. nu. 272.

2 Si verò Miles siuè sit subditus, siue non, scit etiam suum superiorem dubitare de iustitia belli, tunc non potest in tuta conscientia militare, quia tunc Princeps operatur cum conscientia practicè dubia, & miles militando cum tali principe operatur cum eadem cõscientia practicè dubia, & consequenter exponit se periculo iniustè militãdi sicut Princeps, & sic peccat miles sicut Principes. Nam miles antequam militet tenetur exire de dubio, vel per principia intrinseca, vel principia saltèm extrinseca, vt rectè Vasquez in prima secundæ quæst. 66. cap. 9. nu. 53. Bannes secunda secundæ quæst. 40. ar. 1. dub. 6. concluſ. 3. Petrus Ledesma 2. tom. summæ tract. 3. cap. 13. concluſ. 21 Salas prima secundæ q. 11. tract. 8. disp. 1. sect. 26. num. 275. Rodriquez 1. par. summæ in secunda editione cap. 126. concluſ. 4.

3 Adde quod subditus non tenetur obedire præcepto superioris de re formaliter mala: sed in tali casu bellum præceptum est formaliter malum; ideò enim superior peccat in casu nostro, quia agit bellum formaliter malum, nempè cum dubio practico; ergo subditus non tenetur obedire; non enim possum cooperari ad spoliandum alterum re possessa ex eo, quia Petrus e.g. dubitat an res illa sit sua.

4 Insuper iustitia militis in tali bello est eadem cum iustitia Principis: sed iustitia Principis est practicè dubia, & consequenter peccat Princeps sic militando; ergo etiam iustitia militis erit practicè dubia, & consequenter miles peccabit sic militando: ergo in tali casu miles non tenetur obedire.

Nec dicas cum Merolla disp. 3. c. 3. num. 328. seu potius cum Sanchez lib. 6. sum-

Digitized by Google

6. summæ cap. 3. num. 14. circa finem; quod miles subditus in dubio tenetur obedire: secus verò non subditus, quia quoties quis speculatiuè dubitat (hæc sunt verba Merollæ, seu Sanch. loc. ci.) an talis res licita sit, tenetur quoque practicè dubitare, nisi aliqua ratio specialis cogat variare iudicium practicũ, stante contrario speculatiuo: at quoties subdito præcipitur aliquid, de cuius honestate ipse dubitat speculatiuè, adest specialis ratio cogens ad contrarium iudicium practicum formandum, nempè præceptum Superioris in eo dubio possidentis. quum ergo hæc ratio cesset in non subditis, non poterunt stante iudicio speculatiuè dubio contrarium practicum concipere, vt vel sic possint licitè cũ eo dubio speculatiuo operari. Hæc ibi, &c.

5 Nam contra est, quia Miles in casu nostro etiam subditus scit Principem præcipientem habere præceptum naturale de non bellando cum tali dubio, & consequenter scit subditus miles suũ Principem habere præceptum naturale de non præcipiendo fieri per alium, quod per se ipsum iustè facere non potest; quãdo ergo subditus scit superiorem præcipere, quod est contra regulã rationis, vel contra præceptum supremi superioris, non tenetur, nec potest obedire, vt fatetur ipsemet Merolla supra num. 217. seu Sanch. loc. cit. num. 8. & est opinio D. Thomæ secunda secũdæ quæst. 104. artic. 5. ad tertium. ergo miles in casu nostro etiam si sit subditus non solum non tenetur obedire superiori dubitanti de re præcepta, sed nec potest. Tunc enim quis speculatiuè dubitans potest practicè non dubitare, quando adest ratio, quæ iustè cogere potest ad non dubitandum practicè, at in casu nostro non adest hæc ratio, quæ iustè cogere possit ad deponendum dubium practicum, cum præceptum superioris in tali casu sit formaliter iniustum, & si materialiter possit esse iustum, & Princeps præcipit formaliter sine potestate, cum præcipiat contrà præceptum naturale de non operando cum dubio practico: præceptum igitur positiuum formaliter malum non debet obstare præcepto naturali formaliter, & materialiter bono; ergo miles etiam subditus in casu nostro non habet rationem deponendi dubiũ practicum, & operando operatur cum dubio practico, & consequenter peccat.

6 Quod magis patet sic: nam ità practicè operatur miles etiam subditus materialiter, & formaliter, sicut Princeps in casu nostro: Nam operatio practica subditi, cum sciat dubitationem superioris, non habet aliam honestatẽ, quàm honestatem, quam habet operatio superioris; sed superior peccat taliter operando: ergo & subditus.

7 Adde quòd subditus miles sciens dubium superioris in operando, peccat contrà charitatem, dum cooperatur ad peccatum superioris; & contrà iustitiam formaliter, dum se exponit periculo vexandi iniustè, & spoliandi alterum re, quam iustè possidet; at quando concurrunt duo præcepta per se opposita ad aliquid ineuitabiliter faciendũ, semper quod est minus peccatum est faciendum, ergo concurrẽte præcepto charitatis, & præcepto iustitiæ ex vna parte, & ex altera præcepto positiuo superioris tantum, potius miles debet non obedire, quàm obediendo committere duo mala, cum illud minus fit, quàm ista duo. Ergo miles subditus debet non militare in casu nostro, & secundum hanc nostram opinionem se explicat Merolla loco citato num. 338 seu potius Sanchez loco citato n. 21.

8 Si verò Miles habet opinionem probabilem, quod bellum sit iustum, potest sine peccato militare, sed non tenetur; tum quia tunc potestas superioris est probabilis, & consequenter admittit secum oppositam opinionem: tum quia cuilibet licet vti opinione probabili, nam quod præcipitur, stante opinione probabili, nec licitum, nec illicitum est simpliciter, sed vtrumque

est

est sub opinione. Ita Thomas Sanchez loco citato num. 7. & Ioannes Sanchez sup. num. 37.

9 Nec Miles, qui militauit cum opinione probabili, si postea aduertit bellum fuisse iniustum, tenetur resarcire damna, quia inferendo illa non peccauit Miles, & damnum sine vlla culpa illatum nullã inducit restitutionis obligationem, vt dixi cum Less. & alijs in resol. 10. num. 3. nec tenetur restituere spolia in bello capta, nisi extent, vel ex his spolijs factus sit ditior, nam illa consumpsit bona fide, & bona possessa & consumpta bona fide non tenemur restituere. Ita Merolla loco citato nu. 334. Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 113. vers. dubium est, &c. Regens Constant. in Cõment. ad XI. lib. Cod. tit. de armorum vsu nu. 327. Reginald. tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 104. Diana 6. par. tract. 4. resol. 31. vers. sed hic obiter, &c. Victoria in relect. de iure belli num. 30. Bannes 2. 2. quæst. 40. art. 6. Nauarr. lib. 2. de restitut. cap. 3. dub. 11. num. 270. Sylvester verb. bellum prim. quæs. 8. dub. 4. Texeda lib. 1. tract. 2. controuersia 4. num. 10.

SVMMARIVM.

Subditus tenetur obedire superiori docto & prudenti, si sciat superiorem non dubitare de materia, quam præcipit. At tenetur examinare præceptum latum à superiore indocto, & imprudenti etiam si sciat talem superiorem non dubitare de materia præcepta, si dubitat an materia præcepta sit licita. num. 1.

Quando dubitamus, an materia præcepta sit licita; dubitamus etiam de potestate superioris an se extendat ad talem materiam. eod. num.

Auctoritas superioris non potest facere quod res, quæ est illicita in se, sit licita. eod. num.

Ad concursum certitudinis, & dubietatis, semper certitudo præferenda est. eod. num.

Tenetur subditus examinare præceptum latum à superiore indocto, & imprudenti, quando dubitat, an sit contra præceptum naturale vel diuinum, vel supremi superioris. num. 2.

Superor, & subditus habent præceptum non operandi cum dubio practico. eod. num.

Habitus obedientiæ inclinat ad obediendum supremo superiori, sicut & infimo. eod. n.

Examinare præceptum infimi superioris, an sit contra præceptum supremi superioris, etiam ab habitu obedientiæ prouenit eod. num.

Obedientia cæca est se remittere superiori docto & prudenti, non verò indocto & imprudenti in præcipiendo, quando dubito de materia præcepta, an sit contra præceptum supremi superioris. eod. num.

Religiosus infirmus tenetur obedire superiori docto, & non dubitanti, si præcipiat ei vt officium diuinum non persoluat; secus verò dicendum est, si sciat superiorem dubitare de tali præcepto, vel esse indoctum, & imprudentem. num. 3.

Sic etiam dicendum erit de religioso dubitanti de sua sufficientia ad confessiones percipiendas, si præcipiatur vt confessiones audiat. num. 4.

RESOLVTIO XLVI.

An subditus dubitans de materia præcepta, sit ne licita, teneatur obedire cæco modo, vel potius teneatur examinare præceptum superioris, & exire de dubio?

1 REspondeo cum distinctione, vel enim subditus scit superiorem pollere doctrina, scientia, & prudentia; vel scit superiorem esse indoctum, & imprudentem. Si primum, subditus tenetur obedire, dummodo sciat superiorem non dubitare, nam tunc subditus suam conscientiam dubiam deponit per principia extrinseca: vndè & si cum fundamento dubitet de materia præcepti, debet tamen obedire, quia debet præsupponere præceptum esse iustum, & prudens, & habere rationem & iustitiam à se non cognitam, & aliter cogitare temerarium est, & hæc est obedientia cæca, quum non quærat subdi-

Digitized by Google

subditus rationem de imposito præcepto sed confidit solum scientiæ,& prudentiæ superioris iubentis. Si verò subditus scit superiorem esse indoctũ, & imprudentem in præcipiendo, tunc tenetur prius exire de dubio,& postea opus impositum perficere; & si prius non exit, & operatur cum tali dubio, peccat,quia auctoritas superioris non potest facere,quod res illicita sit licita, nec potest communicare iustitiam rei iniustæ, & consequenter præceptum illicitum, seu dubiè licitum non potest facere, quod subditus practicè deponat conscientiam dubiam. Lex enim diuina, seu naturalis prohibet operari cum dubio practico, nec potest hoc dubium practicum auferri à præcepto dubio superioris,quia in tali casu potestas superioris est dubia: quum enim dubitamus de materia præcepta an sit licita,tunc etiam dubitamus de potestate superioris an se extẽdat ad illud præcipiendum: vndè superior in casu nostro nullam habet possessionem præcipiendi. Quum ergo simus certi de præcepto naturali, seu diuino de non operando cum dubio practico, & nullam habeamus rationem,quę nos à tali dubio eripiat,nisi tantum præceptum dubiè licitum, ad concursum certitudinis,& dubietatis, quãdo cætera sunt paria,certitudo præferenda est dubietati; ergo à fortiori quando præceptũ certum est à nobiliori superiore, sicut est in casu nostro; nam certitudo de non operando est à præcepto diuino, seu naturali,incertitudo verò est à præcepto positiuo. Non potest igitur subditus obedire quando dubitat de materia præcepta an sit licita, si scit superiorem esse imprudẽtem & indoctum, & hoc videtur dicere Vasquez par.2. quæst.66.cap.9.num.52. Idem videtur sentire Lessius lib.2. cap. 41.num.76. vers. Dico secundò. Adrianus quodlib. 2.art.2. littera D.

Nec dicas cum Merolla supra num. 336.seu potius cum Thom. Sanchez loco citato num.19. quod ex D. Thoma de veritate q.17.art. 5. ad 4. quod ad officiũ subditi nõ pertinet inquirere,(hæc sunt verba Thom. Sanchez) & inuestigare sit nè bonum & expediens,quod præcipitur;sed rem præceptam exequi,dum ei non constat esse malam,& examẽ illud valdè repugnat perfectioni obedientiæ. Etenim longè perfectius obediet subditus, si vel sola authoritate superioris commotus sibi persuadeat bonum,& expediens id esse,quod iubetur facere,etiam si quare, & quomodo id bonum, & expediens sit ipse non videat. Atque hæc est obedientia illa cœca tantopere cõmendata à SS.Patribus;&c.hæc ibi.

2 Nàm contra est,quia tunc ad subditum non pertinet examinare præceptũ de sua bonitate, quando scit superiorẽ inuestigare in præcipiendo an suum præceptum sit contra aliquod præceptum diuinum,aut naturale, aut contra præceptum altioris superioris, & scit etiam superiorem pollere prudentia & doctrina, qua ipsemet superior sciat discernere an suum præceptum sit contra præceptum altioris superioris:at quando subditus scit superiorẽ esse indoctum, & quod non inuestigat an suum præceptum sit contra præceptum altioris superioris;tunc subditus tenetur examinare præceptum, posito quod dubitet an sit illicitum, nec potest operari sine peccato cum tali conscientia dubia;nam sicut superior, ita & subditus non debet operari contra præceptum altioris superioris, nec se exponere periculo operandi contra illud,& si subditus ex affectu, & habitu obedientiæ præcepto inferioris superioris obedit,eo magis debet obedire ex eodem habitu, & affectu præcepto supremi superioris,& quando dubitat de tali supremo præcepto an sit, tenetur examinare præceptum infimi superioris;& hoc ex habitu ipsius obedientiæ; & facere oppositum, non dicitur obedientia cœca, sed indiscretionata, quum non discernat quid ei oporteat facere ad perfectè,& verè obediendũ.

Digitized by Google

Obedientia enim cœca ea est, quando scilicet scio superiorem esse doctum, & discretionatum in præcipiendo, & dubito de re præcepta, tunc.n. possum me remittere prudentiæ, & doctrinæ superioris præcipientis, & non discurrere, sed cœco modo obedire. At quãdo subditus dubitat de sufficientia superioris, vel scit positiuè, quod sit indoctus, & indiscretionatus, si dubitat an materia à tali superiore præcepta licita sit, & verè obediens est, tenetur examinare præceptum illud, nè se simul cum infimo superiore exponat periculo faciendi contra præceptum supremi superioris, & ita est intelligendus D Paulus ad Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. Nam ideò teneor obedire, quia peruigilant tanquam rationem reddituri pro anima mea: ergo quando scio, vel dubito, quod non peruigilant, tunc teneor ego vigilare pro anima mea, & examinare eorum præcepta, an sint salutifera, & licita.

3 Hinc patet religiosum infirmum, si dubitet, an teneatur persoluere officiũ diuinum, vel ieiunare, & superior præcipit, vt illud non persoluat, vel vt nõ ieiunet, si superiori nota sit dubietas subditi, & subditus ignoret an superior quoque dubitet; teneri obedire, quia possessio stat pro superiore, & subditus operatur in tali casu cum dubio speculatiuo tantum, & non cum practico, à quo eum eripuit præceptum superioris saltem per principium extrinsecum.

Secus dicendum est si subditus sciat superiorem quoque dubitare. Tunc enim dubitat subditus an potestas superioris se extendat ad præcipiendum illud, & consequenter dubitat de legitimo præcepto superioris, & est certus de præcepto diuino persoluendi officium, vel de ecclesiastico ieiunandi, nõ enim licet cum iure incerto alterum spoliare iure certo.

4 Patet etiam, quod si religioso dubitanti de sua sufficientia ad Confessiones suscipiendas superior præcipiat, vt confessiones audiat, tenetur obedire, vt optimè D. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. §. 7. post septimum notabile, vers. ad prælatum, aut &c. & tit. 17. cap. 16. §. 1. Merolla loco citato num. 321. cum verbis Thomæ Sanchez loco citato num. 11. quod verum est quando subditus scit superiorem non dubitare de sua sufficientia ad confessiones suscipiendas, vt benè se explicat Merolla loco citato num. 338. Nam præceptum Prælati non tribuit sufficientiam subdito, qua formaliter saltem caret: si verò subditus scit superiorem esse doctũ, & prudẽtẽ, & iudicat ipsũ esse sufficientem, tenetur obedire, quamuis ignoret, in quo superior fundet suam sufficientiam, quia tunc subditus suã dubietatem deponit per extrinseca principia, nempè per auctoritatem, & doctrinam superioris, vt benè Vasquez in prima secundæ quæst. 19. art. 6. disp. 65. cap. 9. num. 52. circa medium.

SVMMARIVM.

Non potest iudex, seu superior punire subditum sequentem opinionem propriam probabilem contra opinionem ipsiusmet superioris. nu. 1.

Vbi dolus non est, ibi nec culpa esse potest. eod. num.

Pœna est mensura culpæ. nu. 2

Actio facta secundum opinionem probabilem non est culpabilis in ordine ad operantem. num. 3.

Delictum vt tale appellat operantem, & non punientem. num. 4.

Opus præstitum secundum opinionem probabilem, potest considerari signatè, & est probabiliter nocens; exercitè verò est simpliciter innocens. nu. 5.

Pœna debetur actioni peccaminosæ exercitè consideratæ, & non signatè. eod. num.

Subditus, qui in operando sequitur opinionem superioris existimantis probabiliter operationem illam esse peccaminosam, peccat. num. 6.

Actio

Digitized by Google

Actio regulata secundum opinionem probabilem non est peccaminosa simpliciter secundum opinionem oppositam. eod.num.

Parochus leprosus priuatur administratione, & officio non in pœnam, sed ratione inhabilitatis. nu.7.

Irregularitas quæ non oritur ex delicto, non est pœna, sed inhabilitas. eod.num.

RESOLVTIO XLVII.

An possit superior, seu iudex punire subditum, qui secutus est in operando propriam opinionem probabilem contra opinionem ipsiusmet superioris?

1 REspondeo cum Ioanne Sanchez in selectis disp.33.n.43. & disp. 44.num.27.non posse.Et ratio est,quia subditus sequendo opinionem probabilem nullam commisit culpam, ergo nulla dari potest pœna:pœna enim necessariò culpam supponit:§.item si putator institut.de lege Aquilia,& l.si putator ff. ad l.Aquiliam.cap. fors perueršum dist.59. can.inuentum 16.q.7. & cap. gesta dist. 74. Quod non commisit culpam patet,Nam vbi dolus nõ est,ibi culpa esse non potest,l. 1.§. domus ff.ad l.cornel. de sicar.arguitur ex l.absentem §.fin.& l.Metrodorum,& l. respiciendum ff.de pœnis, sed qui sequitur propriam opinionem probabilem vtitur iure suo, & qui vtitur iure suo dolo malonon videtur agere: ergo hic talis nullam commisit culpam.

2 Confirmatur quia punienda est culpa à Iudice, & non opinio, quum pœna sit mensura culpæ, & non opinionis, cap.sane il secondo de officio delegati, Glos.in regula 23.quæ incipit:sine culpa de regulis iuris in 6.sed in casu nostro adest opinio tantum,& non culpa, ergo puniri non potest.

3 Confirmatur secundò,quia hæc operatio secundum opinionem superioris, tantum est delictum, seù operatio culpabilis; sed subditus non operatur secundum opinionem superioris, sed secundum propriam; ergo subditus non delinquit, seu operatio subditi non est delictum, neque culpabilis.

4 Confirmatur tertiò, quia delictum dicitur à delinquendo, ergo appellat operantem,& non punientem;ergo iudicium delicti sumendum est iuxtà opinionem delinquentis,& non punientis:sed secundum delinquentis opinionem operatio illa criminosa non est, ergo puniri non potest.

Nec dicas primò, quod talis subditus sequendo propriam opinionem nõ est simpliciter innocens,sed probabiliter tantum, at innocentia probabilis admittit secum nocẽtiam probabilem: ergo & si puniri non possit subditus secundum propriam opinionem, & innocentiam probabilem, poterit tamen superior ipsum punire secundum propriam opinionem,secundum quam est probabiliter nocens.

5 Nàm contrà est, quia opus præstitũ à tali subdito,vel consideratur signatè, & in se, & verum est, quod subditus sit probabiliter innocens, & probabiliter nocens:nàm si consideratur secundum opinionem ipsius subditi,erit innocẽs; si secũdum opinionem superioris erit nocens: vel consideratur exercitè, & prout est actu à tali indiuiduo, & dico,quod est opus simpliciter innocens; nam opus patratum secundum opinionem probabilem nullam culpam appellat, nec etiam probabiliter, quia si contineret in se probabiliter culpã, sequeretur,quod subditus semper peccaret in operando,quia exponeret se periculo committendi culpam probabiliter,quod verum nõ est. Quum igitur id, quod puniendum est non sit actio in se & signatè considerata, sed sit actio exercitè, & pro vt est à tali indiuiduo:(nam si actio in se, & non prout est à tali indiuiduo esset punienda; sequeretur quod actio peccaminosa ignorantis, pueri,amentis, ebrij, &c. etiam esset punienda, quod nemo dixit, quia hæc actio in se considerata

etiam est difformis legi, & sic etiam esset peccaminosa, & punibilis. Immò non magis peccaret subditus sequendo suam propriam opinionem in operando, quàm superior sequendo suam opinionem in puniendo: & dicendum est, quod actio, prout est actu à tali individuo est simpliciter innocens, & cõsequenter incapax pœnæ.

6 Ad illud verò, quod dicebatur, nempè quod talis subditus est nocens, & culpabilis secundum opinionem superioris, distinguo ly secundum opinionem; nam si subditus operatur secundum opinionem superioris, ideſt si actio à tali subdito præstita sit moderata, & regulata secundum opinionem superioris est peccaminosa secundum opinionem ipsiusmet superioris, & consequenter subditus erit nocens, & reus, vtique conceditur: si verò actio sit regulata, & moderata non secundum opinionem superioris, sed secundum opinionem oppositam, erit peccaminosa secundum opinionem superioris, vtique negatur. Nam si illa actio fuit regulata secundum opinionem dicentium id licitè fieri posse, à nemine peccaminosa censenda erit, quia qui sequitur opinionẽ probabilem, nullo modo peccat. Adde quod si actio illa regulata secundũ opinionem oppositam opinioni superioris esset peccaminosa secundum opinionem ipsiusmet superioris; superior non probabiliter, sed absolutè tenere deberet actionem illam fieri non posse, nam si probabiliter id tenet, admittere debet quod actio secundum opinionem oppositam peccaminosa simpliciter non sit, saltem exercitè, vt dixi.

Nec dicas secundò, quod etiam sine culpa dari potest pœna, vt patet in cap. tua nos de Clerico ægrotante, vbi habetur quod si Parochus fuerit repercussus lepræ morbo, ab administratione & officio remouetur, sic etiam irregularitates, quę non proueniunt ex delicto, pœnæ sunt, & tamen nullam supponunt culpam; ergo etiam si subditus culpam non commisit, sequendo opinionem oppositam opinioni superioris, poterit superior ipsum punire.

7 Nam contra est, quia in dicto cap. tua nos, non priuatur in pœnam Parochus leprosus, sed ratione inhabilitatis sicut priuatur Iudex inhabilis ad iudicandum. l. si longius ff. de Iudicijs, & patet ex verbis ipsius textus, quæ hæc sunt. Dicimus quod pro scandalo, & abominatione populi, ab administrationis debet officio remoueri, &c. vbi vide quod non in pœnam, sed ratione inhabilitatis ad exercitium priuatur, cum sine scandalo, & abominatione exerceri non possit à tali leproso sacerdote, & ideo est remouendus. Sic etiã dicimus de irregularitate, quæ quando non oritur ex delicto pœna non est, sed inhabilitas, vt dicam infra in resolut. de lege pœnali.

SVMMARIVM.

Pœnitens non tenetur sequi opinionem Confessarij, sed Confessarius opinionem pœnitentis. num. 1. & 3.

Licitum est subdito sequi opinionem contra opinionem superioris. eod. num.

Si Confessarius præcipiat pœnitenti abstinentiam à communione, potest hic non obedire, cum sit opinabile an superior possit hoc præcipere. num. 2.

Qui licitè potest succurrere indigenti, tenetur, maximè in materia Sacramentorum. num. 3.

Confessarius tenetur absoluere pœnitentem bene dispositum, cum non sit dominus, sed Minister Sacramentorum. num. 4.

Sicut pœnitens tenetur obedire Confessario recta præcipienti, sic Confessarius tenetur absoluere pœnitentem rectè dispositum. num. 5.

Confessarius etiã existimet opinionem pœnitentis esse falsam adhuc tenetur illam sequi si probabilis existimetur inter DD. probatæ autoritatis. num. 6.

Confessarius tenetur instruere pœnitentem de opposita opinione contra suam, si opinionem ignoret. num. 7.

Confes-

Digitized by Google

Confessarius tenetur ex officio procurare bonum pœnitentis.eod.num.

Lex charitatis obligat nos euitare peccata proximi,quando licitè possumus eod. num.

Confessarius, qui negat absolutionem pœnitenti postquam audiuit peccata mortalia, siue sit Parochus, siue non,peccat mortaliter.num.8.

Et hoc verum est siue sit confessio breuis de mortalibus,siue longa. num.9.

Obligatio iterum confitendi peccatum semel commissum est obligatio grauis. num.10.

Qui sequitur opinionem probabilem non committit nouam culpam.eod.num.

Qui scandalizat proximum,peccat mortaliter, quia cooperatur ad ruinam spiritualem ipsius,sic & qui in ruina spirituali proximum conseruat.num.11.

Qui sequitur opinionem probabilem in operãdo,nullam committit culpam, & consequenter in talem Confessarius nullum habet ius.num.12.

Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitẽtis,tam circa materiam commissam, quã circa potestatem absoluendi.num.13.

Communis error confert iurisdictionem, & facit actus validos.num.14.

RESOLVTIO XLVIII.

An teneatur pœnitens sequi opinionem Confessarij, vel potius Confessarius sequi opinionem Pœnitentis?

1 REspondeo quod non tenetur Pœnitens sequi opinionem Confessarij. Immò Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis sub pœna peccati mortalis, etiam si existimet illam esse falsam.Prima pars quod scil. Pœnitens non teneatur sequi opinionem Confessarij, quando habet opinionem pro se, est, Coninch. de Sacramentis disp. 8. dub. 17. num. 135. Thom.Sanchez lib. 1. summæ cap. 9. num. 29. Alphonsi de Leone de officio confessarij p.1.recollect.2.nu.111. Vnde si Confessarius præcipiat pœnitenti aliquid,quod sub opinione est an possit præcipere,pœnitens non tenetur obedire. Ita Ioannes Sanchez in selectis disp.33. & hoc ideò quia licitum est subdito sequi opinionem sibi fauentem contra opinionem sui superioris:nam tunc potestas superioris est tantum opinabilis, & non simpliciter in subditum,& consequenter admittit opinionem oppositam probabiliter, quod scilicet subditus non teneatur
2 obedire: vndè si Confessarius præcipiat pœnitenti, vt se abstineat à communione pro pœnitentia, pœnitens potest non obedire,quum sit sub opinione,an possit Confessarius talem pœnitentiam imponere. Ita Ioannes Sanchez dicta disp.33.per totam.

3 Secunda pars,quod scilicet Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis maximè quando probabilis est saltem per principia extrinseca patet. Tum quia, qui licitè potest succurrere indigenti tenetur, maximè in materia Sacramentorum, vt optimè Vasquez in prima secundæ quæst. 63. cap. 2, nu. 10.tum quia pœnitens acquirit ius ad absolutionem postquam confessus est peccata,si Confessarius potest licitè illam dare:sed potest dare licitè stante opinione probabili, ergo tenetur, inquit Coninch. de sacramentis disp.8.
4 dub. 17. num. 135. tum quia Confessarius tenetur absoluere pœnitentem bene dispositum, & hoc ex intrinseca ratione officij sui, & ex institutione sacramenti, quum Confessarius non sit Dominus,sed Minister Sacramentorũ: quando igitur sacramentum postulat fieri, Confessarius tenetur facere, sed pœnitens sequendo opinionem probabilem,est dispositus ad absolutionem, ergo tenetur Confessarius illam impendere. Ita Fagundez 2. Eccles.præ-
5 cepti lib. 3. cap.4.num. 4. Tum quia recta ratio postulat, vt sicut pœnitens tenetur obedire Confessario recta præcipienti, ita & Confessarius tenetur absoluere pœnitentem rectè dispositum, qui probabilem opinionem sequi-

Digitized by Google

quitur. Ita Thom. Sanchez tom. 1. summæ cap. 9. num. 29.

6 Et hoc est verum etiam si Confessarius existimet talem opinionem pœnitentis esse falsam, si tantum probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis. Thomas Sanchez loco citato num. 30. Alphonsus de Leone l. c. nu. 115. quia quum non teneatur pœnitens sequi opinionem Confessarij, non dicitur malè dispositus sequendo opinionem probabilem aliorum Doctorũ. Item quia tunc non dicitur Confessarius sequi opinionem pœnitentis, sed quod Confessarius permittit pœnitentem sequi propriam opinionem probabilem contra suam, ita Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 5. num. 28. Thom. Sanchez loco citato num. 30. Valentia secunda secundæ disp. 5. quæst. 7. puncto vltimo in fine.

7 Nec solum Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis, quando pœnitens ipse manifestat opinionem propriam contra opinionem Confessarij, siuè hoc faciat ex propria doctrina, siue instructus ab alio. Verum etiã tenetur Confessarius instruere pœnitentem de opposita opinione contra suam, si pœnitens illam oppositam opinionem ignoret: & hoc tum quia Confessarius tenetur ex officio procurare bonum pœnitentis, & illi consulere ipsum instruendo; tum quia lex charitatis obligat ad euitandum peccata futura proximi quãdo licitè possumus. Et licitè euitabit Confessarius peccata futura pœnitentis, si ipsum admoneat de opposita opinione: nam res à Confessario iudicata illicita, à pœnitente infallibiliter pro illicita in futurum habebitur, & sic pœnitens admittendo illam peccabit, quum igitur possit Confessarius licitè euitare hoc futurum peccatum pœnitentis, tenetur inquit Thomas Sanchez loco citato num. 31.

8 Immo Confessarius peccat mortaliter, si postquam peccata pœnitentis audiuit, neget illi absolutionem sequendo propriam opinionem, quam absolutionem posset ei licitè dare, sequendo opinionem ipsiusmet pœnitẽtis. Etsi Vasquez prima secundæ q. 19. art. 6. disp. 62. cap. 7. num. 40. loquatur cum distinctione, vel enim Confessarius est proprius Parochus pœnitentis, vel non est proprius, sed tantum audit cõfessiones ex commissione: si est proprius peccat mortaliter negando illi absolutionem, quia tenetur sacramẽta ministrare; si verò confessiones audit tantum ex commissione, & absolutionem negat, peccat tantum venialiter. Vndè Vasquez loco citato subdit hæc verba. Ego quidem existimo peccatum aliquod esse Confessario ex cõmissione, si audita semel confessione, nolit pœnitentem absoluere, quem videt in contraria opinione, cum alias rectè possit id facere: cæterum non video esse adeo graue huiusmodi peccatum, vt iudicem esse mortale. Hæc Vasquez ibi.

9 At hic discursus Vasquez non placet Thom. Sanch. lib. 1. summæ cap. 9. num. 29. in fine, maximè quando confessio est de mortalibus: secus verò si sit de venialibus, vel breuis. Quæ doctrina mihi placet si loquamur de venialibus tantum: at de mortalibus siue sit breuis, siuè longa, semper mihi videtur dicendum quod peccet mortali-
10 ter, quod patet: Tum quia obligatio ad iterum confitendum peccata mortalia est obligatio grauis, nã eius omissio est peccatum mortale: si enim ille pœnitens non vult iterum confiteri peccata illa semel cõfessa & si breuissima mortaliter peccat, & hoc non ex obligatione Ecclesiæ, seu iure diuino, sed Confessarij, quia Ecclesia non obligat, nisi ad semel tantum confitendum peccatum semel cõmissum, ergo onus impositum est onus graue; at imponere graue onus alteri sine graui causa notabiliter iniustum est: maximè quando alter habet ius, quod non imponatur illi tale improportionatum onus, vt est in casu nostro, ergo dicendum

dum est, quod Confessarius grauiter peccet; nam sicut qui imponit leue onus alteri gratis, leuiter peccat, ita qui imponit onus graue alteri gratis, grauiter peccat, non enim pœnitens est in noua culpa ex eo quia vult sequi opinionem probabilem. Tum quia pœnitens in tali casu recipit à Confessario notabilem offensam, quia Confessarius agit, vt ipse pœnitens perseueret in ira Dei, & non recipiat ipsius gratiam sine iusta causa, quia licitè potest illi impendere absolutionem, sequendo opinionem aliorum Doctorum: si
11 ergo qui scandalizat alterum peccat mortaliter ex eò quia cooperatur ad ruinam spiritualem proximi; & qui nõ corrigit, cur etiam peccare non debet mortaliter, qui conseruat proximum in ipsamet ruina spirituali? conseruatur enim pœnitens in ruina spirituali culpa ipsius Confessarij, qui non vult sequi opinionem probabilem aliorum
12 Doctorum. Tum quia si pœnitens in operando sequutus sit opinionem probabilem, nullam commisit culpam, ergo Confessarius nullum habet ius in illa re, ergo propter hoc, nempè ex eo quia pœnitens vult in posterum sequi propriam opinionem contra opinionem Confessarij, non potest Confessarius illi absolutionem denegare, & si neget, priuat irrationabiliter pœnitentem gratia Diuina, quæ est priuatio rei notabilis, & consequenter grauiter peccaminosa.

Dices, quod hoc est verum, quando opinio est circa materiam confessam an sit, vel non sit peccatum; at quando materia est certa quod sit peccaminosa, & Confessarius habeat opinionem, quod non possit absoluere pœnitentem, pœnitens verò habeat opinionem, quod possit absolui, tunc non videtur dicendum, quod Confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis, sed tenetur sequi propriam, quia tunc tutius agit ipsum non absoluendo; nam si verè non habet potestatem, tunc absolutio est nulla, & imprudenter agit Confessarius præbendo illi absolutionem, quia exponit se periculo faciendi sacramentum nullum.

13 Sed contra est, nam Confessarius prudenter agit, dum sequitur opinionem Doctorum probatæ auctoritatis, vt suppono, nec per hoc se exponit periculo irritandi sacramentum: Tum quia communis error ortus ex probabili opinione pœnitentis confert iurisdictionẽ, & facit actus validos, vt optimè probat Thom. Sanch. lib. 3. de matrimonio disp. 22. in fine: tum quia peccata venialia, quæ probabiliter sunt confessa cum mortalibus, absoluerentur directè, nam quilibet Sacerdos habet directam iurisdictionem circà venialia, & indirectè essent absoluta illa mortalia, de quibus opinabilis est potestas, vt optimè idem Thom. Sanch. in summa lib. 1. cap. 9. n. 35. Tenetur igitur confessarius siue sit proprius, siue delegatus sub peccato mortali absoluere pœnitentem cum opinione probabili contra propriam opinionem postquam peccata ipsius pœnitentis audiuit, siue opinatio sit de potestate, siue de materia, nam primæ rationes proceduntin vtraque opinione.

SVMMARIVM.

Pœnitens qui emisit votum simplex obediendi Confessario, si cognoscit talem Confessarium doctum, & prudentem, tenetur obedire si præcipiat rem dubiè licitam. num 1.

Operans secundum opinionem Confessarij prudentis, est certus non peccare. num. 2.

Accedente voluntate Confessarij ad materiã dubiam, materia fit opinabilis. num. 3.

Qui dubitat de materia voti, & arbitrio prudentis exit de dubio, tenetur ad votum. num. 4.

Qui speculatiuè dubitat an aliquid sit contra præceptum, tenetur eligere partem tutiorem ex præcepto, non ex consilio. num. 5.

Qui non obedit Confessario, cui per votum promisit obedire, facit contra religionem & contra fidelitatem. num. 6.

Ius, & debitum sunt correlatiua, & simul natura,

Digitized by Google

tura,& resultant ex iusto titulo. num. 7.

Homo vt individuum habet nonnullos actus ad sui dispositionem,in quibus potest se submittere voluntati alterius,& se debitorem constituere,& in his alteri ius præbere.nu.8.

Libertas ligata, idest qua quis vti non potest licitè,libertas non potest dici.num.9.

Depositarius non potest vti deposito, etiam si ignoret ad quem spectet.eod.num.

Iurisdictio est facultas alicuius habentis publicam auctoritatem,& eminentiam super alios ad eorum regimen,& gubernationem. num.10.

Pœnitens si obedit Confessario prudenti in materia dubia ad nullum periculum formale se exponit.eod.num.

RESOLVTIO XLIX.

Virum Pœnitens,qui emisit votum simplex obediendi Confessario teneatur obedire in materia dubia?

REspondet Suarez tom. 3. de Religione lib.10.cap.3.num.5.Ioānes Sanchez disp.33. nu. 53. quod tenetur non obedire; etiam si remaneat in dubio post factam diligentiam.Fundātur in eo, quod scilicet tunc pœnitēs non spoliat Confessarium aliqua iurisdictione,& alias obediendo exponit se periculo illicitè operandi. Quod verò pœnitens non priuet Confessarium aliqua iurisdictione,probat Ioannes Sanchez ex eo quia nemo propria voluntate potest alteri se submittere, & iurisdictionē in se ipsum præbere. Nàm postquam Regnorum, & rerum publicarum diuisio facta fuit, potestas, ius dicendi, & iurisdictio tota penes Principē residet § Sed & quod Principi placet.instit.de iure naturali, Gentium, & Ciuili l.2.§.hæc autem C. de veteri iure enucleando: l.finali ff.de legibus.

Confirmatur, quia iurisdictio nulla est sine vi coactiua,l.vltima ff.de officio eius,cui mand \est iurisdictio,& ex voto coactio oriri non potest, ita quod ille,in cuius beneficium votum est factū, possit propria auctoritate cogere vouentem ad votum soluendū; non enim potest pauper, cui promisisti cētum per votum,propria auctoritate constringere te ad soluendum: ergo nequè Confessarius potest cōstringere vouentem ad votum adimplendum: ergo confessarius iurisdictionem non habet.

1 At dicerem quod si confessarius sit doctus & prudens, & pœnitens sit certus de doctrina & prudentia Confessarij,& si dubitet de materia præcepti,tenetur obedire,si sciat confessarium non dubitare. Hoc idem videtur sentire Suarez loco citato num.9.& patet,nam materia proxima voti pœnitentis est certa,quum sit voluntas cōfessarij,quæ versatur circà materiā dubiè licitam: habemus enim votū, quod habet pro materia proxima voluntatem confessarij, & habemus materiam voluntatis confessarij, quæ est materia remota respectu voti, & hæc materia remota est tantum dubia: quando enim pœnitens est certus de bonitate, scientia, & prudentia confessarij, tenetur deponere cōscientiam practicè dubiam per principia extrinseca, nempè per auctoritatem confessarij, cui obedire tenetur. Nàm non potest spoliare pœnitens cōfessarium possessione certa, quā habet præcipiendi per dubietatem circà materiam remotam, quæ dubietas à pœnitente deponi potest per principia extrinseca,vt dixi. Nec potest subditus se eximere ab obligatione certa voti per dubietatem materiæ remotæ tantum, quæ dubietas est tantum speculatiua, & non practica.

2 Confirmatur primò, nam talis pœnitens operando secundum opinionem Confessarij, est certus non peccare, vt fatetur ipsemet Suarez loc.cit. num.8. quum possit deponere conscientiam dubiam per principia extrinseca,& faciendo contrà præceptum Confessarij dubitat an peccet, nam non habet vnde deponere possit conscientiam dubiam de transgressione præcepti confessarij, ergo tenetur obedire conse-

quen-

Digitized by Google

quentia patet; nam faciẽdo cõtrà præceptum confessarij, exponit se periculo peccandi, quum habeat præceptum confessarij prudentis, quod ipsum pœnitẽtem eripit à dubio practico: at qui se exponit periculo peccandi, peccat mortaliter, ergo talis pœnitens tenetur exequi præceptum confessarij de materia dubia, ne peccet.

3 Cõfirmatur secundò, quia posito præcepto cõfessarij prudẽtis circà materiã dubiam, materia illa amplius dubia nõ est, secundum opinionem confessarij, sed opinabilis: at pœnitens tenetur sequi voluntatem confessarij ratione voti, ergo tenetur obedire quando materia est dubia, & præceptum confessarij prudentis est certum. Nàm quum materia remota voti sit determinata à voluntate Confessarij prudentis, fit materia illa opinabiliter iusta: at non est opinabiliter: sed dubiè iusta ex parte pœnitentis, igitur tenetur pœnitens obedire Confessario præcipienti materiam dubiè iustam, opinio enim præferenda est dubietati negatiuæ, vti est in casu nostro.

4 Confirmatur tertiò, nam quando vouens dubitat de materia proxima voti, tenetur facere diligentiam exeundi de dubio; & si de illo exit per arbitrium, seu auctoritatem prudentis tantum, tenetur ad votum, ità ipsemet Suarez tom. 2. de religione lib. 4. cap. 6. nu. 13. circa medium: ergo à fortiori quando dubitat de materia remota voti, & exit de dubio per Consiliũ prudentis, tenetur ad votum: sed in casu nostro vouens dubitat de materia remota voti, & exit de dubio per Consilium prudentis Confessarij præcipientis, ergo tenetur vouens obedire Confessario, & si materia voti sit dubia.

5 Confirmatur quartò, quia quando speculatiuè dubito an aliquid sit contra præceptum, teneor eligere partem tutiorem, & hoc non ex Consilio, sed ex præcepto, vt benè aduertunt Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 41. nu. 9. Azzor. tom. 1. lib. 2. cap. 16. in fine, & alij, & videtur decisum in cap. Illud Dominus de Clerico excommunicato: & quandò cõcurrunt duo mala ineuitabilia, semper minus malum dicitur pars tutior, ac propterea eligendum, iuxtà textum in cap. duo mala, & in ca. nerui testiculorum leuiatan. 13. dist. sed si quis promisit Confessario obedire, & per votum promisit Deo obseruantiam huius obedientiæ, si postea dubitat de materia præcepta, habet dubiũ speculatiuũ de maiori malo si nõ obseruat præceptũ Cõfessarij, q̃ si obseruat qa si nõ obseruat, exponit se periculo faciendi opus peccaminosum cũ

6 duplici malitia, sacrilegij scilicet contrà votum, & infidelitatis contra promissionem, & sic exponit se periculo faciendi duo peccata specie diuersa, vt fatetur ipsemet Suarez de statu religionis lib. 10. cap. 2. nu. 5. ex D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad tertium; si verò obseruat præceptum Confessarij, exponit se periculo faciendi contra vnum præceptum tantum prohibens materiam illam; ergo pœnitens tenetur obedire præcepto Confessarij quando materia est dubia, Et hæc ratio procedit saltem quando Pœnitens promisit Confessario obedientiam, & Deo per votum exequutionem talis obedientiæ; non verò procedit si pœnitens promisit Deo tantum per votum obedire Confessario, vtroque enim modo fieri potest votum obedientiæ, inquit Suar. l. c.

Nec dicas cum eodem Suario de statu Religionis lib. 10. c. 3. nu. 7. quod in tali casu confessarius nullum ius habet ad vouentem; quia vouens nullum ius communicat Confessario, vt supra dixit Ioannes Sanchez, sed pura promissione vouens se obligauit, & ideò vouens semper manet veluti possessor suæ libertatis, quamuis ligatam illam habeat; ergo in casu dubio potest ius suum præferre, & non exequi mandatum alterius.

Digitized by Google

7 Nam contra est, quia si post votum emissum vouens tenetur obedire huic confessario, consequenter habet debitum obediendi, & sic confessarius habebit ius præcipiendi. Ius enim, & debitum sunt correlatiua, & simul natura, valet .n. inter ipsa mutua subsistẽdi cõsequẽtia, ideo .n. hic habet debitũ, quia alter habet ius, & ideò alter habet ius, quia hic habet debitũ, ambo .n. .s. tam ius, quam debitum resultat ex iusto titulo, scilicet donationis, emptionis, promissionis, legati, &c. vnde ius in casu nostro non est aliud, quàm æqualitas debita alteri resultans ex promis-
8 sione acceptata. Nec est verum quod vouens nullum ius potest alteri communicare, vt simpliciter putat Ioann. Sanch. nã homo potest cõsiderari, vel vt pars cõmunitatis, vel vt indiuiduũ; si consideratur vt pars cõmunitatis, certum est, q̃ de omnibus actibus, qui spectant ad talem hominem, vt talis est, nempè vt pars communitatis est, non potest alteri communicare regimen, sed spectat ad superiorem illius communitatis, cuius est pars, actus illos regere, & præceptis ipsius tenetur subditus obedire: at si homo consideretur non vt pars communitatis, sed vt indiuiduum est, nempè secundum actus, quos liberè, & licitè facere potest, & quos superior non præcepit, & in his potest homo se submittere voluntati alterius, vt optimè ipsemet Suarez tomo 3. de religione lib. 10. cap. 1. nu. 3. de istis enim actibus potest homo liberè disponere, & consequenter alteri se debitorem constituere, & sic alteri ius præbere, quum sint isti actus simpliciter sub sua potestate, & libera dispositione. Sic etiam de actibus mere internis clarum est nulli hominum deberi subiectionem, vt ex Seneca 3. de Beneficijs docet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. in corpore. De istis enim poterit vouens liberè disponere, & se debitorem alteri constituere, & sic alter in istis habebit ius, & vouens debitum.
9 Ad illud verò quod dicebatur, quod scilicet vouens semper maneat possessor suæ libertatis, quamuis ligatam illam habeat, hoc videtur implicare; nam si possidet suam libertatem ligatã, libertatem non possidet, quia ligamen libertatem expellit; quod magis patet explicatione huius ligatæ libertatis; nam idem est possidere ligatam, ac possidere libertatem, qua vti licitè non potest; si ergo vti illa non potest sine culpa, vtendo in dubio hac libertate ligata etiam peccabit; sicut depositarius possidet depositum, & tamen eo vti nõ potest licitè, etiam si ignoret ad quem depositum spectet: & si eo vtatur cum tali dubio peccat, etiam si dubitet an depositu n possit spectare ad se ipsum depositarium. Tãtò magis, quia in casu nostro sumus certi quod actus liberi pœnitentis subijciendi sunt voluntati Confessarij, & sumus certi de voluntate Confessarij circa rem præceptam, & dubitamus tantum de tali re, circa quã versatur præceptũ Cõfessarij, at quando sumus certi de scientia, prudentia, & bonitate confessarij, tunc temerarium est cogitare talem materiam esse illicitam, cum sine fundamento positiuo cogitare velimus confessarium prudẽtem, doctum, & timoratum præcipere id, quod præcipere non potest. Adde quod tenetur pœnitens sequi opinionem Confessarij. Vnde stante præcepto talis Confessarij circa materiam dubiam, materia amplius dubia non est, sed saltem opinabilis ex parte Confessarij, & si dubia negatiue ex parte pœnitentis, vt diximus: non igitur potest pœnitens in dubio non sequi præceptum Confessarij.

Nec obstat, quod adductum fuit supra à Ioan. Sanch. pro suo fundamẽto, quod scilicet pœnitens non spoliat suũ Confessarium iurisdictione in tali casu, & si operatur secundũ opinionẽ Cõfessarij exponit se periculo faciẽdi cõtra aliq̃ præceptũ: Nã cõtra est, quia &
10 si verum sit quod Confessarius non spolietur iurisdictione, quum iurisdictio ex Molina tract. 4. de iustitia disp

2. &

2.& alijs:sit facultas alicuius habentis publicam auctoritatem,&eminentiam supra alios ad eorum regimen, & gubernationem. Spoliatur tamen Confessarius possessione, & iure iubendi, & subditus excuteret à se præceptum Confessarij certum per dubium negatiuum,& speculatiuum tantum, non verò practicum, quod fieri non potest, vt sæpè diximus. Nec subditus sic operando exponit se periculo faciendi contra aliquod præceptum, vt putat Ioannes Sanchez,nam prudentia Confessarij,doctrina,& præceptum faciunt, vt pœnitens non operetur cum dubio practico, sed tantum speculatiuo: at operari cum dubio speculatiuo tantum,& non practico nullum est peccatũ,nec vlli periculo peccandi se exponit,quum faciat opus saltem formaliter bonum, sequẽdo opinionem probabilem, quidquid sit de materiali,vt sæpè diximus supra.

SVMMARIVM.

Pœnitens,qui emisit votum obedientiæ confessario,tenetur obedire in materia probabili. n.1. Materia voti simplicis obedientiæ est actus liber tantum pœnitentis.eod.num. & num.2.

Quod potest pœnitens liberè & licitè facere, accedente præcepto confessarij,cui promisit obedire,amplius liberè & licitè facere non potest.nu.2.

Superior potest præcipere subdito, vt non sequatur opinionem probabilem in aliquare.nu.3.

Generales Franciscanorum in suis definitorijs capitularibus iubent prouincialibus, ne sequantur opinionem Nauarri in dando licentiam monialibus,vt exeãt è clausura ratione infirmitatis periculosæ,& insanabilis in ipsa clausura.eod. num.

Actus liberi religiosi sunt materia voti solemnis si accedat præceptum superioris ad ipsos actus.eod.num.

Materia proxima voti simplicis pœnitentis est determinatio confessarij circa actus liberos.nu.4.

Confessarius præcipiendo quod est sub opinione, exercite iubet illi, qui vouit obedientiam,ne sequatur opinionem oppositam, & si probabilem.nu.8.

Res opinabilis respectu pœnitentis, qui vouit obedientiam,statim est determinata in ordine ad voluntatem confessarij, & secundum hãc determinationem tenetur talis pœnitens operari.n.6.

RESOLVTIO L.

An pœnitens teneatur obedire confessario, cui per votum promisit obedire, si materia præcepta à Confessario sit opinabilis?

1 REspõdeo,quod tenetur pœnitens obedire Confessario præcipiẽti aliquod probabile, nec potest sequi opinionem probabilem oppositam.Et ratio est quia per votum simplex Pœnitens submittit confessario omnes actus liberos suæ voluntatis, & hoc tantum est materia huius voti simplicis,vt supra diximus,sed electio huius, & nõ alterius opinionis est actus liber volũtatis pœnitẽtis,ergo debet in hoc pendere à voluntate Confessarij: sed confessarius elegit vnam opinionem probabilem,ergo pœnitens non potest eligere oppositam, & si probabilem.

2 Confirmatur, quia pœnitens in casu nostro id,quod liberè,& licitè facere potest,accedente præcepto Confessarij amplius liberè,&licitè facere non potest:ergo à fortiori id, quod probabiliter tantum facere potest, accedente præcepto Confessarij amplius facere non potest.

Dices primò, licitum est religioso subdito sequi opinionem probabilem contra opinionem sui superioris, ergo à fortiori licitum erit pœnitenti sequi opinionem probabilem propriam cõtrà opinionem confessarij, cui tenetur obedire per votum simplex:cuiq;enim licitum est sequi opinionem probabilem.

Digitized by Google

3 Respondeo negando paritatem,& disparitas est manifesta:nam quando superior prȩcipit aliquid , quod est sub opinione an possit præcipere,tunc non præcipit mihi , vt non sequar opinionem probabilem oppositam,quia si de hoc præberet mihi speciale præceptum,vtiq; tenerer obedire:& sic materia præcepti superioris non est de electione huius, & non alterius opinionis, quia vt dixi si superior mihi præciperet,vt eligerem hanc opinionem probabilem,& non oppositam, vtiquè essem adstrictus obedire , quia tunc præceptum esset de re licita , sequi.n. opinionem probabilem licitum est, & esset intrà limites suæ potestatis, quia supponimus præceptum non esse contra ius naturale . De facto enim iubere solent Generales Prouincialibus Franciscanorum in suis definitorijs capitularibus ne in dando licentiam Monialibus, vt exeant à clausura,sequantur opinionem Nauarri, qui putat prò morbo periculoso, & insanabili intra clausuram,& si non contagioso , dari posse ad tempus prædictam licentiam ità Rodriquez tom.1. quæstionum regularium q.49. ar.3. Hinc patet quod electio huius, & non alterius opinionis non est simpliciter,& de natura sua materia voti solemnis,nisi præcipiatur ab ipsomet superiore per speciale prȩceptũ, quia subditus in religione profitetur obedientiam non de omnibus suis actibus liberis, nisi de his habeat speciale præceptum,at votum simplex emissum a pœnitente habet pro materia omnes liberos actus ipsiusmet pȩnitentis tantum,quia subditus vouendo submittit Confessario quod submittere potest , & potest submittere omnes suos actus liberos tantum,quia de istis tantum habet liberam dispositionẽ,vt supra diximus , ergo istos per votum Confessario submittit. Quum, ergo electio huius opinionis probabilis sit actus liber , consequenter est simpliciter de natura sua materia voti pȩnitentis: sed est præcepta a Confessario hæc opinio,& non oppositа; ergo tenetur pœnitens obedire , & sequi hanc opinionem à Confessario determinatam,& non oppositam. Quod magis patet;nam determinatio Confessarij circa actus liberos pœnitentis est materia proxima voti ipsiusmet pœnitentis , ergo Confessarius dicendo pœnitenti, fac hoc , eo ipso determinat suam voluntatem circa hanc opinionem , & non circa aliam ; igitur pȩnitens tenetur sequi hanc opinionem determinatam a Confessario , & non potest sequi oppositam. Vnde licitum est cuiq; sequi opinionem probabilem quando non se obligauit per votum sequi vnam licitam , & non alteram,sicut fecit pœnitens in casu nostro , nam pœnitens nunc priuauit se hac electione licita per votum,& illam posuit in manu Confessarij,non implicitè tantum , vti est in voto solemni, sed explicitè, quia materia explicita huius voti simplicis tantum est actus liber pœnitentis.

4 Dices secundò , quod Confessarius in casu nostro præcipit pœnitenti id, quod est sub opinione , sed non præcipit huic pȩnitenti , vt non eligiat oppositam opinionem:diuersum est enim entitas opinabilis,& electio opinionis; ergo pȩnitens remanet liber quoad electionem opinionis.

5 Sed contra est , nam Confessarius præcipiendo hanc rem opinabilem , exercitè præcipit pȩnitenti , vt sequatur hanc opinionem a se determinatam,& dum signat hanc opinionem sequendam , prohibet saltem implicitè pœnitentẽ sequi oppositam, & si probabilem. Quod patet,nam quum præceptum Confessarij cadere non possit nisi supra actum liberum pȩnitentis, consequenter præcipiendo Confessarius hoc opinabile , pręcipit actum liberum pȩnitentis circa hoc opinabile, qui liber actus est materia voti simplicis,vt diximus:stante enim voto , quo pȩnitens subiecit omnes actus liberos voluntati Confessarij , statim res opi-

na-

Digitized by Google

nabilis respectu pœnitentis, amplius
6 eligibilis non est, sed determinata a voluntate Confessarij, quum voluntas pœnitentis circa suos actus liberos sit voluntas Confessarij ratione voti,& voluntas Confessarij iam sit determinata ad hanc, & non ad oppositam opinionem,& sic præceptum Confessarij, seu materia, circa quam versatur præceptum Confessarij, amplius licita non est respectu pœnitentis, hoc enim est, quod subiecit Confessario per votum simplex, nempè determinationem circà suos actus liberos.

SVMMARIVM.

Subditus non tenetur soluere gabellas opinabiliter iustas. nu. 1.

Præceptum in dubio ex parte subditi tantum præsupponitur iustum simpliciter, & sic cõnotat certam possessionem in præcipiente. At præceptum opinabiliter iustum connotat probabilem possessionem in mandante. n. 2.

Subditus non tenetur soluere gabellas, seu tributum dubiè iustum. nu. 3.

Tributa regulariter sunt iniusta, & contra ius canonicum, & ciuile. eod. num.

Quod est regulariter damnatum, aliquando non est damnatum. nu. 4.

Clerici sunt exempti ab omnibus vectigalibus siue iustè, siue iniustè impositis. eod num.

Nisi constet de iustitia vectigalium, subditus non tenetur illa soluere. num. 5.

Sicus nec census. nu. 6.

Subditus non tenetur se conformare iudicio Superioris, quando agitur de interesse ipsius subditi. nu. 7. & 9.

Subditus, qui scit rationem probabilem superioris imponendi gabellas, si habeat etiam rationes pro se probabiles, non tenetur ipsas soluere: sic etiam dicendum est si formaliter dubitat: secus dicendum est si habeat rationem pro superiore, & nullam pro se. nn. 8.

Subditus tenetur parere præceptis dubijs superioris, sed non in materia vectigalium, cum hæc regulariter sint iniusta, non vero alia præcepta. nu. 9.

RESOLVTIO LI.

An tenetur subditus soluere Gabellas opinabiliter iustas?

1 REspondeo non teneri. Ita D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 14. §. 8. Petrus Nauar. lib. 3. cap. 1. nu. 263. Lessius de iustitia lib. 2. cap. 33. dub. 8. nu. 67. qui communem hãc opinionem appellat. Nam licitũ est subdito sequi opinionem probabilem pro se contra opinionem superioris.

Nec dicas cum Suar. de legibus lib. 5. cap 18. num. 2. quod quando dubitatur de iustitia tributi, tenetur subditus soluere illud, maximè si dubium se tenet tantum ex parte subditi, ergo etiã tenetur subditus soluere tributum, quãdo scit superiorem esse sequutum opinionem probabilem in impositione illius.

Nam contra est primò, quia præceptum in dubio ex parte subditi tantum præsupponitur iustum, vt diximus in præcedentibus resolutionibus, & sic possessio certa stat pro mandante, quũ mandatum iustum communicet certã possessionem, seu connotet certam possessionem mandantis,& ideò subditus tenetur soluere tributum quando dubitat de iustitia: at mandatum, seu præceptum sub opinione iustum connotat probabilem possessionem in mãdãte,& probabilis, seù opinabilis possessio mandantis admittit secum probabilem possessionem subditi, & sic ambo probabiliter sũt in possessione, subditus scilicet de sua libertate secũdum suam opinionem, & superior de sua potestate præcipiendi secundum suam opinionem, & sic subditus non tenetur soluere tributum opinabiliter iustum, quum possit sequi propriam opinionem.

Contrà est secundo,& melius. Nam negandum est, quod subditus teneatur soluere tributum dubiè iustum quidquid in contrarium teneat Less. nunquam

Digitized by Google

quam enim tenetur subditus soluere tributum maximè nouiter impositum. nisi cõstet de eius iustitia. Ità Fillucius tom 2.tract.28. par.2.cap.7.num.117. circà medium. Et ratio est, tum quia tributa regulariter sunt iniusta, & contrà ius canonicum & ciuile, cap. quãquam de censibus in 6. vbi hæc habes. Quamquam Pedagiorum exactiones tàm iure canonico, quàm ciuili regulariter meritò sint damnatæ, &c. Et rationem assignat Caietanus in summa verb. vectigal, quia tot conditiones requiruntur ad Iustitiam vectigalis, vt difficile fortè sit iustum inuenire, ergo nisi constet de Iustitia non tenemur illa soluere.

Nec satisfacit quod dicit Lessius loc.cit.nu.66. quod ibi textus loquatur de vectigalibus quæ nõ cõstat esse legitima auctoritate instituta, vel concessa, vt ab Imperatore, Rege, vel Concilio Generali, aut antiqua consuetudine, quæ memoiram hominum superat, introducta. Nam ibi textus loquitur de exactionibus, quas licite ministri Regis exigebant à sæcularibus, & iubet ipsis ministris ne illas in posterum exigant ab ecclesiasticis: exactiones enim quas ministri tunc exigebant, non erant institutæ sine legitima potestate, quia si sic fuissent institutæ, neque ab ecclesiasticis, neque à sæcularibus licitè exigi potuissent, verba enim textus hæc sunt: Quanquam Pedagiorum exactiones, tam iure Canonico, quam Ciuili regulariter meritò sint damnatæ; tantò tamen districtius, ne ab eccesiasticis, & personis ecclesiasticis talia exiguntur prohiberi oportet, &c. vbi vide quod si ratione dubiæ potestatis tantum essent damnata vectigalia, non dixisset Pontifex regulariter, sed absolutè damnata: nam ly regulariter secum admittit, vt aliquando non sint damnata, cum omnis regula patiatur exceptionem: at quando deficit potestas imponentis semper sunt damnata vectigalia: ergo textus non loquitur quando non constat de potestate imponentis. Adde quod si textus loqueretur de vectigalibus tantum, de quibus non constaret esse legitima auctoritate instituta, sequeretur quod hic textus ab his tantum exactionibus exciperet ecclesiasticos; ergo quando cõstaret de auctoritate imponentis tenerentur ecclesiastici illas soluere, quod est falsum non solum apud Lessium, sed etiam apud omnes Doctores Catholicos. Sequela patet, quia à vectigalibus regulariter dãnatis sunt Clerici exẽpti secundum hunc textum: sed quando dubitamus de potestate ferentis vectigalia sunt damnata tantum secũdum eundem textum ex intelligentia Lessij, ergo quando dubitamus de potestate ferentis sunt tantum exempti clerici ab eorum solutione: ergo quando sumus certi de potestate ferentis, tunc clerici tenẽtur illa soluere, secundum hunc textum, quod nemo dixit.

5 Dicendum igitur est, quod quum textus loquatur *simpliciter indefinitè*, & sine distinctione, est intelligendus simpliciter de omnibus vectigalibus ex regula illa, quod quando lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Vndè dicendum est, quod vectigalia siuè sint iusta, siue iniusta non obligant clericos; & nisi constet de eorum iustitia, numquam sunt censenda iusta, & consequenter non obligant subditos, quia cum regulariter sint iniusta, quando constat, quod sint iusta, est exceptio regulæ, & sic constare debet subdito, & postea illa soluere.

6 Confirmatur, quia omnis census nõ est soluendus, nisi prius constet causa solutionis, cap. peruenit de censibus, vbi Paschal. secũdus hæc habet. Oportet quippe, vt omnis census, ad quod, & quando persolui debeat præsciatur, &c. sed quando subditus dubitat de iustitia Gabellæ tunc causam solutionis ignorat, nam qui dubitat, ignorat; ergo antequam exeat de dubio subditus non tenetur illa soluere.

7 Nec obstat primò, quod dicit Lessius loco

Digitized by Google

loco citato num.64.quod scilicet subditus in dubio tenetur se conformare iudicio superioris, nullã .n.habetcausã cur cõtra sentiat. Nã cõtra est quia nõ
7 tenetur subditus se conformare iudicio superioris, quando agitur dc interesse ipsius subditi;immo habet subditus potissimam causam se difformandi, nam spoliare non debet se proprijs bonis nisi prius cognoscatur causa spoliationis, stante quod census non est soluendus,nisi prius cognoscatur causa solutionis,vt supra diximus.

Nec obstat secundò, quod dicit idẽ Lessius loco citato num.65. quod scilicet Princeps vt possit imponere vectigal non necessario debet esse certus speculatiuè de iustitia vectigalis,sed satis est si de eo rationes probabiles habeat, quiuis enim in actionibus suis sententiam probabilem sequi potest, adeo vt etiam in bello inferendo Princeps potest se conformare probabili sententiæ dictanti licitum bellum : ergo subditus vt obligetur soluere nõn debet esse certus,& sufficit vt non habeat probabilẽ rõnem credẽdi esse ini-
8 quũ.Hæc Lessius ibi.Nã cõtra est,quia vel subditus scit superiorem habuisse probabilem rationem imponendi Gabellam, vel ignorat: si scit rationem probabilem superioris, & ipse subditus habet etiam rationem probabilẽ pro se,vt scilicet Gabella sit iniusta; tunc non sumus in casu, de quo nunc agimus; nam quum vterque habeat rationem pro se, quilibet potest sequi opinionem propriam rationabiliter. Vnde non tenetur subditus soluere talem Gabellam stante sua ratione probabili:si verò subditus scit rationem probabilem superioris, & nullam habet rationem probabilem pro se, neq; sumus in casu, quia tunc adest opinio probabilis ex parte superioris, & ex parte subditi adest hæsitatio tantum sine fundamento,ergo non est dubiũ, sed scrupulus;scrupulus enim est hæsitatio sine fundamento, & sic tenetur tũc subditus soluere,quia opinio præferenda est dubietati negatiuæ,seu potius scrupulositati: si verò subditus ignoret hanc probabilem rationem superioris, & in neutram partem rationes habeat;tunc dico quod non tenetur subditus soluere; Nam cum regulariter præsupponatur iniusta, nisi constet de iustitia, subditus soluere non tenetur,exceptio enim regulæ probari debet.cap.exhibita nobis, de Iudicijs, & quando non constat, regula ipsa est attendenda. Adde quod quum census non sit soluendus,nisi causa cognita, vsque dum subditus causam solutionis non cognoscit, soluere non tenetur.

Nec obstat tertiò, quod mandatum in dubio præsupponitur iustum, ex Can. quid culpatur, & consequenter præsumendum est pro Rege, & non
9 pro subdito. Nam hoc verum est quãdo non agitur de interesse, seu damno ipsius subditi,vt benè idem Lessius lo. citato num. 67. at in casu nostro agitur de damno subditi,quum sit spoliãdus proprijs bonis, non assignata causa spoliationis; tanto magis hoc est verum, quia mandatum de soluendo vectigalia factum à Principe regulariter præsupponitur iniustum ex capit. quamquam,non verò alia mandata, immò alia mandata etiam in dubio sẽper præsupponuntur iusta,ex can.quid culpatur.Quum ergò mandatum Principis de soluendo vectigalia præsupponatur regulariter iniustum, & alia mandata Principis non præsupponantur iniusta regulariter, mirum non est si subditus non teneatur parere præcepto dubio superioris de Gabella, & si teneatur parere alijs mandatis dubijs, in quibus de Gabellis,& interesse non agitur.

SVMMARIVM.

Presbyter qui breuiarium proiecit in mare primo die longæ nauigationis, si se conterat, vel confiteatur peccatum proiectionis, non tenetur deinde confiteri omissiones fabias se-

sequentibus diebus. nu. 1.

Implicat pœnitentia vera, & actus voluntatis inefficacis. nu. 2.

Actus voluntatis reuocatur per contrarium actum eiusdem voluntatis. nu. 3.

Forum fori respicit actionem physicam peccati: forum conscientiæ respicit voluntatem. num. 4.

Voluntas actualis in essendo destruit voluntatem virtualem in perseuerando. nu. 5.

Pœnitentia vera debet destruere morale, & nō physicum peccati. nu. 6.

Physicum peccati est peccatum materialiter. num. 7.

Effectus, qui sequitur à causa volūtariè posita, eodem modo est siue peccator pœniteat antequam sequatur, siue nō pœniteat, quoad esse physicum, non verò quoad esse morale. n. 8.

Effectus sequutus à positione causæ voluntariæ post pœnitentiam, neque indirectè dicitur volitus. nu. 9.

Clarum non indiget interpretatione. nu. 10.

Peccatum formaliter gratiam destruit. nu. 11.

Peccatum in esse formali constituitur à voluntario. nu. 12.

RESOLVTIO LIII.

Quidam Presbyter prævidens longam nauigationem breuiarium in mare proiecit prima die nauigationis, postea se conterit, vel confitetur priuationem illam voluntariam: An teneatur deinde confiteri omissionem officij factam sequentibus diebus post confessionem, vel contritionem?

1 REspondet Salas 1.2. tract. 7. disp. 6. sect. 8. num. 59. Sotus in 4. dist. 23. q. 1. art. 7. conclus. 2. in propos. poster. §. hinc fit: Sanch. lib 9. de matrimonio disp. 45. nu. 29. non teneri confiteri. Idem sentit Diana p. 1. tract. 7. res. 63. vers. Notandum est etiam, qui pro hac sententia citat Becanum in p. 2. tract. 2. cap. 3. q. 7. num. 10. & 11. Tanderum in p. 2. disp. 4. q. 4. dub. 3. nu. 37. Villalobos in summa tom. 1. tract. 3. difficult. 6 num. 4. Et ratio est, quia causa illarum subsequentium omissionum est intercisa per actum contritionis, vel confessionis, & sic effectus indè sequutus non est formaliter peccatum, nam aliter daretur peccatum absque voluntate, quòd dici non potest.

Sed contrà hos auctores insurgit Merolla disp. 2. de virtijs, & peccatis c. 1 dub. 4. num. 48. nam non videtur quomodo dici possit causa verè, & efficaciter intercisa per illam pœnitentiam, nam voluntas illa, qua formaliter fuit volita causa, & per consequens virtualiter effectus prævisus, fuit voluntas efficax: At pœnitentia subsequens dicit tantum voluntatem inefficacem, seu simplicem displicentiam causæ datæ, sed effectus subsequens sequitur ex vi illius voluntatis efficacis, & eodem modo sequitur, siue eum, qui dedit causam efficacem, poeniteat, siuè non, ergò effectus ille non obstante pœnitentia, adhuc dicitur *indirectè voluntarius*, & cōsequenter *peccaminosus ab efficaci* voluntario causæ, quod non potuit auferri per simplicem displicentiam causæ datæ.

2 Sed contra Merollam est, nam primò dicit, quod voluntas, qua fuit volita causa sit voluntas efficax; & voluntas, qua quis se pœnitet sit voluntas inefficax, & simplicis displicentiæ, & sit pœnitentia vera. Hoc enim implicat. Nam vel inefficacia voluntatis cadit supra physicum peccati .i. quod non possit facere, quod effectus secundum rationem physicam non producatur, vel inefficacia cadit suprà morale peccati, ideſt quod non possit facere, quod voluntas, qua peccatum commisit quādo causam voluit, non informet moraliter effectum physicum indè sequuturum. si primum hoc nullo modo est peccatum, nisi tantum materialiter, & consequenter neque confitendum, quia si esset peccatum, omnes actiones physicæ peccaminosæ sinè voluntate patratæ essent confitendę; nec est ma-

ior

Digitized by Google

ior ratio de vna, quàm de alia; sic amentes actiones factas peccaminosas in amentia post hanc confiteri tenerentur; sic qui per vim aliquid agit, &c.

3 Si secùdum, hoc est falsissimum, quia actus voluntatis non reuocatur, nisi per contrarium actum, alioqui enim homo postquam actum aliquem voluntatis efficacem poneret, libertatem amitteret, & sic liber esset vsquè ad positionem actus tantum. &

4 Nota, aliud esse, quod imputetur actus in foro fori, aliud in foro conscientiæ: forum fori enim non voluntatém, sed actionem physicam respicit, at conscientia voluntatem respicit, & non actionem physicam.

5 Addo primò, quod volũtas illa, qua quis vult peccatum in causa, est virtualis tantum in perseuerando respectu effectus inde sequuti: at voluntas, qua quis se pœnitet, est volũtas actualis in essendo respectu effectus: & sic actuale destruit virtuale, & consequẽter effectus non est amplius peccaminosus, cum habeat voluntatem actualẽ contrariam, ergo non est amplius confitendus.

6 Addo secundò, quod si efficacia voluntatis in potentia deberet respicere, & destruere physicum peccati, & non morale; sequeretur non posse dari verã pœnitentiam, nisi tantum in materiafurti, quia nunquam potest homo facere, quod factum physicum in suũ pristinum restituatur; non enim potest qui hominem occidit illum resuscitare, & homicidium esset irremissibile, & sic de alijs, &c.

7 Secundò dicit Merolla, quod effectus sequatur ex vi voluntatis efficacis. Hoc, si loquitur ex vi voluntatis secundum rationem physicam, vtique concedo, quod quidem physicum peccaminosum non est, nisi tantum materialiter: si secundum rationem moralẽ, falsum est, vt supra dixi.

8 Tertiò dicit, quod eodem modo sequatur effectus à tali causa efficaciter volita siue eũ qui illã ponit, pẽniteat, siuè non. In quo Merolla vel nihil dicit contra nos, vel assumit quod est probandum. Nam si ly eodem modo, appellat culpam, ideſt quod effectus ità est culpabilis, & voluntarius si pœniteat, ac si nõ pœniteat, & hoc est quod quæritur, an scilicet effectus præuisus in causa eodẽ modo sit culpa, & consequenter confitenda antè pœnitentiam, ac post ipsam: Si ly eodem modo appellat effectum in esse suo materiali eodem modo pendentem à causa physica, siuè pœniteat, siue non; & hoc non est contrà nostrum dictum, cum nullo modo physicum tantum sit peccatum, vt supra dixi.

9 Quartò dicit, quod effectus sequutus sit indirectè volitus non obstante pœnitentia. Quod nõ subsistit, cum effectus sequutus ex positione causæ posita pœnitentia in actu nullo modo sit volitus, immò oppositum potius est volitum; cum nisi oppositum huic effectui vellet, non esset vera pœnitentia; sed nos supponimus esse veram pẽnitentiam; ergo oppositum effectui est id, quod vult, quem pœnitet.

Addo, quod si ly indirectè appellat virtualiter volitum, hoc est, quod hic effectus est virtualiter volitus in causa formaliter posita, vtique concedo esse verum antequam se pœniteat, sed post pœnitentiam cum habeat actualem voluntatem non ponendi effectum si posset, & facit quantum est in se, vt non sequatur, falsum est, quod effectus posteà sequutus sit indirectè, seu virtualiter volitus, quia actuale volitum destruit virtuale, cum sit actus posterior. Vel ly indirectè appellat interpretatiuum, ideſt, q̃ ille effectus sit interpretatiuè volitus, & hoc falsum est, nã si formaliter, & explicitè vult oppositũ illius efficaciter quãtum est in se (nam quod non sequatur oppositum prouenit ab impotentia, & non à voluntate, & ad impossibile ne-
10 mo tenetur) quomodo volumus interpretari se velle illud? quod enim clarum est, interpretatione nõ indiget.

Digitized by Google

Quintò dicit, quod effectus indè sequutus sit peccatum ab efficaci voluntario causæ.

Sed in hoc vel hic auctor intelligit quod sit peccatum à voluntario causæ physicè informante talem effectum, seu dante esse; vel moraliter informãte. Primum dici non potest, nam physicum non est peccatum nisi tantum materialiter. Secundum dici non potest, quia de facto actus, quo causam voluit, moralitèr iam non perseuerat, cum productus sit nouus actus voluntatis omninò destructiuus, & sic cum virtualiter in actu non sit, stante actu contrario formali voluntatis actualiter posito, informare non potest moraliter talem effectum. Deinde respondet idem Auctor ad quæsitum supra nu. 51. his præcisè verbis. Respondeo igitur concedo teneri confiteri illas omissiones, quia verè, & formaliter sũt in se peccata, at verò quia non sunt peccata ratione sui voluntaria, & imputabilia, sed tantum denominantur extrinsecè voluntaria, & imputabilia à voluntario, & imputabilitate causæ, ideò non debemus dicere per illas omissiones presbyterum illũ propriè peccata noua mortalia perpetrasse, & consequenter nec gratiam amisisse: nã committere nouum peccatum mortale videtur significare nouum voluntarium, nouam malitiam, & consequenter nouã imputabilitatẽ. Hæc Merolla.

11 Sed quomodo hæc doctrina subsistere possit, paulatim videamus. Si enim omissiones sunt in se formaliter peccata, & post positionem causæ adhuc sequutæ non sunt; ergo cum sequuntur post pœnitentiam sunt effectus noui, & consequenter noua formaliter in se peccata, ergo gratiam destruunt.

12 Deindè si sunt formaliter in se peccata, ergo sunt in se voluntaria; nam voluntarium est illud, quod constituit peccatum in esse formali, ergo in se imputabilia, nam q non est imputabile, neq; est voluntarium, & consequenter neq; in se formaliter peccatũ.

Deinde si omissiones sũt tãtũ extrinsecè, & denominatiuè voluntariæ, ergo intrinsecè, & in se formaliter sũt inuoluntariæ, seù nõ voluntariæ, & consequenter in se formaliter non erunt peccata, cum deficiat voluntarium intrinsecè, & consequenter non erunt confitendæ; aliter enim omnes actus virtuosi, qui apparent, & sunt denominatiuè tantum peccaminosi, erunt cõfitendi ratione sui, præcisò scandalo.

Deindè si sũt in se formaliter peccata, deberet presbyter amittere gratiam per pœnitentiam acquisitam, cum sit proprium peccati formaliter gratiã destruere; nam sunt noui effectus peccaminosi in se formaliter, ergo noua peccata in se formaliter, ergo noua destructiua per se formaliter gratiæ, peccatum enim per se formaliter gratiam destruit.

Cum vero hæc doctrina nullã subsistentiam habeat, dicendum est cum Soto, & Sanchez vbi supra non teneri presbyterum tunc omissiones post pœnitentiam sequutas confiteri, quia in se peccata non sunt, cum nihil voluntarij habeant, stante intercisione voluntarij virtualis per actualem voluntatem non ponendi effectum, seu non peccandi.

SVMMARIVM.

Qui defatigatur, vel cibum venenosum sumit, vt non ieiunet, non peccat contra præceptum ieiunij. nu. 1.

Differt fractio præcepti à fuga à præcepto. eod. num.

Qui petit partes vltramontanas ad finem clandestinè contrahendi ibi matrimonium, validè contrahit. n. 2.

Qui aliò pergit ad finem non ieiunandi die quo ieiunatur, vel ad finem laborandi tempore quo festum agitur in propria patria, nullam committit culpam. nu. 3.

Licet intendere per se effectum malum in causa bona, si effectus est malus quia prohibitus; secus dicendum est, quando effectus est prohibitus, quia malus. nu. 4.

Infirmi

Digitized by Google

Infirmi non excusantur à transgressione legis, sed exẽptantur à lege etiam in actu primo. num.5.

Vnde etiam si ipsis ieiunium conduceret ratione medicæ, non tenentur ad præceptum ieiunij.eod.num.

Qui ignoranter operatur, non operatur voluntariè.eod.num.

Qui excusatur à pœna præsupponitur commisisse culpam. num.6.

Sicut excusantur infideles respectu legis ecclesiasticæ, & pueri ante vsum rationis, sic excusantur infirmi.nu.7.

Actio difformis à lege, quæ fit à persona subdita inuoluntariè, dicitur peccaminosa tantũ materialiter, si verò fit à persona non subdita, nec materialiter nec formaliter dicitur peccaminosa.nu.8.

Ebrij, amentes, & dormientes sunt sub lege in actu primo, & si excusentur ab actu secundo.eod. num.

Ebrij, amentes, &c. diuerso modo deobligantur à lege, ac infirmi. nu.9.

RESOLVTIO LIII.

An qui defatigatur, vt non ieiunet, vel cibum nociuum sumit ex quo sequatur infirmatas, & hoc ideò, vt non ieiunet, sit excusatus à præcepto ieiunij?

1 REspondet Ioannes Sanchez disp. 54.num.14. & 20. quod in tali casu talis non peccat contra ieiuniũ, quia non adest fraus ieiunij, sed fuga potius illius præcepti. Nàm aliud est desiderare frangere præceptum quando adest obligatio; aliud desiderare se reddere impotentem ad præceptum: hoc.n. nihil aliud est, quam optare excusationẽ præcepti, & sic quærere modum, quo præceptum non obliget. Idẽ sentit Pasqualigus de ieiun.decis.320. & 356.

2 Confirmatur, quia qui partes vltra montanas petit, vt ibi clandestinè contrahat stante quod in propria patria Concilium Tridentinum vigeat, matrimonium est validum, etiã si per hoc præcisè à propria Patria discedat vt fugiat hanc legem. vt bene Hurtado de matrimonio disp.4.difficultate 4. in fine. Sanchez lib. 3. de matrimonio disp.18. Aegid.disp.27.dub. 27. dub. 2.Rebell. lib. 2. de obligationib. q. 7. sect. 3. Sicut qui tempore, quo in propria Ciuitate festum de præcepto agitur, vel ieiunatur, &c. in aliam pergit, & hoc ideo vt non ieiunet, vel causa laborandi, hic non facit contra præceptũ ecclesiasticum, vt bene Suarez 1. tom. de Religione lib.2.cap.13.nu.6.ergo à pari neq; peccabit, qui vt non ieiunet, infirmatur, vel defatigatur; nam sicut sunt exempti à lege qui non habitant in ciuitate illa, vbi lex viget, ita & qui sunt infirmi, vel debiles, &c.

3

Sed aduersus Ioannem Sanchez insurgit Merolla disp. 4. de legibus, & constit.cap.3. num.436. vers.mihi tamen, &c. Nam hæc opinio fundatur in quodam principio non vniuersaliter vero: quod scilicet quotiescumque possum licitè aliquam actionem exercere, non obstante quod præuideam aliquem effectum ex ea sequi qui ex se aliàs malus, & illicitus esset: possum etiam sic operando effectum illum per se, ac directe intendere: Hoc enim est falsum, vt manifestè patet; nam licet possit quis licitè equitare, vel quodam cibi genere vesci, non obstante quod ex ea equitatione, vel comestione sæpius expertus sit se pollui, non tamẽ potest licitè per talem equitationem, & comestionem pollutionem intendere, maximè si ad hunc solum finem huiusmodi actiones exerceret, &c. ergo licet non peccet mortaliter contra præceptum ieiunij is qui defatigatur pilæ ludo, aut venatione laborioſa, vel peregrinatione, quamuis præuideat fore vt ob nimiam lassitudinem corporis ieiunare non possit, non tamen bene infertur ex hoc, posse huiusmodi actiones exercere, nulla alia causa ductum, sed solum intentione non ieiunandi. Hæc sunt verba præcisa Merollæ.

Ad Cõfirmationes respondet, quod

Digitized by Google

licet qui aliò proficiscitur, non peccat contra præceptum ieiunij eo quia non obligatur, neque in actu primo ad talem legē: infirmi tamē, & qui defatigatur pilæ ludo obligātur in actu primo ad talē legē: & ideo hic peccat, & ille non. Addit quod aliud est excusari à transgressione præcepti, aliud nō obligari præcepto: qui enim aliò discedit non obligatur præcepto: qui verò est defatigatus excusatur à transgressione præcepti, vt patet in illo, qui cum ignorantia inuincibili trāsgreditur præceptū, hic.n. excusatur à transgressione præcepti, & ideo non peccat si contra facit legi. Hæc Merolla.

4 Sed contra istum auctorem est. Nam hæc opinio non fundatur in tali principio; & dato quod fundaretur in tali principio, (quod.s. quotiescumq; possum licitè aliquam actionem exercere, non obstante quod præuideam aliquē effectum ex ea sequi, qui aliàs malus, & illicitus esset, possum etiam sic operando effectum illum per se, & directe intendere:) Non sic à Sanchez vsurpatur, sed si effectus non est ex se malus, & illicitus, seu de natura sua, & ex intrinseco malus, & illicitus, sed ab extrinseco malus & illicitus, posum talē effectum per se, ac directe intendere. Exemplum enim adductum à Merolla non est de effectu de natura sua non malo, sed de effectu de natura sua malo, & illicito: pollutio enim habet intrinsecam malitiam, & ideo non licet ipsam per se intendere, neque in causa licita. Quando enim effectus malus habet malitiam, & indecentiam communicatam ab extrinseco, nempè ideò malus, quia prohibitus, & ideo omissio illius mala, quia præcipitur actus positiuus; tunc quando est causa licita, licitus erit effectus malus præuisus: At quando effectus de natura sua & ex intrinseco est malus, tunc licet causa sit bona, tamen non licet appetētia huius effectus mali, non quia pendet ab hac causa, quia inquantum pendet, vtique liceret; sed quia habet intrinsecam malitiam. Exemplum primi habes in comestione carnium tempore prohibito, & in omissione missæ tēpore præcepto: hæc enim cum nullam habeant malitiam intrinsecam, & ex natura sua, sed tantum malitia proueniat à præcepto, ideo quādo præuidentur in causa licita, possunt directè, & in se appeti. Exemplum secundi habes in pollutione: hæc enim, cum habeat intrinsecā malitiam, & si causa licita sit, quā suppono esse equitationem, &c. huiusmodi, tamen non licet in se illam appetere, non quia pendet ab equitatione, quia in quantum ex hac pendet vtiquè liceret, sed quia habet intrinsecam malitiam. Remanet ergo irrefragabile principium illud tali modo. Quotiescumq; possum licite aliquam actionem exercere, non obstante quod præuideam, aliquem effectum ex ea sequi, qui aliàs non sit ex natura sua malus, & illicitus, sed malitia proueniat à præcepto, possum etiam sic operando effectum illum per se, ac directe intendere. Sic enim à Sanchez vsurpatur, vt potest colligi ex verbis ipsius: sed defatigatio, infirmitas, &c. sunt causæ licitæ, & comestio carnium, omissio missę, &c. nullam habent intrinsecam malitiam; ergo possunt in tali casu per se, & directè ipsi effectus intendi.

5 Ad responsionem confirmationis dico, quod disparitas non bene assignatur à Merolla. Nam supponit quod infirmi, & debiles non sint exempti à lege, sed sint sub lege; & si excusantur à transgressione. Hoc enim dici non potest, nam infirmi etiam si ipsis conducat ieiunare, non tenentur ad præceptum ieiunij; vt bene Thomas Sanchez lib. 5. consil. mor. cap. 1. dub. 14. num. 2. Pasqualigus de ieiunio decis. 262. Addo quod si infirmi, & debiles non essent exempti à lege, sed obligati in actu primo, sicut ignorantes, amentes, dormientes, & ebrij, seu essent cōprehensi sub lege, sequeretur quod in-

Digitized by Google

infirmi,debiles &c. formaliter peccarent,nam ideò amentes,&c. non peccant,& si sint comprehensi sub lege, quia in actu,seu quoad exercitium ratione carent,& lex est coordinatio rationis.Nam amentes non habent exercitium rationis,& si debeatur ipsis ratio. Ignorantes verò voluntariè non operantur, & sic non modo humano, vt benè Sotus lib.2.de iustitia q.3.art. 9.sic dormientes,& ebrij quoad exercitium habent rationem occupatam, & ideo eorum transgressio non imputatur, quia transgressio non est modo humano facta: sed infirmi operantur cũ scientia,& voluntate, cum habeant rationem quoad exercitium, ergo quando operarẽtur contra legem,formaliter peccarẽt;sunt enim subditi vt supponunt Aduersarij,habent exercitium rationis in operando, & contradicunt legi,ergo formaliter peccarẽt, quod est falsum.

6 Dices,quod amentes,ebrij,&c.sunt excusati, quia quoad exercitium carent ratione: at infirmi sunt excusati, quia sanitate carent, & sic tàm amentes,quàm ebrij sunt excusati ex diuersa ratione.

Sed contra est, nam vel infirmitas excusat opus à culpa, vel à pęna: si à pęna, ergo supponit culpam. ergo infirmus peccat, quia nisi peccaret, non mereretur pęnã,à qua excusatur ratione infirmitatis: eò magis,quia culpa illa, seu transgressio culpabilis fuit scita, & volita, & sic formaliter culpa: Vel excusatur infirmus à culpa; & hoc duplici modo potest dici,vel quia legislator non vult comprehendere
7 infirmos sub sua lege: sicut neque obligare in actu primo intẽdit infideles respectu legis Ecclesiasticę,& pueros ante vsum rationis,&c. vt benè à Castropalao de lege tract.3. disp. 1. puncto 24.§.2.nu.10.vers.distinguendum,&c.& habemus intentum,quia, cum non sint comprehensi, neq; peccabunt faciendo contrà legem; nam ideo non peccat qui aliò pergit,vbi nõ ieiunatur, quia posito, quod non sit, vbi ieiunatur, non comprehenditur sub eius lege,neque in actu primo.At nequè comprehenduntur infirmi,ergo neque infirmi tenentur ad leges in actu primo, ergo qui ad infirmitatem pergit,fit exemptus à lege, & amplius non peccabit, legi contradicendo. Vel infirmus excusatur à culpa, non quia non comprehendatur sub lege, sed quia legislator nolit imputare opus infirmi ad culpam;& contra est, nam cum peccatum non sit aliud, nisi difformatio à lege, posita lege in Ciuitate à legislatore non est amplius in posse legislatoris, quod hæc actio sit difformis,vel conformis legi,sed ex natura operationis est difformis, vel conformis, & cum difformitatem habeat ab operante, non potest legislator facere illam conformem, vel non difformem. Vnde si difformatio est cũ libertate,& à persona subdita,est formaliter culpa, cum sit voluntaria difformatio à lege: si verò non sit cum libertate,tunc cum actio non sit modo humano facta, difformatio hæc dicitur tantum materialiter culpa,cum sit difformatio non liberá. Si verò fit à persona non subdita,tunc nullo modo dicitur culpa,nequè materialiter,nequè formaliter, quia nullo modo exẽptus tenetur ad legem,neq; in actu primo, neq; in actu secundo:sic infidelis si cõtrafacit legi Ecclesiasticæ non dicitur trãsgressor formalis,nequè materialis, quia est actio ab exẽpto à lege &c.Sic puer antè vsum rationis non dicitur transgredi legem neque formaliter, nequè materialiter, quia est actio à non subdito, neq; in actu primo, cum nequè habeat exigentiam rationis, sicut amens &c. sic infirmi non contrafaciunt legi, dum carnes edunt tempore prohibito, nequè materialiter, quia sunt excluſi à lege etiam in actu primo,vt benè à Castropalao de lege tract.3. disp.1.puncto 24.§.2.num.10. vers.Distinguendum,&c. nam nisi excluſi essent à lege,peccarent nõ solum

ma-

Digitized by Google

materialiter vti amãtes,&c. sed etiam formaliter,cum differmarent se à lege scienter, & voluntariè.

Dices, sicut transacta infirmitate tenetur infirmus ad leges,ità transacta amentia tenetur amens ad obseruationem legis, ergo sicut obligatur amens, ità infirmus; sed amens obligatur in actu primo,ergo & infirmus.

9 Respondeo ly sicut facere duplicem sensum,primo quod eodem modo infirmus obligatur ad leges, ac amens, & hoc falsissimum est;nam infirmus vt dixi nequè materialiter transgreditur legem,sicut amens;& infirmus est exẽptus simpliciter à lege, & transacta infirmitate infirmus ponitur sub lege: at transacta amentia non ponitur amens sub lege, sed incipit obligari in actu secundo, quia iam erat sub lege in actu primo. Secundò ly sicut facit hunc sensum, quod sicut amens post amentiam tenetur ad leges,ità infirmus post infirmitatem,sed diuerso modo, infirmus per positionem sub lege, at amens per inceptionem obligationis in actu secundo; & sic negatur consequentia minoris subsumptæ.

SVMMARIVM.

Qui eodem die ieiunij pharmacum sumit,vel defatigatur vt non ieiunet,non peccat contra præceptum ieiunij. num.1.

Lex quæ aliquid præcipit,præcipit quoq; tollere impedimenta, sed non præcipit non admittere causas excusantes à præcepto.nu.2.

Infirmitas, & debilitas sunt causæ excusantes,seu exemptantes à lege,non vero impedimenta. eod.num.

Ludus,somnus,ebrietas in se sunt impedimenta legis, non vero causæ excusantes.n.3.

Impedimentum inceptum tempore permisso, & terminatum tempore prohibito non excusat à præcepto. n.4.

Somnus inceptus,& terminatus tempore permisso,si reassumatur tempore prohibito non exemptat à lege,nec excusat à transgressione legis. n.5.

RESOLVTIO LIV.

Quidam die ieiunij pharmacum sumpsit, & se debilitauit ad finem non ieiunandi; An peccauit contra præceptum ieiunij? Et idem quæritur de illo, qui die ieiunij vult ludere pila ad finem se debilitandi,vt non ieiunet.

FErdinandus à Castropalao tom. 1. tract.3. disp. 1. puncto 21. num.3. vers.dixi. Dicit,quod talis peccauit, si eodem die hoc fecit, vel nocte proxima,secus vero si die antecedenti. Ratio quia lex, quæ præcipit aliquid, præcipit quoquè tollere impedimenta omnia, quæ impediunt eius exequutionem, ergo præcipit tollere defatigationem,vel sumptionem cibi venenosi impedientem præceptum ieiunij: at si die antecedenti fit,tunc præceptum ieiunandi non vrget, nisi sequenti die, & die sequenti homo est impotens,ergo nõ peccat,nec tenetur. Non enim videtur lex se extendere ad media, & impedimenta alterius diei. Hæc à Castropalao.

Sed aduersus Ferdinandum à Castropalao insurgit Merolla disp.2.cap. 1.n.437.versic.limitant secundo, nam non est actio voluntaria in causa fractio ieiunij præuisa ipso die, sicut die antecedenti, ergo sicut peccat, qui eodem die præuidet in defatigatione per ludum pilæ fractionem ieiunij, ita peccabit si præuideat die antecedenti fractionem illam.

Sed non benè Merolla impugnat hanc doctrinam:nam ly tàm præuidet in defatigatione fractionem ieiunij die antecedenti,quam eodem die,verum est, diceret Ferdinãdus à Castropalao, sed die antecedenti non vrget præceptum, & ideò præuisio non inducit culpam, nam cum præuisio sit die, quo non tenetur ieiunare, neq; tenetur impedimentum ad ieiunium tollere, cum præceptum ieiunij

sit

Digitized by Google

sit illud, quod præcipit impedimenta ad ieiunium tollere.

Dices, ergo si quis debet restituere centum crastina die, & hodiè habet commodum restituendi, si hodiè dissipet illa centum, & scit, & præuidet se esse in posterum simpliciter impotentem, non peccabit, quia actio dissipationis est tempore, quo non tenetur restituere, quando verò aduenit tempus est impotens, ergo non peccat.

Respondeo nego consequentiam; & ratio est, quia si hodie me obligo dare centum alicui, ab hodie incipit obligatio mea; & sic si hodie me reddo impotentem hodiè pecco, quia vrget hodie etiam obligatio, & si non sit completa, seu consummata ratione temporis, siuè extrinsecè: non sic præceptum ieiunij, quod vrget à media nocte vnius diei vsq; ad alteram mediam noctem.

1 Respõdeo igitur ad quæsitum cum Io. Sanchez in selectis disp. 10. nu. 22. quod hic non peccat, etiam si eodem die per pharmacũ debilitetur, vel ludo pilæ defatigetur: & ratio est, quia hic quærit potius fugam, seu causam excusantẽ à præcepto, & non trãsgressionem ipsam. Sicut qui Beneuentum petit eodem die, quo Neapoli ieiunatur, etiam si vt non ieiunet pergat, non peccat, quia quærit exemptionem à lege.

2 Ad fundamẽtum Ferdinandi à Castropalao facile respõdetur quod lex, quæ præcipit aliquid, præcipit quoq; tollere impedimenta, sed non præcipit non admittere causas excusantes, seu exemptantes à lege: at infirmitas, debilitas, &c. sunt causæ excusantes, & non impedimenta ad obseruantiam legis, vt suprà dixi. Nam impedimenta vera sunt actiones illæ, quæ sunt in
3 posse operantis immediatè, & per se vt auferantur: vti ludus pilæ in se, somnus in se, ebrietas in se, &c. qui enim vult ludere, vel dormire, vel se inebriare, verè impedimentum ponit, quod potest ipse immediatè auferre ad obseruantiam legis, vt supra dixi. At qui debilitatur, vel infirmatur, & si sit in sua potestate causam infirmitatis ponere, tamen sequuta infirmitate non est amplius in posse suo illam immediatè, & per se auferre. Non enim lex obligat auferre impedimenta tam remota, nàm si obligaret ad talia impedimenta auferẽda, obligaret etiam ad conseruandam salutem, ad accipienda medicamenta pro recuperatione salutis amissæ, vt posset homo ieiunare, quod nequè aduersarij dicunt; & ideo infirmitas causa dicitur, & non impedimentum, vt potest colligi ex doctrina Ioannis Sanchez supra.

Dices, ergo si quis impedimentum ponit die antecedenti ad præceptum, vel antequam præceptum vrgeat, non peccabit, etiam si ibi præuideat, quod die sequenti non possit præceptum seruare: sic non peccabit dormiens, qui scit si incipiat die Sabbati dormire, non euigilare die dominico, & sic non posse interesse sacro; nec peccabit ebrius si se inebriet Sabbato, etiam si sciat fore vt die dominico non transierit ebrietas. Consequentia probatur, nam tempore, quo hi impedimentum ponunt non tenentur ad præceptum, quia præceptum tunc nõ vrget, & cum nõ vrgeat, neque tenentur amouere impedimentá impedientia obseruantiam illorum præceptorum; quãdo vero præceptum vrget iam facti sunt inhabiles ad illius obseruantiã, ergo hi non peccant.

4 Respondeo nego hanc consequentiam; & ratio est, quia hoc impedimentum perseuerans die præcepto, & si sit inceptum tempore permisso, tamen est completum tempore prohibito, & quando præceptum vrget; & cum certum sit hoc, impedimẽtum necessariò esse debet peccaminosum. Sic vnus est somnus inceptus tempore non prohibito, & terminatus tempore interdicto; vna est ebrietas, & cum sit præuisa vt terminanda tempore prohibito,

Digitized by Google

hibito,& vt sic sit volita,& immediatè influat ad impediendum exequutionem præcepti,hinc est quod peccaminosa esse debet . Non sic sumptio pharmaci,vel ludus pilæ,qui parit debilitatem, seu defatigationem , nam ludus,& defatigatio non sunt vnũ,sed duo, scilicet effectus,& causa : sic etiã sumptio pharmaci,& debilitas;& cum sumptio pharmaci,& ludus pilæ non immediatè influant , sed infirmitas , seu defatigatio , quæ est effectus,& infirmitas,& defatigatio nõ sunt in posse operantis immediatè,nec per se potest illas auferre,ideo causæ excusãtes potius dicendæ sũt,quàm impedimenta. At cum somnus ille &c.sit in posse operantis illum auferre immediatè,& per se , ideo peccat, qui tale impedimentum ponit.

Dices,quod somnus tã diuturnus , nauigatio longa,ebrietas perseuerans diuisibilia sunt, ergo & si principium istorum fuit in posse operantis, tamen finis non est in posse operantis , ergo non potest esse finis peccaminosus , nàm ideo debilitas non est peccaminosa , quia non est in posse operantis immediatè,& per se illam auferre:sed nec finis,somni est in posse operantis, ergo neque esse debet peccaminosus.

5 Respondeo, quod somnus,&c. & si sint diuisibilia , tamen de facto non diuiduntur , nam si diuiderentur de facto, vtiq; eo magis homo esset obligatus,quia cũ resumeretur tẽpore interdicto , peccaret apponendo impedimentum immediatè,& per se impediens obseruantiam legis, seu præcepti,tempore quo lex vrget,vel præceptum .

SVMMARIVM.

Perpetuò amentes , qui nunquam fuerunt sui compotes,post septennium tenentur ad leges humanas in actu primo. n.1.

Non actualis ratio,sed exigentia rationis reducit homines sub legem . eod.num.

Qui aliquando fuerunt sui compotes tenentur ad leges humanas, quia aliquando fuerãt sub lege ratione exigentiæ rationis , non ratione actualis discursus.n.2.

Effectus formalis est ipsamet forma communicata . n.3.

Ratio reducit hominem sub legẽ per modum causæ formalis. eod.num.

Vnus effectus potest pendere in fieri ab vna causa efficienti,& in conseruari ab alia , non verò ab vna causa formali in fieri, & ab alia in conseruari . eod.num.

Actualis ratio reducit hominem sub legem in actu secundo,exigentia vero rationis in actu primo. nu.4.

Exigentia rationis per communicationem sui ipsius conseruat hominem sub lege . n. 5.

Pueri, & amentes non æquiparantur quoad obligationem legis , quia excluditur obligatio legis ab infantibus per modum negationis,ab amentibus vero per modum priuationis . nu.6.

Excusatio à transgressione legis supponit subiectum capax obligationis legis; at non obligari legi supponit subiectum incapax, seu ineptum ad obligationem legis; & primum est per modum priuationis,secundum per modum negationis. n.7.

Sacramentum Eucharistiæ denegatur infantibus,& perpetuò amentibus, qui nũquam habuerunt vsum rationis,quia hi nunquã actum deuotionis erga hoc Sacramentum effecerunt;vel quia nunquam gratiam baptismalem amiserunt . n.8.

Amẽtibus in quibus ante amentiam apparuit aliquis actus deuotionis,non est deneganda Eucharistia . eod.nu.

RESOLVTIO LV.

An perpetuò amentes,qui nunquam fuerunt sui compotes,teneantur leges humanas seruare?

1 REspondeo,quod perpetuò amẽtes tenentur ad legem humanã seruandam, si septennium transierint. Ita Sanchez lib.1.summæ cap.12.n.3. Ratio est , quia exigentia rationis reducit

Digitized by Google

ducit homines sub legẽ, sed hi exigũt habere rationem, ergo sunt sub lege. Maior patet, nàm qui rationem exigit, exigit illam rectam, & ordinatam; sed rectitudo, & ordinatio rationis prouenit à lege, quia lex est coordinatio rationis, vt suprà, ergo qui rationem exigit est sub lege: non in actu secundo, quia in actu secundo ratione caret, & non habet quid coordinet, sed tantum in actu primo, cum rationem exigat; nàm sicut exigit rationem, ità legem; sed exigit rationem in actu primo, ergo & legem in actu primo.

2 Confirmatur, nam ideo qui aliquãdo fuerunt sui compotes tenentur ad legem, quia aliquando fuerunt sub lege, vt Merolla disp. 4. cap. 3. num. 439. vers. si loquamur. Sed non fuerunt sub lege rõne actualis discursus, ergo rõne exigẽtiæ discurrẽdi. Minor patet, nam si actualis discursus illos sub legẽ reduxisset, vtiquè ad legem amplius nõ tenerentur, nam cum amiserunt rationem in actu reducentem eos per aduersarios sub legem, cessante ratione cessaret ratio reducens ipsos sub legem, ergo amplius ad legem non tenerentur, nequè in actu primo; & sic nequè ebrij tenerentur ad leges in actu primo, dum sunt in ebrietate, quia etiam carent discursu in actũ, & per aduersarios actualis discursus, seu ratio in actu ponit hominem sub lege.

Dices, quòd actualis discursus ponit hominem sub lege: exigentia verò rationis deindè hominem sub lege conseruat, posito quod in actu homo ratione caret, & sic in fieri (vt ità loquar) tantum pendet ab actuali ratione, in conseruari verò pendet, vel ab actuali rõne, vel ab exigentia ipsius.

Sed contra est primò, nàm ratio in casu nostro communicat suum effectũ commnnicando se ipsam, vt patet. Nam posita ratione in homine, homo est sub lege, & sic per modum causæ formalis, ergo amissa ratione transibit quoquè suus effectus formalis, qui
3 est reductio sub legẽ, nam effectus formalis non est aliud, nisi ipsamet causa communicata: si ergo reductio sub legem, seu hominem sub legẽ redigere pendet in fieri à ratione actuali, ab ipsamet actuali ratione pendere debet in conseruari: potest enim aliquis effectus pendere ab vna causa efficienti in fieri, & ab alia in conseruari; non verò ab vna causa formali in fieri, & ab alia in conseruari.

4 Contrà est secundò, nam actualis ratio reducit hominem in actu secundo sub legẽ, ergo exigentia rationis reducit hominem in actu primo sub legẽ: sed amens perpetuus habet exigentiam rationis, ergo in actu primo est sub lege.

Contrà est tertiò, quia exigentia rationis sufficit ad conseruandum hominem sub lege; ergo exigentia rationis sufficit ad ponendum hominem sub lege. Consequentia patet. Nam hæc
5 conseruatio est per communicationem sui ipsius, quia exigentia communicãdo se ipsam conseruat hominem sub lege, ergo si hæc exigentia communicata sufficit ad conseruandum hominẽ sub lege, cur sufficere non debet ad ipsum hominem sub lege ponẽdũ? nulla enim potest assignari ratio disparitatis.

Dices cum Merolla supra num. 440. quia perpetuò amentes æquiparantur infantibus; ergo si infantes sunt exempti, etiam isti exempti esse debent.

Confirmatur, quia ijs eucharistia dari non potest in articulo mortis, sicut dari potest amentibus, qui aliquando vsũ rationis habuerunt, ergo signum est, quod illi nõ tenentur ad legẽ sicut isti.

6 Respondet Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. nu. 3. negãdo antecedens, quod scilicet æquiparentur perpetuò amentes infantibus, si loquamur quoad obligationem legis, nam obligatio legis excluditur ab infantibus per modum negationis, quia infans de sua natura nullam dicit exigentiam, seu habitudinem ad rationem, & sic neque ad obligationem legis, quæ rationem supponit in subiecto, & sic infans obliga-

Digitized by Google

tionem legis excludit à se tanquam à subiecto incapaci, & inepto de sui natura ad obligationem legis huiusmodi, etiam in actu primo, cum neque exigat rationem, quæ exigentia ab obligatione legis requiritur in subiecto. At perpetuò amentes excludunt à se obligationem legis per modum priuationis, quia hi exigunt rationem, & sic subiectum est aptum in ordine ad rationem, quæ ab obligatione legis requiritur in subiecto; & quia dicunt rationem in actu primo, ideo etiam obligationem legis in actu primo, vndè obligationē legis excludunt à se perpetuò amētes, tamquam à subiecto apto, & sic per modum priuationis.

Hinc est, quod quando perpetuò amentes legi contrafaciunt, & si transgrediantur legem, quia ad legem tenentur in actu primo, tamen excusantur à transgressione legis in actu secundo, quia in actu secundo ratione carent, quæ ab obligatione actuali legis requiritur in subiecto. At si infantes legi contrafaciant, non transgrediuntur legem, quia nullo modo ad leges tenentur, nequè in actu primo; excusantur enim à transgressione qui in actu primo tenētur; exēptantur verò seu eximuntur ab obligatione legis qui nullo modo tenentur ad leges.

Falsum igitur est, quod perpetuò amentes, & infantes æquiparantur in ordine ad obligationem legis.

Sed contrà Sanchez insurgit Merolla supra num. 440. versic. aliqui tamen volunt, &c. his præcisè verbis. Ad rationem in contrarium adductam à Sanchez dici potest, nihil facere ad rē moralem, quod carentia vsus rationis in aliquo sit per modum puræ negationis, aut per modum priuationis.

At nō bene Merolla impugnat Sanchez: quia Sanchez non dixit, quod ideo infantes non tenentur ad leges, & perpetuò amentes tenentur, quia isti dicunt carentiam rationis per modum priuationis; illi verò per modum negationis. Nàm si Sanchez hoc dixisset, optimè quidem Merolla illi contradixisset, si enim vsus rationis hominem sub legē reduceret, tam si carentia ipsius vsus rationis haberetur per negationem, quàm per priuationem, semper non haberet rationem reductiuam sub
7 legem. At Sanchez non dixit hoc, sed tantum dixit, quod excusatio à transgressione legis supponit subiectum capax obligationis legis, & sic per modū priuationis. At non obligatio legis, seu non obligari legi, supponit subiectum incapax, seu ineptum ad obligationem legis, & sic per modum negationis: & quia perpetuò amentes exigunt habere rationem, quæ ratio facit subiectum capax obligationis legis: hinc est quod perpetuò amentes sunt capaces obligationis legis, & sic per modum priuationis excusantur ab obseruantia legis, quia perpetuò amētes dicūt exigentiam rationis, quæ ratio est reddens hominem sub legem. At quia infantes non exigunt de natura sua habere rationem, ideò obligationem legis à se omninò excludunt etiam in actu primo, quia non solum non habent actualem discursum, sed neque exigentiam illius, hoc enim est, quod dicit Sanchez supra; vt patebit si accuratè legatur.

Quod breuius, & clarius dicendum est sic. Perpetuò amētes habēt rationē formalē reductiuā sub legē, seu id quod formaliter sub legē reducit hominē, q̄ est exigētia rōnis; & infantes hāc exigētiā nō habēt, & ideo neq; sunt sub lege in actu primo, vt supra dixi; exigētia .n. rationis cum sit ratio formalis reducens hominem sub legē, multum facit ad rem moralem, cum obliget hominē in actu primo ad legem seruandam. Sic ebrius tenetur in actu primo ad legem seruandam. Sic amens, qui aliquando fuit sui compos, & ignorantes, &c. tenentur in actu primo, quia habēt exigētiam rationis in actu; excusantur vero in actu secundo, quia carent actuali discursu.

Ad confirmationem Merollæ, in qua dicebat, quod perpetuò amentibus dari

ri

ri non potest eucharistia, & jis, qui aliquando habuerunt vsum rationis, dari potest: ergo signum est, quod illi comprehensi non sunt sub lege, sicut isti.

8 Respondeo negando consequentiã; & prima ratio negationis est, quia ex D. Thoma 3.par.q.80.ar.9. in corpore, in tantum potest quis Eucharistiam amenti ministrare, in quantum ante amẽtiam aliquis actus deuotionis apparuit ei ergà hoc sacramentũ, & quia perpetuus amens nunquam potuit actũ deuotionis ergà hoc sacramentum demonstrare, ideo ei ministrari nõ potest. Nõ ergo quia cõprehensi sũt sub lege potest ministrari eucharistia, sed quia actum deuotionis emiserunt erga hoc sacramentum sunt communicandi amentes, qui aliquando fuerunt suæ mẽtis compotes.

Secunda ratio negationis est Ioannis Sanchez in Selectis disp.38. nu. 1. & Barbatij in casibus cap.3.de eucharistia dub.4. num.1. Quam rationem deducunt ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 4. vbi dicitur quod infantes nulla necessitate obligantur ad sacramentalem communionem, quia gratiã per baptismum adeptam amittere nõ possunt. Sed perpetuò amentes neque potuerunt amittere, & qui aliquando fuerunt sui compotes potuerũt amittere, ideo ergo potest dari ijs, qui aliquando fuerunt sui compotes, non vero perpetuò amentibus. Et hæc est ratio cur Eucharistia negetur perpetuò amentibus, & non quia sunt comprehensi, vel non comprehensi sub lege in actu primo, vt reputat Merolla.

SVMMARIVM.

Pueri, quibus acceleratus est vsus rationis ante septennium, tenentur leges humanas seruare. nu. 1.

Infans cui accelerata est potentia perfecta discurrendi, naturaliter discurrit, & sic modus tantum recipiendi potentiam perfectam est innaturalis, at discursus est naturalis. n. 2

Lex humana adaptatur ad infantem perfectè discurrentem, non vero ad modum recipiendi hanc potentiam. eod. num.

Rarus modus recipiendi discursum non exẽptat hominem à lege. num. 3.

Si exigentia rationis reducit hominem sub legem, magis reducere debet actualis discursus. num. 4.

Puer cui acceleratus est vsus rationis, tenetur ad annuam confessionem, & communionem secundum Ioannem Sanchez. nu. 5.

Qui inuenit thesarum, tenetur soluere impositionem positam in facultatibus ciuium. num. 6.

Christianus fit subditus legi ecclesiastica per rationem, non per septennium. nu. 7.

In puero, cui acceleratus est vsus rationis, acceleratio tantum est per accidens, sed deinde per se discurrit. nu. 8.

RESOLVTIO LVI.

An licitum sit carnes ministrare tempore quadragesimali puero, cui acceleratus est vsus rationis, ante scilicet septennium?

REspondet Ioãnes Sãchez disput. 51. num. 31. licere, quia leges iuris positiui non intendunt obligare pueros ante septennium, in qua ætate solet lumen rationis oriri, & quod vni vel alteri oriatur ante septennium per accidens se habet, & rarò accidit. At leges nõ adaptãtur ad ea quæ raro accidunt, sed ad ea quæ frequentius accidunt, l. nã ad ea, ff. de legib. ergo leges Ecclisiasticæ non adaptantur ad pueros antè septennium habentes vsũ rationis. At Sanchez quando hoc dixit oblitus erat sui dicti in disp.26.n.4. scilicet cuilibet puero statim ac peccare nouerit & discernere inter bonũ, & malum, ministrari debere eucharistiam, licet sexto, aut septimo anno, nã præceptum de annua confessione, & suscipienda eucharistia eodem tẽpore obligat fideles: statim verò ac quis scit peccare, obligatur præcepto confessionis annuæ. Hæc Ioannes Sanchez, & non

Digitized by Google

est maior ratio de vno præcepto ecclesiastico, quam de alio, nisi obstet consuetudo.

1 Et ideo hæc responsio Sanchez nõ placet, & ratio est quia hic infans habet rationem formalem in actu secundo reducentem hominem sub legẽ, quę est actualis discursus; ergo ad leges tenetur. Et nota quod ab hoc infante, & si acceleratio discursus, seu acceleratio potẽtiæ discursiuæ fuit indebita, & innaturalis, tamen posita potentia perfecta discursiua in tali ætate, naturaliter discurritur. Et sic modus tantũ fuit indebitus, vnde acceleratio discursus rarò accidit. At posita ratione in homine semper connaturaliter discurrit cum dicatur verè hic puer discurrere tali ætate, non verò habẽs discursum, sicut in beato posito lumine gloriæ in intellectu ipsius, cõnaturaliter Deũ videt, & ei visio debetur: sic etiam posita potentia visiua in cæco, connaturaliter videt; & si modus huius restitutionis fuerit miraculosus, tamen talis visio est cõnaturalis, & debita: sed lex est coordinatio rõnis & nõ spectat ad ipsam legẽ respicere, an rõ sit in subiecto miraculosè, vel naturaliter, quum sufficiat legi, si hoc subiectum naturaliter discurrat: ergo lex ad talem infantem verè adaptatur, cum semper (posita ratione in homine in quacumque ætate) connaturaliter, & verè discurrat; lex enim nõ adaptatur ad accelerationem discursus in infante, quia hæc de raro accidit, sed adaptatur ad discursum naturalẽ, qui est in infante.

3 Cõfirmatur 1. quia si rarus modus recipiendi discursum eximeret hominem ab obseruantia legis, sequeretur quod illi, quibus oritur lumen rationis octauo, vel nono, vel decimo, vel vndecimo anno suæ ætatis, non tenerentur ad leges, quia hac ætate rarò accidit vt lumen rationis oriatur, sed leges adaptãtur ad ea, quæ frequenter accidũt, ergo nõ adaptarẽtur ad tales homines: sic ẽt amentes, qui postea facti sunt sui compotes, cum rarò hoc accidat, neque tenerentur ad leges.

Dices, quod illi habent exigentiam rationis, quam nõ habent Infantes ante septẽnium, & ideo illi tenentur, hi vero non. Sed contra est, nam si raritas in recipienda ratione excludit homines à lege, cum tali exigentia amentes
4 & infantes vndecimo anno rarò rõnẽ recipiunt, quia infantes in septẽnio rõne vtũtur, & amentes sæpè cũ amentia decedunt, ergo etiã debent esse excusati à lege. Nam si exigentia tantum rationis sufficeret ad reducendum hominem sub legem, magis sufficere deberet actualis ratio, quæ est exigentia expleta.

5 Confirmatur secundò ex eodem Ioanne Sanchez supra disputat. 26. quia hi tenentur ad annuam confessionem, immo etiam ad communionem Paschate, ergo etiã tenẽtur ad abstinẽtiam à carnibus tempore prohibito, quia tam vnum, quam alterũ est præceptum ecclesiasticum.

6 Hoc exemplo confirmatur tertiò, & explicatur. Nã si Prorex imponeret hãc legẽ. s. vt vnusquisq; huius ciuitatis solueret de propijs facultatibus decem pro mille annuatim: si quis haberet facultates inuentas, vel in aliquo thesauro, vel casu, tenereturne hic ad hãc solutionẽ? certè teneretur, & tamẽ rarò accidit thesauros inueniri. Si egro quis diceret, leges adaptãtur ad ea quæ frequentius accidunt, sed inuenire thesauros rarò accidit, ergo lex huius Proregis nõ adaptatur ad facultates huius inuentoris: vtique respondetur quod lex intelligit obligare, qui facultates habet, quod vero habeat ex inuentione, vel ex industria, vel ex successione, parũ interest huius legis. sic à pari leges vt sic coordinant rationem, quod verò ratio habeatur miraculosè, vel naturaliter, immaturè, vel post septennium parum interest legis, nec ad hũc rarum modum adaptatur.

7 Dices, quod adaptatur ad rationem subditorum, sed ante septennium quis non est subditus.

Re-

Digitized by Google

Respondeo quod Homo fit subditus per rationem, non verò per septennium: nam si in septennio sit, & ratione careat, subditus non est, saltē in actu secundo.

Ad fundamentū Ioānis Sanchez dico quod gratis omnino asseritur, quod leges non intelligunt obligare nisi post septennium, cum obligatio legis suppo nat tantum in subiecto rationem, qua posita subditum obligat.

8 Ad illud, quod dicebatur, per accidens scilicet habere vsum rationis infantem tali ætate, Respondeo quod per accidens est tantū acceleratio, ad quam accelerationem impertinēter se habet lex, seu obligatio legis. At posita per accidens acceleratione discursus in tali infante, per se discurrit, & non per accidens, quia verè dicitur per se discurrens hic infans naturaliter. Et cum lex sit coordinatio rationis, seu discursus naturalis, & hic infans habeat per se discursum naturalem, habet per se rationem formalem reducentem hominē sub legē: erit ergo hic infans sub lege. Quod breuius. Lex coordinat eum, qui per se discurrit: hic infans per se discurrit, ergo hūc infantē lex coordinat. Seu obligatio legis extenditur ad omnes, qui per se discurrūt, sed hic infans per se discurrit, & si per accidens discursum habuerit; ergo obligatio legis ad hunc infantem se extendit. vide Dianam par. 3. trac. de conscientia dub. resol. 52. circa medium.

Hoc videtur sentire Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 17. quæs. 2. col. mihi 676. in fine his præcisis verbis. Notandum est id quod dixit Innocentius, pueros quam primum sunt rationis compotes legibus ieiuniorum teneri, sicut etiam alijs ecclesiæ præceptis tenentur, habet locum in hoc, quod debent in diebus ieiuniorum abstinere à carnibus, & reliquis cibis interdictis, vnde & ipsi peccant edendo, & peccant qui ipsis tales cibos ministrant. Hæc Azorius.

SVMMARIVM.

Licitum est diebus festiuis præcipere opera seruilia infantibus ante vsum rationis, vel seruis infidelibus. nu. 1.

Opus seruile prout pendet ab infanti, vel à seruo infideli non est peccaminosum. nu. 2.

Mandatarius dicitur agere virtute mandantis, quatenus opus tribuitur mandanti, non quia virtus mandantis influat in opus. num. 2.

Sanctificatio diei festi est de iure diuino, at modus sanctificationis est de iure ecclesiastico. num. 3.

Abstinentia ab opere seruili diebus festiuis est de iure diuino veteri, quod cessauit per legē Euangelicam; & si renouata sit à lege ecclesiastica. nu. 4.

Lex diuina est duplex, positiua, & naturalis. eod. num.

Licitum est exigere opus seruile die festiuo ab excusato à præcepto, vel ratione paupertatis, vel necessitatis. nu. 5.

Aequè vel magis influit ad peccatum mandatarij consulens, quam mandans. nu. 6.

Opus mandatarij non dicitur mandantis, si hic reuocauit mandatū, non sic consulentis. eod. num.

Consulens opus seruile puero ante septennium, vel seruo infideli non peccat. eod. num.

Qui emisit votum non ludendi, potest alteri pecuniam dare ad ludendum nomine suo. num. 7.

Licitum est exigere die ieiunij opus seruile ab illo, qui ratione talis operis non ieiunat. num. 8.

Licitum est præcipere puero ante septennium, vel infideli, vt carnes comedat die ab ecclesia interdicto. nu. 9.

Tam præcipiens dicitur causa principalis operis seruilis, si opus seruile præcipiat, quam comestionis carnium, si comedere carnes præcipiat seruo infideli. nu. 10.

Quando opus seruile tribuitur domino mandanti seruo infideli, tribuitur ei opus non peccaminosum. nu. 11.

Homines timoratæ conscientiæ dum seruis infidelibus die festo non præcipiunt opera seruilia, trepidant timore, vbi non est timor. num. 12.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO LVII.

An licitum sit infantibus ante vsum rationis, vel seruis infidelibus opera seruilia diebus festiuis præcipere?

1 REspõdeo licere, & ratio est, quia hi non tenẽtur ad leges ecclesiasticas. Ita Layman lib. 1. tract. 4. cap. 10. n. 3. Diana 5. par. tract. 14. resol. 7. & p. 1. tract. 9. resol. 42.

Sed contra Layman insurgit Merolla disput. 4. cap. 3. dub. 40 num. 467. fol. mihi 158. vbi putat quod consuli possit infantibus antè vsum rationis, & seruis infidelibus vt exerceant opera seruilia; at non possit hoc eis mandari, seu imponi. Et ratio diuersitatis est quia is cui datum est consiliũ operatur nomine proprio, & non vt instrumentũ consulentis: at mandatarius operatur nomine mandantis, & vt instrumentum ipsius, saltem quando mandans habet vim coactiuam, vt habet Dominus respectu serui, & sic mandans pueris, vel seruis videtur causa principalis, id agẽs mediantibus seruis vt instrumentis, & ità videtur ipse Dominus contrauenire præcepto de obseruatione festorum.

Confirmatur, quia praxis testatur homines timoratæ conscientiæ non audere hoc mandare suis seruis, vel infãtibus diebus festiuis.

2 At hæc doctrina Merollæ non placet, quia hoc opus seruile prò vt pendet ab hoc infante, vel seruo infideli præciso præcipiente, vel imponente, non est opus contra præceptum ecclesiæ, quia est à non subdito legi: sed pro vt pendet ab hoc infante mandatur, ergo prout non est contrà præceptum ecclesiæ mandatur, & consequenter prout non est peccatum mãdatur. Vnde etiam si attribuatur opus illud mandanti, attribuitur in quantum non est peccatum, quia attribuitur, vt pendens à non subdito. Nec attributio aliquam malitiam tribuit operi, quam prius nõ habebat. Et nota quod dicitur mandatarius agere virtute mandantis, non quia uis mandantis agat cum mandatario, sicut instrumenta naturalia videmus agere in virtute causæ principalis: sed dicitur mandatarius agere virtute mãdantis, quia opus mandatarij tribuitur mandãti: quod si opus est malum, pœna debita datur etiam mandanti; si opus est bonum, præmium etiã est mandantis. Si indifferens, etiam vt sic mandanti tribuitur. Et quia opus seruile, quod prouenit à seruo infideli, & ab infante non est malum, quia non est contrà præceptum ecclesiæ, cum sit à non subdito, sicut comestio carnis die Veneris facta ab infirmo, vel ab infideli, vel ab infante non est mala, quia est à non subdito, vt supra dixi; ideo qui tale opus mandat seruis, vel infantibus die festo, non peccat.

Dices quod sanctificatio diei festi est de iure diuino, ergo etiam infideles tenentur, ergo non potest quis præcipere mancipio opus seruile.

3 Respondeo quod sanctificatio vt sic est de iure diuino, at modus sanctificationis, nempè per visionem missæ, per abstinentiam ab opere seruili est de iure ecclesiastico; & cum infantes, & infideles non teneantur ad præcepta ecclesiastica, ideo possum ego præcipere istis opera seruilia; si enim de iure Diuino esset, dispensatio ad laborandum die festo non penderet ab episcopo: sicut non pendet ab Ordinatio, nec à 4 summo Pontifice dispensatio aliorum præceptorum diuinorũ. Vel dic quod abstinentia ab opere seruili est de iure diuino veteri, quod per legem euangelicã cessauit, in lege euangelica est tantum de iure ecclesiastico. Et nota quod lex diuina est duplex, vna est Diuina naturalis, & altera est diuina positiua. Diuina naturalis est, qua præcipitur, vel prohibetur idem quod lege naturali prohibitum est, vt sunt, vnum cole Deũ &c. Diuina positiua est, qua prohibetur aliquid, quod iure naturali prohibitum non est, vt est in lege noua præceptũ baptismi, confessionis &c. & in veteri

præce-

Digitized by Google

præceptum de abstinendo ab operibus seruilibus, de comedēdo agno Paschali &c. Ita Merolla disp. 4. cap. 2. nu. 33. ver. rursus &c.

5 Confirmatur primò, quia licet mihi exigere aliquod opus seruile die festiuo ab aliquo excusato vel ob paupertatem, vel ob necessitatem; & si illi agāt vt instrumentum meum, ergo licebit quoque mihi præcipere seruo infideli, vel infāti carenti vsu rationis talia opera præcipere &c.

6 Confirmatur secundò, quia ideo mādans dicitur causa principalis peccati mandatarij, quia mādans moraliter influit ad peccatum: sed æquè vel magis ad peccatum influit consulens, quam mandans, secūdum opinionem multorum, quia reuocato mandato à mandāte amplius non dicitur influere ad peccatum: at reuocato consilio si sequatur effectus peccaminosus adhuc dicitur consulens influere, vel saltem æquè influit mandans, & consulens ad peccatum: si ergo peccat mandās seruo opus seruile, multo magis peccare debet cōsulens: sed per aduersarios cōsulens nō peccat, ergo neque mandans &c.

7 Confirmatur tertiò, quia qui vouit non ludere, si deinde pecuniam tribuit alteri ad ludendum nomine suo nō facit contrà votum, si expressè hoc etiā non vouerit secundum communem sentētiam, & tamen qui pecuniam accipit dicitur instrumentum vouentis, & vouens dicitur principalis ludens, quia ludus non est vetitus tali instrumento: ergo à pari, & si dicatur causa principalis Dominus præcipiens seruo infideli, vel puero opus seruile, tamen non facit contrà præceptum ecclesiæ, quia illud opus non est vetitum puero, vel seruo.

8 Confirmatur quartò, quia licitè possū exigere opus seruile ab aliquo operario die ieiunij etiam si sciam ratione illius operis fore, vt operarius non ieiunet, & tamen ego sum causa principalis illius operis, quod facit, vt operarius non ieiunet: ergo sicut excusor à culpa in illo casu, ità excusari debeo in hoc, cum vtrobique sim causa principalis.

9 Confirmatur quintò, quia licitè possum præcipere infideli, vel infanti vt carnes comedat die prohibito ab ecclesia, ergo etiam possum præcipere vt laborent die festiuo, quia tàm labor die festo, quàm comestio carnis die vetito est præceptum ecclesiæ: & tam in vno, quàm in altero sum causa principalis.

Respōdet Merolla d. 4. c. 3. n. 469. ad hāc cōfirmationē his ꝑcisis vebis, Nec est eadem ratio de cōmestione carniū in diebus ieiunij, quia seruus infidelis eas comedendo ēt iubente Domini, semper id facit tanquàm causa principalis, & non vt instrumentum Domini, non .n. in tali casu dici potest Dominū comedere mediante seruo tanquam instrumento, aut seruum comedere vt instrumentum Domini, & hac ratione licitum est mandare seruis infidelibus, vt in die ieiunij carnes comedant, non autem vt in diebus festis seruilia opera faciant: Hæc Merolla.

10 Sed dicerem cōtrà Merollā, quia vel loquimur de causa morali principali, vel de causa physica: si de causa morali, tam Dominus præcipiens seruo cōmestionē carniū, quàm præcipens arare, vineam fodere, &c. dicitur causa principalis moralis; nam causa moralis principalis est quando effectus tribuitur alicui secundum hominū æstimationem, & si ad actum non concurrat physice. At tam tribuitur commestio carnis seruo, vel infantis domino præcipiēti, quā aratio vineæ secundum hominum æstimationem: ergo tam est causa principalis moralis in vno, quā in altero, cōcurrit .n. per mandatū tàm in vno, quàm in altero. Si verò loqmur de causa physica, tàm procedit à seruo, & nullo modo à Domino comestio carnium; quàm aratio terræ &c. quia Dominus non cōcurrit per concursum physicum ad arationem, nec ad comestionem: & sic dominus principalis nullo modo dicitur

causa

causa principalis physica. Potest ergo dici dominus comedere mediãte seruo, sicut dicitur dominus arare mediãte seruo: si enim dici potest Dominum arare arante seruo, etiam dici pote Dominum comedere comedente seruo, nam sicut aratio dicitur moraliter Domini; ita comestio carnium dicitur moraliter præcipientis, & sic seruus dicitur instrumentum morale in vtroque casu. Si enim Merolla accipit comestionem secundum rationem physicam, & arationem secundum rationem moralem, fallitur, & ideo eius doctrina non probat, quia paritatem non soluit; cum paritas procedat à morali ad morale, & à physico ad physicum, & solutio procedit à morali ad physicum.

11 Ad fundamentũ principale Merollę respondeo quod verum est hoc opus tribui mandanti tanquam causæ principali, sed cum hoc opus non sit malum in se, cum pendeat ab instrumento non subdito ecclesiæ, non tribuitur mandãti aliquod opus contrà præceptum ecclesiæ; neque peccabit mandans cum opus mandat, quod non est contrà præceptũ ecclesiæ. Dicitur ergo causa principalis alicuius operis, quod non est contrà præceptum ecclesiæ, & sic non est causa principalis alicuius operis peccaminosi.

12 Ad Confirmationem Respondeo, quod isti timorati trepidant timore vbi non est timor, & quia plures homines inueniũtur qui hunc timorem non habent (plures enim sunt homines non timoratæ, quàm timoratæ conscientiæ) ideo hæc praxis nulla est.

SVMMARIVM.

Qui mane fuit in loco exempto à ieiunio, si perueniat ad locum domicilij, vbi ieiuniũ seruatur, & sit ieiunus, tenetur seruare ieiunium reliqua parte diei. nu. 1.

Ignorans mane diem ieiunij si ieiunium fregit, amplius non tenetur ad ieiunium illius diei, quia est iam impossibilitata materia ieiunij. nu. 2.

Materia ieiunij est indiuidua: & si partialiter frangatur, redditur impossibilis ad obseruandum. nu. 3.

Sicut qui est in loco exempto potest ieiunium frangere, ita qui ignorat diem ieiunij; & sicut qui in loco exempto ieiunium fregit, non tenetur ieiunare, ita & qui ignoranter comedit non tenetur ad præceptum ieiunij. num. 4.

Præceptum ieiunij est negatiuum, & ideo diuisionem admittit. nu. 5.

Qui fuit in loco exempto, & nunc non est, potuit tunc frangere ieiunium, at nunc non potest. nu. 6.

Lex ieiunij obligat ad totum diem in ordine ad locum, quem per se primo afficit. num. 7. & 10.

Qui ignoranter ieiunium fregit, amplius non tenetur ieiunare. nu. 8.

Qui voluntariè semel die ieiunij cibum sumit, vnum peccatum tantum committit, etiã si pluries eodem die cibum sumit. nu. 9.

Præceptum ieiunij obligat per se primò communitatem, & in ordine ad communitatẽ assumit sibi totum integrum diem pro mensura abstinentiæ à se iniunctæ. nu. 10.

Ciuis, vt pars communitatis obligatæ ad præceptum ieiunij non vt indiuiduus, & independens à ciuitate tenetur ad ieiunium. eod. num.

RESOLVTIO LVIII.

Quidam mane fuit in loco exempto à præcepto ieiunij, & sine factione illius peruenit ad locum sui domicilij vbi hoc præceptum ieiunij vrgebat; An talis teneatur reliqua parte diei ieiunium seruare?

1 RESpondent Thomas Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. num. 33. Less. lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 57. Basilius Pont. de matrimon. lib. 5. cap. 8. nu. 3. quod iste talis tenetur ieiunare reliqua parte diei. Et ratio est, quia iste talis potest materiam ieiunij præstare cum sit adhuc integra, & est subditus re-

Digitized by Google

reuersus ad propriam patriam; ergo tenetur.

Sed contra hos est Ioannes Sanchez in Selectis disp. 54. num. 4. quem sequuntur à Castropaltro de lege in communi, tract. 3. disput. 1. puncto 24. §. 5. nu. 11. & Diana de præcepto ieiunij resol. 49. & 50. Quod non teneatur ratio assignatur ab ipso Sanchez suprà his præcisis verbis, Cum enim ille potuerit licite ientaculum sumere in loco, à quo discessit, fit non teneri ad ieiunium per integrum diem, mandatum autem ieiunij respicit integrum diem, vt indiuiduum obiectum. Hæc Sanchez.

a At pace tantorũ virorũ, hæc ratio nõ placet. Nam ẽt ignorãs potest licitè ientaculum sumere, sicut qui est in loco exempto: & tamen dici non potest, vt infra patebit, quod ignorans diem ieiunij, si sit ieiunus vsq; ad meridiem, & deindè sciat meridie vrgere præceptum ieiunandi, non teneatur amplius ad præceptum, quia poterat cum tali ignorantia ientaculum sumere; potentia enim frangendi ieiunium non reddit ieiunium impossibile, sicut actualis fractio. Nàm qui fregit ieiunium tempore licito, vel quia ignorabat esse diem ieiunij, vel quia tunc erat solutus à præcepto, non tenetur amplius ad ieiunium, quia est iam impossibilitata materia ieiunij: materia enim ieiunij cum indiuidua sit, si partialiter fragatur amplius obseruari non potest: At si potes materiam indiuiduam integrã
3 præstare, teneris: sicut præceptum non edendi carnes etiam integrum diem respicit, & tamen, & si fuisti exemptus per partem diei, teneris ad non comedendum reliqua diei parte, etiam secundum aduersarios.

Nec dicas primò, quod qui ignorat hodiè esse diem ieiunij, non excusatur in actu primo, sed tantum à transgressione p̃cepti, posito, q̃ trãsgrediatur: at q̃ est in loco exẽpto excusatur à
4 præcepto ieiunandi, & ideo à parte diei ieiunij. Nàm contra est, quia paritas consistit tantum in hoc quod scilicet sicut licitè potest hic ignorans ieiunium frangere stante ignorantia, ita ille, qui est in loco exempto: & sicut hic si de facto ieiunium fregit, amplius non tenetur ad ieiunium, secundum veriorem sententiam, ità & ille. Quod verò hic à trangressione præcepti excusetur, ille verò exemptetur in actu primo, non pertinet ad casum nostrum. Nàm vt dixi, non quia fuit exemptus per aliquod tempus, sed quia reddita est impossibilis materia, amplius non tenetur, qui est in loco exempto, si semel ieiunium fregit, sicut etiã qui ignoranter comedit: q̃a si frangens non ex impossibili materia, sed quia fuit exemptus per aliquod tempus diei ieiunij non teneretur ad ieiunandum, sequeretur primò quod qui ignoranter comedit, teneretur ad ieiunium reliqua parte diei, & sic præcepti ieiunij indiuiduũ obiectum esset non tantum totus dies, vt putat Sanchez supra, sed etiam pars diei, quod ipse Sanchez videtur negare. Sequeretur secundò, quod qui fuit in loco exempto die, quo ieiunatur, posset deindè carnes comedere, nàm præceptũ abstinẽdi à carnibus nõ obligat per aliquas horas diei, sed per totã diẽ, ergo si exẽptio in actu primo per aliquas horas te facit immunem à lege, eris etiam immunis à comestione carnis. Nàm præceptum ieiunij est etiã negatiuum secundum opinionem Sanchez supra nu. 41.

5 Nec valet dicere quod ieiunium habeat obligationem indiuiduam; at præceptum non comedendi carnes habet obligationem diuiduam.

Nam contra est, quia hoc gratis asseritur in opinione ipsius Ioannis Sanchez supra, qui in p̃cepto ieiunij, seù in obligatione p̃cepti ieiunij diuiduationem admittit, dum fatetur n. 2. quod si quis bona fide in aliquà vigilia ieiunium frangat, tenetur reliqua parte diei ad ieiunium, & si non possit præstare integrum diem.

6 Ad rationem igitur Sanchez breui-

Digitized by Google

ter respondeo sic. Ille potuit ientaculũ sumere in loco, à quo discessit, ergo non tenetur per integrum diem ad ieiunium, negatur hæc cõsequentia; nàm consequẽtia ista debet esse, Ergo nõ tenebatur tunc per integrum diem; & nõ illa, Ergo non tenetur nunc: Nunc enim tenetur, & si non tenebatur. Nàm argumentatur à potentia ad actum, potuit ille ientaculum sumere, tunc quãdo non tenebatur ieiunare, ergo nunc non tenetur, male hoc deducitur in consequentiam, tunc enim potuit potentiam illam reducere ad actum secundum. At nunc non potest, quia nunc non est exemptus sicut fuit.

7 Neque dicas cum à Castropalao supra, quod lex obligaret ad partem, & partem diei. Nam lex non obligat ad partem, sed ad totum diem in ordine ad locum, si non est reddita impossibilis materia, vt dixi. Vnde quia potentia comedendi non proueniebat à lege ieiunij, sed à territorio, quod reddebat immunem suum habitatorem per illam horam tantum, in qua si ille comedisset, esset iam materia impossibilitata, sic per accidens amplius ad præceptum non teneretur. At quia de facto non comedit, materia ieiunij tota est

8 possibilis, & ille est subditus cum rediat ad propriam patriam, ergo tenetur ad ieiunium. Et fateor me non intelligere quomodo possit dicere Ioannes Sanchez, quod ille, qui habuit potentiam frangendi licitè ieiunium excusetur à ieiunio, & ille, qui actualiter licitè ieiunium fregit, teneatur ad præceptum, dum actus potentiam perficit, dicit enim, qui poterat licite comedere in oppido mane, non tenetur amplius ad præceptum patriæ, in quam peruenit, & qui licitè ieiunium fregit ratione ignorantiæ e. g. tenetur adhuc ad ieiunium ipsum reliqua parte diei, & quod concedit potentiæ, denegat actui secundo.

9 Addo quod qui semel voluntariè comedit in vigilia, vnum peccatum committit, postea tamẽ amplius nõ peccabit si pluries cibum sumat, vt fatetur ipsemet Sãchez supra n. 42. vers. porrò semel, &c. & hoc ideò quia materia ieiunij indiuidua est, ergo qui ignoranter comedit, amplius non peccabit si postea scienter cibos sumat, quia materia ieiunij indiuidua est. Aliter enim esset melioris conditionis qui cum peccato ieiunium fregit, quàm qui sine culpa cibos sumit tempore ieiunij.

Nec dicas cum Pasqualigo, de oblig. ieiun. decis. 217. Quod præceptum de ieiunio obligat pro toto integro die (hæc sunt verba Pasqualigi) ità vt sibi assumat totum integrum diem pro mensura abstinentiæ, quam iniungit, & ideo abstinentia cum mensura tantæ durationis est illa in qua ieiunium consistit; quod si abstinentia non potest habere hanc mensuram, non est amplius illa abstinentia, quæ intenditur in ieiunio. Vnde quando ipsa non habet locum, nec etiam habet locum præceptum de ieiunio. Non habet autem locum, quoties totus integer dies sine interruptione non subest præcepto de ieiunio respectu eiusdem personæ. Hæc ibi.

Quia contra est, nam præceptum de ieiunio obligat pro toto integro die cõmunitatem cui imponitur per se primo, non indiuiduum, & in ordine ad communitatem sibi assumit totum integrum diem pro mensura abstinentiæ quam iniungit. Nam si præceptum ieiunij obligaret indiuiduum per se primo pro toto integro die, sequeretur, quod ciuis mane ignorans præceptum ieiunij, etiam si mane non frangeret ieiunium non teneretur amplius ad præceptum ieiunij, si in meride aduerteret vrgere præceptum, quod nemo dixit; & teneretur ad ieiunium etiam extra propriam Ciuitatem, vt patet, quod Pasqualigus negat decis. 115. Insuper si per Pasqualigum, quando abstinentia non potest habere hanc mensuram integri diei, non est abstinentia quę intenditur a ieiunio, ergo abstinentia quę

potest

Digitized by Google

potest habere hanc mensuram, est abstinentia præcepta à ieiunio, sed de facto abstinentia in casu nostro potest habere hanc integram mensuram, quia mane non fuit fractum ieiunium, & consequenter abstinentia est in sua integritate, ergo abstinentia hæc est abstinentia præcepta à ieiunio. Nec valet dicere quod totus dies integer non fuit sub præcepto. Quia si nos loquimur in ordine ad communitatem respectu cuius talis ciuis tenetur ad præceptum, totus integer dies sub præcepto fuit, et si verum sit quod respectu talis indiuidui, vt talis independenter à loco, totus dies non fuit sub præcepto. At talis non tenetur, vt talis ad præceptum ieiunij, sed vt pars huius communitatis: Nam si teneretur, vt talis, teneretur saltem semel ieiunare, & non posset euitare præceptum ieiunij. Si enim Neapolitanus tẽpore quo Neapoli fit vigilia S. Bartholomęi se transtulit Beneuentum vbi non ieiunatur secundum Pasqualigum hic non tenetur ieiunare; & si die sequenti quo fit Beneuenti vigilia eiusdem Sancti se transfert Neapolim, hic neq; tenetur ieiunare secundum eundem auctorem. At hoc dicere non posset si præceptum ieiunij respiceret personas, & non locum seù communitatẽ, quia hic talis teneretur semel vigiliam S. Bartholomęi facere, quod negat Pasqualigus, ergo dicendum erit, quod præceptum ieiunij respicit locum, & non personam. Sed tota communitas seù locus cuius hic talis est pars, fuit sub præcepto per totum diem; ergo ex hac ratione talis tenetur ieiunare.

SVMMARIVM.

Qui semel præcepto ieiunij in vno loco satisfecit, tenetur alia die ieiunare si in locum discessit vbi ieiunatur ob eandem causam, secus vero dicendum est de præcepto annuæ confessionis, & communionis. n. 1.

Præceptum ieiunij afficit personas, vt partes communitatis, præceptum vero confessionis, & communionis afficit personas, vt indiuiduas. eod. n.

Potest quis in vigilia S. Bartholomęi licitè nõ ieiunare, si quando celebratur Beneuenti Neapolim petat, & quando Neapoli, Beneuentum proficiscatur. n. 2.

Quando vigilia alicuius Sancti celebratur diuersis diebus, non est in posse meo ieiunare vel vno, vel alio die, sed teneor ieiunare illo die quo ieiunant alij habitatores loci in quo tunc pernoneo. n. 3.

Aliquę partes vltramontanę Kalendarium Gregorianum non receperunt, & ideo celebrant Pascham priusquam celebretur ab alijs. nu. 4.

Præceptum ieiunij obligat Ciuitates semel in anno; at ciues, vt personas indiuiduas, nec semel, nec vnquam. n. 5.

Præceptum ieiunij, & si à iure communi, tamen obligat in ordine ad consuetudinem loci, vnde per se afficit locum, & non personas. n. 6.

Potest quis per accidens, ideò in ordine ad locum, teneri bis seruare vnicum præceptum. eod. nu.

RESOLVTIO LIX.

Quidam dum fuit in suo oppido satisfecit præcepto Communionis, cõfessionis, vel ieiunij, si deindè perueniat ad locum cum animo ibi perpetuò commorandi, & ibi præcepto adhuc satisfactum non est, teneturne iterum ad præceptum?

1 REspondet Basilius Pontius lib. 5. cap. 8. n. 8. cum distinctione, vel loquimur de præcepto annuæ confessionis, & communionis, vel de præcepto ieiunij. Ad primum si semel satisfecerit, amplius non tenetur: ad secundum, & si satisfecerit in proprio oppido, tenetur irerum satisfacere: & assignat disparitatem. Nàm præceptum annuæ communionis, & cõfessionis afficit fideles personas, vt indiuiduas, non verò vt partes huius, vel illius communitatis; at præceptum ieiunij non afficit personas vt indiuiduas, sed vt partes huius, vel illius commu-

Digitized by Google

nitatis,& sic obligatio hęc per se primò afficit communitatem,vt sic nempe Beneuentum vt sic, Mediolanum vt sic, & ex obligatione communitatis oritur obligatio particularium, & sic per se secundo personas indiuiduas. Hinc fit, quod quando es pars huius communitatis,teneris ad onera huius;quando verò illius,ad onera illius; & quia hodie es pars huius cõmunitatis,& crastina de illius, hodie teneris ad onus huius ciuitatis,crastina die ad illius.Quod vero ad præceptum annuæ communionis, & confessionis teneatur,vt indiuiduum fidelis; patet tum ex cap. omnis vtriusque sexus, vbi habetur,quod omnis fidelis tenetur, non omnes ciuitates,vel loca fidelium. Quod confirmatur ex eo,quia potest dari casus,in quo
2 quis non teneatur ieiunare in aliqua vigilia, vti potest accidere in vigilia Sancti Bartholomæi, vnde si Beneuentanus discedat à sua patria die 23.Augusti,& Neapolim perueniat, hic non tenetur ieiunare, vt ex sententia aduersariorum; & si deinde die 24. Neapoli discedat, & Beneuentum petat, neque tenetur ieiunare:si ergo tenetur vt indiuiduum,& non vt pars communitatis, tenetur facere vigiliam Sancti Bartholomæi: at in tali casu non tenetur secundum aduersarios; ergo,&c.

3 Confirmo magis doctrinam ex eo, quia si teneretur, vt indiuiduum ad ieiunandum, posset vnusquisq; ieiunare quando vellet, vel die 23.quãuis Neapoli sit,vel 24.quãuis Beneuenti sit; nã sufficeret,quod ieiunaret aliqua ex duabus diebus.At omnes tenentur dicere, quod si Beneuentanus dum adest Beneuenti, non ieiunet die 23.Augusti, peccet mortaliter; sicut etiam Neapolitanus,si vellet se conformare in Quadragesima cum Mediolauensibus: ergo dicendũ est,quod homo tenetur ad ieiunium, tanquam pars communitatis, non verò tanquam indiuiduum.

Dices, sic etiam dici potest de communione in Paschate;nam si obligaret, vt indiuiduum, posset e. g. aliquis se vniformare Ecclesiæ Vallesiæ in Germania, vbi Kalẽdarium Gregorianum receptum non est,teste Layman de legibus lib.1.trac.4.c.21.n.8.& sic posset se cõmunicare duabus hebdomadibus, antequam pascha veniret.

4 Respondeo quod hoc dici non potest; nam quod ità cito Pascha veniat in illis partibus,prouenit ab errore toleraro tantum in illis partibus ab Ecclesia, quem errorem non possunt imitari fideles degentes in partibus, vbi Kalendarium Gregorianum receptum est, quia ibi hic error ab Ecclesia non toleratur. cũ enim ibi permanes, vbi toleratur error, habes etiam tu indiuiduus tolerantiam, ex eo quia es pars illius ciuitatis.

Sed contrà Basilium insurgit à Castro tract.3.disp.1.punct.24.§.5 nu.12. his præcisis verbis. Verum in vtroque casu (scilicet in ieiunio, & in communione)idem censeo dicendum,neminẽ scilicet secluso scandalo teneri obseruare festum, & ieiunium,sicuti nequè communicare, si iam in sua Parochiæ tali festo, & ieiunio, & communioni Paschali satisfecit, quia hoc præceptũ adstringit fideles non bis,sed semel in anno.

5 Sed pacę tanti viri hæc impugnatio non placet. Nam præceptum annuæ communionis verum est, quod adstringat fideles, vt personas indiuiduas semel in anno. At præceptum ieiunij,festi,&c.& si adstringat communitates fideliũ semel in anno; tamen indiuidua per se primo, & vt indiuidua, nec semel, nec vnquam; nam si vt indiuidua tenerentur, malè ipse à Castro supra num. 8. dixisset quod posset quis non ieiunare, seu sacrum non videre si discederet à propria ciuitate tẽpore, quo ieiunatur,vel dies festiuus agitur in illa, si ad locum perueniat, vbi non ieiunatur, vel dies festiuus non agitur.Tenentur igitur, vt partes ciuitatis ad ieiunia, obseruantiam diei festi; &c. non vero,vt indiuidua, quia Ciuitates sunt illæ,quæ talem consuetudinem,vel le-

ges

Digitized by Google

ges habent, & legibus extra territoriũ non paretur impunè.

Nec dicas cum Pasqualigo de obligat. ieiun. decis. 218. nu. 3. quia præceptum iuris communis de ieiunio non obligat ad soluẽdum ieiunium in hoc, vel illo loco, sed solum ad actum ieiunij præstandum; nec obligat ad bis ieiunandum, &c.

6 Quia contra est, nam præceptum in casu nostro, & si à iure proueniat, prouenit tamen cum ordine ad consuetudinem locis; hinc fit quod afficit locum per se, & non personas, & sic præceptũ ieiunij in casu nostro obligat in hoc vel illo loco, quia si talis in hoc aut illo loco nõ esset, non teneretur ad ieiunium, vt fatetur ipsemet Pasqualigus decis. 217. & 115. & ideo mirum non est, si ciuis tenetur ad bis ieiunandum. Nam cũ hodie sit pars huius communitatis, quę tenetur ad ieiunandum, hodie vt pars huius communitatis tenetur ieiunare, & cum crastina die sit pars alterius cõmunitatis, quæ tenetur die crastino ieiunare, vt talis pars alterius communitatis obligatæ ad ieiunandum tenetur etiam iterum ieiunare; & sic per accidens, idest in ordine ad aliud, nempe ad locum talis tenetur bis seruare vnicum præceptum.

Dicendum igitur est opinionem Basilij esse veriorem, & tutiorem, stando in ratione: & si opinio à Castro non sit omninò improbabilis, stando in æquitate legis.

SVMMARIVM.

Moralis certitudo superuenientis dispensationis non excusat hominem à præcepto. nu. 1.

Dispensatio & non spes dispensationis tollit obligationem præcepti. eod. num.

Laborantes sunt excusati à præcepto ieiunij etiam diebus festiuis non solum ob defatigationem præcedentis diei, sed ob necessitatem ad laborandum die sequenti. nu. 2.

Voluntas obtinendi priuilegium, vel existendi in loco priuilegiato non eximit à ieiunio. eod. num.

Existens in loco vbi ieiunatur non potest ante quam discedat à tali loco ex professo comedere. num. 3.

Quando præceptum ieiunij potest sibi vendicare integrum diem, tunc vrget. nu. 4.

Qui mutat locum vbi præceptum ieiunij vrget, non tenetur ad ieiunium, quia in loco acquisito præceptum non vrget, non quia præceptum nõ vendicat sibi integrum diem. eod. nu.

Si certitudo moralis discedendi à loco vbi ieiunatur exemptaret à præcepto ieiunij, certitudo moralis, quod dispensatio veniret etiã exemptare deberet ab eodem præcepto. num. 5.

Præceptum ieiunij dicit duo, nempe abstinentiam à carnibus, & à pluribus comestionibus. nu. 6.

Qui absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus eodem die non absoluitur à præcepto ieiunij, cum hoc dicat duo, nempè & abstinentiam à carnibus, & à pluribus comestionibus. nu. 7.

Nec qui absoluetur in futurum à pluribus comestionibus, absoluitur nunc de præsenti à præcepto ieiunij. eod. num.

Qui mane est discessurus à loco vbi præceptũ ieiunij vrget, etiam si sit venturus ad locum vbi non ieiunatur, nõ potest mane ieiunium frangere. num. 8.

RESOLVTIO LX.

Si quis scit se manè discessurũ ab aliquo oppido in quo ieiunatur, & peruenturũ in propriam patriam, in qua non ieiunatur, an possit mane in tali oppido ientaculum sumere, vel ex professo comedere?

1 REspondẽt Ioannes Sanchez disp. 54. de ieiunio n. 27. & 30. Thomas Sanchez de matrimonio disp. 18. nu. 22. & in Decalog. lib. 1. cap. 12. nu. 34. Less. lib. 4. cap. 12. dub. 8. nu. 57. Salas disp. 14. sect. 5. num. 68. quod possit hic comedere mane in loco, vbi ieiunatur. Ratio eorum est quia obligatio ieiunij,

Digitized by Google

iunij cõsistit in indiuisibili: quare semel ieiunio violato nulla est obligatio. At ieiuniũ nocte obligatiuũ non est, ergo neq; obligabit sũmo mane. Neq; obstat cãm nõ dũ adesse: sufficit. n. moralis illius certitudo; sicut iturus ad exercẽdũ opus seruile, potest cibos sumere antequam exeat, non obstante ieiunij præcepto; quamuis causa excusans nondũ extet, impediriq; possit. Sic refert à Castro fundamẽtum istorum auctorũ.

Sed contra hos Auctores insurgit Coninch. de Sacramentis q. 74. artic. 4. dub. 3. nu. 104. à Castro tom. 1. tract. 3. disp. 1. punc. 24. §. 5. nu. 10. his præcisis verbis. Cæterum hæc sententia mihi non probatur, quia nullus potest excusari à præcepto ob moralem certitudinem superuenientis dispẽsationis, quia non spes dispensationis, sed dispensatio ipsa obligationem precepti tollere potest. Atqui existens in loco, vbi ieiunium seruatur obligatur ieiunio, ergo non potest ab illo excusari ob spem existentiæ in loco priuilegiato postea futuræ. Alias non existentia in loco priuilegiato, sed spes, & voluntas illius priuilegium concederet. Neq; est simile de laborante, cui enim labor est necessarius, eo ipso à ieiunio excusatur non ob laborem existentem, sed ob necessitatem illius; quò circa dicimus communiter laborantes deobligatos esse ieiunare diebus festiuis, non so-
2 lum ob defatigationem præcedentis diei, sed ob necessitatem ad laborandum die sequenti. Sed necessitas, aut voluntas obtinendi dispensationem, aut existendi in loco priuilegiato non eximit à ieiunio, ergo manes illo obligatus. Hæc à Castro. Idem habet Basilius Pontius lib. 5. cap. 8. num. 5. & hæc sententia mihi videtur solidissima. Idem sentit Texeda lib. 1. tract. 2. controuers. 18. n. 14.

3 Nec dicas cum Pasqualigo de obligat: ieiunij decis. 115. num. 6. non esse verũ quod antequã quis discedat (hæc sunt verba Pasqualigi) vrgeat præceptum ieiunandi, quia tale præceptum respicit integrum diem; quem si non potest sibi integre vendicare, pro nulla parte ipsius obligat. hæc ibi.

4 Quia contra est. Nam reterqueo argumentum, Si præceptum potest sibi vendicare integrum diem, tunc vrget; sed in casu nostro potest sibi vendicare integrum diem, immo de facto vẽdicat sibi integrum diem quamtum est ex parte loci, & personæ, quia si talis non discedat, & res permanent vti sunt, etiã cum affectu discedendi, præceptum habet vim suam, ergo nunc præceptum vrget. Et nota quod aliud est dicere, præceptum non potest sibi vendicare integrum diem, & aliud non vendicabit sibi integrum diem, & si actu sibi vendicet. Dum enim quis est in tali loco, vbi præceptum vrget, quantum est ex parte loci, & personæ, præceptum potest sibi vendicare integrum diem, vt dixi. Si vero talis mutabit locum, tunc præceptum non vrgebit, non quia præceptum non potest sibi vendicare integrum diem, sed quia præceptum non est in loco exempto, & ideo non vrget. Insuper si antequam discederet nullum vrgeret præceptum, sequeretur quod affectus tantum discedendi exemptaret à præcepto ieiunandi. Et etiam si hic talis de facto non discederet, vel quia animum mutaret discedendi, vel quia superueniret aliquod impedimentum, amplius non teneretur ad præceptum. Sequela patet, nam præceptum non vrsit mane tempore quo hic cupiebat discedere secundum Pasqualigium, ergo neq; vespere antequam discedat. Cõsequentia hęc patet. Nam si præceptum in tali casu haberet vim, vim haberet à meridie e. g. tempore quo mutauit hic voluntatem discedendi, quia antea non vrgebat, ergo præceptum ieiunandi sibi vẽdicat tantum diem à meridie vsq; ad vesperum, ergo non vendicat sibi totum diem, ergo præceptum amplius non vrget, quia secundum Pasqualigium tunc tantum præceptum vrget, quando sibi vendicat totum diem, ergo

Digitized by Google

go affectus tantum discedendi exemptat à præcepto ieiunij, quod nemo potest dicere. Insuper si mane hic frangeret ieiunium, & postea mutaret opinionem discedendi, amplius nõ esset astrictus ad ieiunium, ex defectu materiæ, seu integritatis diei.

Nec dicas secundò cum eodẽ Pasqualigo l.c. quod non est eadem ratio de dispensatione (hæc sunt verba Pasqualigi) quia quando agitur de dispẽsatione, supponitur, quod lex obliget, & ideo non tollitur obligatio, quandiu adueniat dispensatio; at in casu nostro non ponitur pro illo die obligatio ieiunandi, stãte morali certitudine, quod sit peruenturus ad locum vbi non adest præceptum de ieiunio. Hæc ibi.

5 Quia contra est, nam hoc est quod quæritur cur. s. moralis certitudo quod dispensatio veniat, non facit, quod præceptum non vrgeat, & moralis certitudo quod sum peruenturus ad locum exemptum facit nunc non vrgere præceptum? Nam si non vrget præceptum quia non potest sibi vendicare integrum diem, neque poterit præceptum sibi vendicare integrum diem, si veniet hodie dispensatio, ergò vtrobiq; par ratio. Addo quod possent etiam in vtroq; casu edi carnes.

Nec dicas tertiò cum eodem Pasqualigo l.c. nu. 7. quod non est eadem ratio (hæc sunt verba Pasqualigi) de carne, quia præceptum non comedendi carnes, tanquam negatiuum est in ordine ad tempus, seu diem diuisibiliter, & obligat pro singulis partibus: vndè si non potest obligare pro toto die, obligat pro illa parte pro qua potest, non sic autem præceptum de ieiunio, vt patet ex dictis. Hæc ille.

6 Quia contra est, nam præceptum de ieiunio secundum Pasqualigium l.c. nu. 4. duo dicit, nempe abstinentiam à carnibus, & à pluribus comestionibus, & præceptum de ieiunio secundum eundem Pasqualigium l.c. nu. 6. antequã quis discedat nõ vrget, verba enim Pasqualigi hæc sunt. Neq; enim est verum, quod antequam discedat vrgeat præceptum ieiunandi, quia tale præceptum respicit integrum diẽ, &c. ergo cum ipse antequam discedat nullum habeat præceptum ieiunandi, poterit carnem comedere, cuius prohibitio in casu nostro prouenit à præcepto ieiunandi, &c.

Nec dicas quartò cum eodem Pasqualigo l.c. n. 4. Quia cum præceptum de ieiunio sit (hæc sũt verba Pasqualigi) de abstinentia à carnibus, & à pluribus comestionibus, eo ipso quod quis absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, absoluitur etiam à præcepto ieiunandi, & hoc est omnino certum apud omnes: vnde potest pro illo die quacumq; hora libuerit, comedere, & repetere comestionem. Rursus etiam certum est, quod qui egreditur à loco ieiunij, & peruenit vespere ad locum vbi non est præceptum de ieiunio, absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, nàm in loco vbi non est ieiunium potest prandere, & vespere cẽnare, ergo pro illo die est absolutus à pcepto ieiunij, & consequenter quacunq; hora comedere potest antequã exeat à loco vbi est præceptum de ieiunio. Hæc ille.

7 Quia contra est. Nam non video hãc vltimã consequentiã à præmissis deriuari. Quod demonstro, quia quando quis absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, non est verum secũdum omnes quod absoluatur à præcepto ieiunandi, cum ipsemet Pasqualigus fateatur, quod præceptum ieiunandi dicit duo, nẽpe abstinentiã à carnibus, & à pluribus comestionibus, & si absoluitur à pluribus comestionibus, non absoluitur ab abstinentia à carnibus secundum Pasqualigum l.c. nu. 7. quod etiam à præcepto ieiunij prouenit in casu nostro secundum eundem auctorem, ergo etiam si absoluatur à pluribus comestionibus non absoluitur à præcepto ieiunandi. Insuper esto verum sit, quod eo ipso quod absoluitur quis ab abstinentia à pluri-

bus

Digitized by Google

bus comestionibus, absoluitur etiam à præcepto ieiunandi; tamen falsum est, quod si absoluetur ab abstinentia in futurum à pluribus comestionibus, absoluitur nunc de præsenti à præcepto ieiunandi, hoc enim est, quod quæritur, an qui probabiliter absoluetur à præcepto ieiunandi, possit nunc ieiunium frangere ante absolutionem. Sic etiam dico, quod qui egreditur à loco ieiunij, & peruenit vespere ad locum, vbi non est ieiunium, absoluitur ab abstinentia a pluribus comestionibus, & etiam à carnibus, & sic poterit nunc carnes comedere. At qui adhuc non peruenit ad locum vbi non est ieiunium, non absoluitur, sed absoluetur in futurum à præcepto ieiunij, & ideo in loco vbi non est ieiunium potest prandere, & vespere cœnare. Quomodo postea vera sit consequentia illa: ergo pro illa die est absolutus à præcepto ieiunij, & consequenter quacumque hora comedere potest; ego non cognosco. Nã cõsequẽtia vera hęc est; ergo pro illa die cum ad locum peruenerit vbi non est præceptum ieiunij erit absolutus a tali præcepto, quod nunc vrget; & hoc nõn negamus.

8 Dicendum igitur est, quod qui manè est discessurus a loco vbi ieiunatur, etiam si sit peruenturus ad locum vbi non ieiunatur, non potest mane ieiuniũ frangere.

SVMMARIVM.

Paupertas quando est fundamentum intentionis alicuius, puta admissionis ad legatum factum pauperibus, non præsumitur, sed est probanda. nu. 1.

Intentio fundata super negatiua est probanda. eod. num.

Bonum spirituale pauperum præferendum est bono temporali ipsorummet pauperum. nu. 2.

Quod sensibus patet, non est remittendum arbitrio alterius. nu. 3.

Cui commissa est distributio eleemosynæ inter pauperes, non tenetur eligere pauperiores. eod. num. 4.

Et potest præferre vnum pauperem alteri. eod. num.

Cuique licitum est in conscientia sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. nu. 5.

Legatum relictum pauperibus potest expendi in fabrica ecclesiæ pauperis. nu. 6.

Quando legatum est factum ad vsum pium, potest dari pauperibus, eod. num.

Si magna fames ingruit, tunc legatum factum pauperibus non potest expendi pro reparatione fabricæ ecclesiæ. nu. 7. & 11.

Nomine pauperis venit ecclesia, & qui pauperibus seruiunt. num. 8.

Magis pia dicitur actio, qua satisfit pietati, & religioni, quam actio qua satisfit pietati tantum. num. 9.

In distribuendo eleemosynam non tam est paupertas attendenda, quam religio. n. 10

Concurrente paupere auxilio humano destituto, & fame perituro, cum necessitate reparationis Ecclesiæ, præferendus est pauper. num. 11.

Pietas posponenda est religioni. nu. 12.

Ministri Ecclesiæ præferendi sunt pauperibus. num. 13.

Pauperes tenentur soluere decimas ecclesiasticas. eod. num.

Ministri ecclesiæ sunt alendi ex præcepto naturali confirmato à lege euangelica. num. 14.

Quod quandoque seruatum fuit, si postea renouetur, non dicitur nouum. nu. 15.

Legatum pro fabrica materiali ecclesiæ potest impendi pro paramentis, &c. eiusdem ecclesiæ. nu. 16.

Legatum pium relictum ad certum vsum potest conuerti in alium pium vsum meliorẽ; qui enim melius facit, non aliud, sed idem facit. nu. 17.

Qui seruat formam mandati per æquipollens, mandato satisfacit. eod. num.

Ordo distribuendi eleemosynam est quod detur magis indigẽtibus, melioribus, propinquioribus, benefactoribus, & dantibus spiritualia. num. 18.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO LXI.

Domini extauritarij S. Georgij Maioris Neapolis desiderabant eleemosynaliter dare aliquos census decursos, & non exactos congregationi Piorum Operariorum ad finem construendi Ecclesiam parochialem iam dirutam, olim eiusdem extauritæ, nunc dictæ congregationi ab eadem extaurita concessam. At quia dicti census annuatim deseruiunt pro eleemosynis dandis pauperibus quarterij eiusdem extauritæ, quidam religiosus posuit septem propositiones, quibus nitebatur probare dictos extauritarios non posse in tuta conscientia dare dicta Congregationi pro dicta fabrica dictos reditus. Quibus omnibus breuiter sic satisfeci.

PRima propositio. Si RR. Patres Cõgregationis tanquam eiusdem quarterij pauperes volunt admitti ad participationem de eleemosynis erogari solitis in pauperes in dicto quarterio sistentes, oportet quod ista paupertatis qualitas perspicua reddatur Dominis Extauritarijs, ex allegatis per Mascar. de prob. cõc. 1159. n. 5. & 6.

1 Responsio. Non intendunt P. P. tanquam pauperes admitti ad participandum de eleemosynis pauperibus huius quarterij destribuendis. Nam si hoc intenderent, paupertas eorum esset probanda, vt fundamentum admissionis ad legatum factum pauperibus, vt optimè Mascardus supra, cum fundamentum suæ intentionis quisq; probare teneatur etiam si sit hæc sua intentio fundata super negatiua, vt optimè Afflic. decis. 377. Sed intendunt tantum habere eleemosynam pro construenda Parochia iam diruta istius quarterij, quam Parochiam Domini extauritarij restaurare tenentur in paramentis, & alijs necessarijs ipsius extauritæ sumptibus. Ideò enim nomen extauritarij reportant, quia Ecclesiam restaurare tenentur. Quæ Parochia deseruit etiam pauperibus istiusmet quarterij ob bonum spirituale ipsorum pauperum, quod bonum

2 spirituale præferendum est bono temporali ipsorum pauperum, vt optimè probat Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 32. artic. 3

Secunda propositio. Quæ qualitas an cum effectu in ipsis Patribus militet, remittitur arbitrio eorundem Dominorum Extauritariorum, ex annotatis per Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. casu 65. &c.

Responsio. Qualitas paupertatis Ecclesiæ Parochialis huius quarterij non est remittenda arbitrio Dominorum Extauritariorum, quum sit iam diruta, & ex vetustate reparationis indigeat. Quod enim sensibus patet, arbi-

3 trio alterius remittendum non est, quũ sensus habeant perfectam cognitionem. l. quod meo. §. si venditorem ff. de acquirenda poss. & ibi. Bol.

Tertia propositio. Supposito igitur re vera adesse paupertatis qualitatem ipsis Patribus de quibus est sermo, adhuc dicimus, quod quamuis is, cui data est facultas ad distribuendum inter pauperes non tenetur eligere magis pauperem, quia sufficit eum esse pauperem quem eligit, licet non sit pauperior, vt post Baldum in l. id quod pauperibus, num. 35. Cod. de Episcopis, & Clericis annotauit Card. Mantica in tractatu de coniect. vlt. volunt. lib. 8. num. 5. & 6. non per hoc excluditur, quod eius cõscientia non sit onerata, secundũ quod debet facere distributionem in pauperiores, & in causas magis pias, vt post Decium in cons. 72. sub num. 3. tradit Stephanus Gratianus lib. 2. forensium Disputationum cap. 211. nu. 26. & 27.

4 Responsio. Cui data est facultas distribuendi eleemosynas inter pauperes, si illas distribuit in pauperes, & non in pauperiores, non onerat pro-

Digitized by Google

priam conscientiam; nam sequitur opinionem probabilem dicentem hoc esse licitum, ità Baldus loco citato, Barth. in Livnum ex familia §. in fine ff. de legatis 2. Nec peccat qui vnum pauperem alteri præfert. Mantica loco citato lib. 5. titulo 5. Sequi enim probabilem opinionem relicta probabiliori, tutissimum est in conscientia. Ità Ioannes Sanchez in selectis disp. 42. nu. 12. Thomas Sanchez in Summa tomo 1. lib. 1. cap. 9. num. 14. Basilius Pontius de matrim. lib. 10. cap. 15. num. 5. Layman lib. 1. tractatu 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Fillucius tomo 2. tract. 21. cap. 4. n. 128. Garsias de benef. tomo 2. p. 11. n. 361. Barbosa in collectaneis tomo 1. lib. 2. titulo 9. cap. 4. num. 6. & alij apud istos.

Adde quod hęc distributio esset moraliter impossibilis, quia nunquam scire posset Exauritarius pauperiorem, nisi faceret inuętariũ de bonis cuiusq; de quarterio; & si aliter faceret, distributio semper esset scrupulosa, immò peccaminosa, quia se exponeret periculo dãdi eleemosynam minus pauperi.

6 Item legatum relictum pauperibus potest expendi in fabrica Ecclesię, si Ecclesia pauper sit, Mantienzo lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 6. gl. 7. nu. 2. vbi dicit, quod in legatis nomine pauperum intelligitur Ecclesia, & refert Ioannem Andream cap. fin. de testam. nu. 6. per l. omnes, qui in princip. C. de Episcop. & Cler. vbi Bal. num. 7. dicit nomine pauperum contineri Ecclesiam. Idem Bal. l. si quis ad declinandum in princ. nu. 10. C. eod. tit. dicit quod legatum relictum pauperibus potest dari fabricæ Ecclesiæ pauperis, quia comprehenditur sub pauperibus, & l. id quod pauperibus, C. eod. tit. num. 34. dicit quod quando legatum est ad pium vsum, est certum posse dari pauperibus: quando vero testator dicit vt detur pauperibus, est verius, quod potest dari fabricæ
7 Ecclesiæ pauperis, quia nomine pauperum intelligitur pius vsus. Perez lib. 5. ordin. tit. 2. l. 1. vers. succedit præterea fol. 81. referens Ioannem Andream, Dominicum, & Crotum dicit, quod legatum relictum pauperibus potest dari Ecclesiæ quæ indiget reparatione. Rosel. restitutio. 15. nu. 3. dicit
8 posse dari, quando Ecclesia est pauper, & reparatio est necessaria, & non ingruit magna fames. Ità etiã sentit Thomas Sanchez consil. lib. 4. cap. 1. dub. 59. nu. 5.

9 Sed videamus quæso, quænam sit causa magis pia, ædificare Parochiam pauperibus deseruientẽ, an ipsos pauperes alere, Ecclesia enim, & pauperes simul conueniunt. Imò nomine pauperis venit Ecclesia indigens ædificijs, vt optimè Ioannes Andreas, præter alios supra citatos, dicit in cap. 1. in nouella, de testamentis lib. 6. & Imola in l. captatoriæ in fine ff. de legatis 1. Affirmat Diana secunda parte resol. moral. tract. 2. Miscellaneo resol. 8. Probat Bonac. de restit. disp. 1. quæst. 3. puncto 4. nu. 5. Azorius 3. parte lib. 4. cap. 29. quæst. 3. puncto 4. nu. 5. Nauarrus in manuali c. 17. nu. 43. Et pauperum appellatione veniunt ij, qui pauperibus seruire solent, vt optimè Oltrandus consil. 11. Rodriquez quæst. regul. tomo 2. quæst. 67. articulo 1. Quum ergo Exauritarij tribuunt hanc eleemosynam, illam tribuunt Ecclesiæ indigenti ædificatione pro seruitio ipsorum pauperum, & Cõgregationi deseruienti ipsis pauperibus in spiritualibus, & ergo per vnicam actionem satis fit duobus, pietati, & Religioni simul, magis pium censendum est, quam si per eamdem actionem satis fiat tantum pietati.

10 Adde quod in distribuendo eleemosynam non tam est attendenda paupertas, quàm Religio, canone quoniam 16. quæst. 1. attenditur enim religio per ædificationem templi per se, & immediatè, per distributionem vero eleemosynæ pauperibus per accidens, & mediatè, vt communiter Theologi.

Quarta propositio. Quare cum originaria destinatione, & ex antiqua, & inue-

Digitized by Google

inueterata consuetudine introductum sit, vt reditus Extauritę distribuantur illis dicti quarterij pauperibus, qui sint miserabiles personę, & in maxima paupertate constituti, & humano prorsus auxilio destituti, non videtur hanc pietatem adimpleri posse in dictis Reuerendis Patribus.

11 Responsio. Si nunc cõcurreret pauper humano auxilio destitutus, & fame periturus, & Extaurita non haberet, nisi vel succurrere huic pauperi, aut ædificare Ecclesiam, vtique teneretur potius huic pauperi, quàm Ecclesiæ, vt Diuus Thomas secunda secundę, q. 32. artic. 3. in fine corporis. At non sumus in tali casu, quia annui currenres census Extauritæ sufficiunt pro subuentione istius extrèmè indigentis, sicut sufficientes fuerunt per tot annos, & PP. de istis eleemosynam non quęrunt, sed de elapsis; & si consuetudo in beneficium pauperum inoleuit, etiam inoleuit in beneficium Ecclesiæ Parochialis eiusdem quarterij indigentis ædificatione, nam nomine pauperis venit Ecclesia ex supradictis cum Bonac. Azor. & alijs. Tanto magis quia pietas
12 postponenda est Religioni, vt Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 81. artic. 6. quando per vnicum actũ vtrũq; habere possumus, vti est in casu nostro.

Adde quod census Extauritæ creuerunt ex ministerio Congregationis Piorum operariorum; nam prius dicti census deseruiebant pro celebrandis Missis, Ceris Sacristię, Organo, Horologio, & seruitio dictæ Ecclesiæ, & onera prædicta iam translata sunt ad Cõgregationem, & annui reditus pro talibus oneribus sunt penes Extauritam. Vndè & si consuetudo immemorabilis inoleuit in beneficium pauperum, non tamen inoleuit respectu censuum solui solitorum pro dictis oneribus pro quibus centum quinquaginta ducati annuatim PP. soluti ab Exstaurita vix pro minimo prædictorum onerum sufficiunt, vt per se patet: Quare non mirum si nunc petitur eleemosyna de eo, quod Extauritæ resultauit propter onera, & seruitia, quibus ipsa exonerata est, & Congregatio est onerata.

13 Adde quod semper Ministri Ecclesiæ præferendi sunt pauperibus, nam pauperes tenentur soluere decimas Ecclesiasticis, vt optimè Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 87. art. 4. Alensis 3. parte, quæst. 51. membro 7. artic. 1. Sotus, Siluester, Angelus, & alij apud Suarez idem sensientem tomo 1. de relig. lib. 1. cap. 16. num. 15. & quum Congregatio deseruiat Dominis Extauritarijs, ipsi debent huic Congregationi necessaria ministrare, stante quod indigeat, & Domini Exstauritarij habẽt modum succurrendi pauperibus, quia Congregatio dicata est eorum seruitijs, & Ministri Ecclesiæ sunt alendi ex
14 precepto naturali confirmato à lege Euangelica, vt optimè Diuus Thomas loco citato artic. 1. Fillucius tract. 27. p. 2. cap. 7. num. 147. tanto magis ab illis, in quorum famulatu sunt.

Quinta propositio. Esset enim inducere nouitatem, & alterationem, quod esset periculosum, & cum prędudicio illrum pauperum, quibus ex dicta consuetudine super dictis reditibus est ius quęsitum.

Responsio. Nouitas non induceretur, quia hoc nunquam amplius accidet, postquam enim semel Ecclesia est ędificata, ferè perpetuò durat, & quod perpetuum est, nouitatem non inducit. Nec nouum est quod bonum commune, seu publicum præferatur bono particulari, seu priuato. Constructio enim Ecclesiarum bonum publicum est, l. ad instructiones, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, ergo nulla nouitas induceretur; tanto magis, quia bonum hoc conduceret etiam ad melius bonum ipsorum
15 pauperum huius quarterij. Nec nouum dicitur quod quandoq; statutum fuit, si pestea renouetur, Canone præceptis distinct. 12. Canone Acatius 24. quęst. 1. sed aliquando isti reditus fuerũt addicti rebus necessarijs huius Ec-

Digitized by Google

clesię, ergo si ad similia applicentur, nihil noui.

Ad id quod dicitur de iure acquisito pauperibus, hoc non magis fauet pauperibus, quàm Ecclesiæ, quum ex probatis veniat Ecclesia nomine pauperum.

Sexta propositio. Neque hoc modo eque satisfactũ videtur intentioni illorum, qui dictos reditus reliquerunt, prout in dubio censetur relictum factũ pauperibus.

Responsio. Intentio relinquentium dictos reditus fuit principaliter pro seruitio Ecclesię in necessarijs Sacristię, &c. diuini cultus. Vndè magis satisfit intentioni testatorum, si dicti reditus applicentur fabricæ dictę Ecclesiæ, quàm si dentur pauperibus.

16 Adde quod sicut legatum relictum pro fabrica materiali Ecclesiæ potest pro paramentis, &c. eiusdem Ecclesiæ impendi, & non dicitur fieri contra mentem legantis, vt rectè Couarru. in cap. final. de testam. num. 4. Thomas Sanchez Consiliorum lib. 4. cap. 2. dub. 14. num. 3. ità à fortiori poterit legatum relictum pro paramentis, & seruitijs Ecclesiæ impendi pro fabrica eiusdem Ecclesiæ, nec diceretur mutata voluntas testatoris.

17 Insuper legatum pium ad certum vsum, potest conuerti in alium pium vsum meliorem, nam qui melius facit, non aliud sed idem facit, cap. Peruenit il secondo de iure iurando. Et qui seruat formam mandati per æquipollens, mandato satisfacit, l. finali ff. mandati. Sic Armilla verb. legatum num. 59. Siluester verb. legatum 4. q. 4. ergo poterit legatum relictum pauperibus huius quarterij dari Ecclesiæ Parochiali eiusdem quarterij iam dirutæ.

Septima propositio. Ideò Domini Extauritarij si nolunt eorum conscientiam vulnerare, sed illam saluare, & intentionem illorum, qui tales reditus reliquerunt obseruare, debent illos distribuere vbi maior sit necessitas, & inopia, & ijs qui maiori paupertate opprimuntur, neq; his erogari possent, nisi quantum sufficeret ad subleuandam eorum paupertatem, &c.

Responsio. Hæc propositio simpliciter falsa est, nam largiendo dictos reditus attraxatos nõ solum Domini Extauritarij non vulnerant proprias cõscientias, sed vulneratas sanant, nam efficiunt opera ob bonum animarum testatorum, quod principaliter intendi debet à legante ad pias causas, vt optimè Sanchez loco citato num. 3.

18 Seruant ordinem distribuendi eleemosynam, quæ danda est magis indigentibus, Melioribus, Propinquioribus, Benefactoribus, & Dantibus Spiritualia. Ità Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 32. artic. 3. ad primum; & quæst. 71. & quæst. 81. art. 6. Ecclesia igitur ista iam diruta, & finemodo reædificandi maximè indiget, & est in extrema necessitate. Congregatio, seu Patres in bonitate animæ sunt meliores pauperibus huius quarterij. Sunt extauritarijs ppinquores, qa sũt Patres eorũ Spirituales, & sunt in eorum famulatu. Sustinent maxima onera Extauritæ, & sic illis benefaciunt. Et dant eis spiritualia.

Insuper prouident pauperibus huius quarterij de auxiliis spiritualibus, quum illis Parrochiam reædificant, quæ bona spiritualia præferenda sunt temporalibus, ex dictis supra cum Diuo Thoma.

Succurũt Ministris Ecclesiæ eidem Extauritæ seruientibus.

Sunt igitur tuti in conscientia Domini Extauritarij, imò tutiores, si census illos attraxatos tribuant pro hac Ecclesia ædificanda.

SVMMARIVM.

Puer cui acceleratus est vsus rationis, si homicidium committit fit irregularis, n. 1.

Infantes non habentes vsum rationis comparantur furiosis, & dormientibus: Secus, verò si vsum rationis habent. eod. nu.

Suffi-

Sufficit si in iure explicetur delictum per quod incurritur in irregularitatem, ætas vero, &c. non est necesse ut exprimantur. nu. 2.

In Clementina, Si furiosus, excipiuntur infantes ab irregularitate non respectu ætatis, sed ratione discursus, seù vsus rationis. n. 3.

Infans secundum ætatem, & non secundum rationem dicitur materialiter infans, & formaliter impubes. eod. nu.

Beneficium legis sine damno tertij amplè est interpretandum. n. 4.

Exceptio ab irregularitate ratione homicidij conceditur in Clem. Si furiosus, carentia rationis, non vero teneritudini ætatis. n. 5.

RESOLVTIO. LXII.

An pueri, quibus acceleratus est vsus rationis, incidant in irregularitatem si homicidium committant?

1 REspondeo, quod sint irregulares. Ità Sanchez lib. 1. Summ. cap. 12 n. 8. Sylvest. verb. homicidium 3. quæst. 1. dict. 5. & quæst. 2. dict. 3. Et patet tum quia prò homicidio volũtario est imposita pœna vel inhabilitas irregularitatis, tum quia infantes si vsum rationis habent, tenentur ad pœnas Ecclesiasticas mitigatas si initigari possunt; secus si non possunt, vt colligitur ex cap. 1. de delict. puer. At pœna irregularitatis nõ põt mitigari, tũ quia clem. Si furiosus de homicidio, excusantur infantes per comparationem ad furiosos, & dormientes dicendo, Si furiosus, infans, aut dormiẽs, &c. sed quãdo infantes habent vsum rationis non comparantur dormientibus, & furiosis, cum sciant id, quod agunt, ergo non sunt excusati ab irregularitate, tum quia hi sunt formaliter impuberes, & si materialiter infãtes, ergo sunt irregulares, quia impubes irregularitatem incurrunt ex supradictis.

Dices ex Auila 7. parte de homicidio casuali disp. 6. sect. 1. dub. 13. quod irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, sed non est expressum in iure quod talis infans maneat irregularis, ergo.

2 Sed contra est, nam in iure non est exprimenda ætas, sed tãtum delictum, & pro homicidio voluntario incurritur irregularitas, & homicidium volũtarium est commissum ab infante, cui acceleratus est vsus rationis. Nam si non solum delictum, sed etiam ætatem ius exprimere deberet, senex neq; esset irregularis si homicidiũ committeret, quia hoc non est expressum in iure, immò si non sufficeret expressio delicti tãtum, nequè qui hominem occidit ex insidijs, neq; qui homicidium committit ense, neq; assassinus, &c. essent irregulares, quia hæ conditiones non sunt expressæ in iure; sufficit ergo, quod delictum tantum sit expressum in iure, quod est homicidium voluntarium, vt colligitur ex non nullis capitulis de homicidio voluntario, vel casuali, vt incurratur irregularitas: cum ergo homicidium infantis sit voluntarium, vt suppono, est sufficienter in iure expressum ad hoc vt infans irregularitatem incurrat.

Dices ex eodem Auila ibidem, quia in supradicta Clemẽtia generaliter excipitur infans, & cum sit beneficium legis absque præiudicio tertij, est amplè interpretandum.

3 Sed contra est, quia si in dicta Clem. exciperetur infans habendo respectũ ad ætatem, & non ad rationem, seù ad vsum rationis, sequeretur, quod si alicui non aduenire vsus rationis vsque ad pubertatem si interim hominem occideret esset irregularis, nam tunc ille esset pubes respectu ætatis, & sic talis non esset excusatus, quia per aduersarios infantes secundum ætatem tantum sunt excusati, non vero secundum rationem, quod neq; Auila concedit, immò oppositum dicit loco citato, vers. sed quid, &c. cum ergo qui rationem non habent, & si habeant ætatem, non incurrant irregularitatem, dicendum est quod illi, qui rationem habent,

habent, & si non habeant ætatem sint irregulares, si homicidium voluntarium committant. Beneficium enim legis non est concessum in illa Clementina infantibus secundum ætatem, sed infantibus secundum rationem, & ideò inter furiosum, & dormientem infantes posuit: infantes enim secundum ætatem, & non secundum rationem, sunt materialiter tantum infantes, & non formaliter; nam si ratione polleant in illa ætate, potius dicendi sunt impuberes, quam infantes formaliter, & si materialiter sint infantes, malitia supplente ætatem.

Ad argumentum igitur in forma. Respondeo, In illa Clemẽtina generaliter excipitur infans, prout infans est formaliter, & concedo: excipitur infans, qui est impubes, id est infans tantum materialiter, & formaliter impubes, & negatur: cum ergo infans tantum materialiter, & formaliter impubes non sit simpliciter infans, sed secundum quid, nempè materialiter tantum, hinc fit quod non excipitur in illa
4 Clementina. Ad illud quod dicebatur hoc esse beneficium legis absque præiudicio tertij, & ideò amplè interpretandum, vtique cõcedo latè esse interpretandum, intrà tamen latitudinem infantis, sed non se extendere debet ad impuberem, quia sic non amplè, sed extra intentionem Clementinę dilataretur; est enim vt dixi infans formaliter qui & ratione caret, & septennium nõ habet: qui verò rationem habet, & si septennium non attingat, est formaliter impubes, & materialiter infans.

Dices ex Layman lib. 1. tract. 4. cap. 10. nu. 7. & ex Auila suprà, quod hoc priuilegium est concessum infantibus non solum ex carentia rationis, sed etiam ob teneritudinem ætatis, ergo cum hic infans habeat teneritudinem ætatis, & si non careat ratione, irregularis esse non debet si hominem occidat, quia non cessat ratio adæquata ipsum excusans.

5 Sed contrà est, quia teneritudo ętatis impertinenter se habet ad incurrendã irregularitatẽ. Quod probo, tum quia si aliquis sit pubes, seu vir, & careat ratione verè non est irregularis, & si hominem occidat, & teneritudinem ętatis non retineat: tum quia si ponamus casum, quod aliquis habeat sex annos, & decem menses, & habeat vsum rationis, hic si hominem occidit non est irregularis secundum aduersarios, quia non habet septennium completum, & si postea compleat septennium, & hominem occidat fit irregularis. Postulo ab aduersarijs, vel hic infans retinet teneritudinem ętatis, quam habebat sexto anno, & decimo mense, vel non. Si retinet, ergo non est irregularis, si non retinet, quomodo ergo per incrementum duorum mensium ità facta est ætas dura, vt inducat infantem ad tam grauem pœnam? Hoc ego intelligere non possum, nec credo ab Aduersarijs hoc verè dici posse.

Constat igitur exceptionem ab irregularitate concessam esse carentię rationis, nam idem habent furiosi, & dormientes, non vero teneritudini ętatis, vt arbitrantur Auila, & Henriquez.

SVMMARIVM.

Qui egreditur ante meridiem à loco vbi festum celebratur, & pergit ad locum in quo non est dies festiuus, non tenetur sacrum audire. n. 1.

Obligatio videndi Sacrum die festo, & si contrahatur manè, tamen non mane tenemur ad satisfactionem, sed vsq; ad meridiem, si illo medio tempore non habeamus causam excusantem à præcepto. n. 2.

Obligatio videndi sacrum in aliquo loco obligato contrahitur à compartibus illius loci obligati, vnde quando quis non est amplius pars illius loci, amplius non tenetur ad præceptum. nu. 3.

Licitum est quærere causam excusantem seu exemptantem à lege, non vero impedimentum ponere ad legem. num. 4.

Causa

Causæ excusantes, seu exemptantes à lege sunt priuilegium, infirmitas, discessio ad Ciuitatem exemptam &c. Impedimenta sunt ignorantia, obliuio, amentia, ebrietas, somnus, &c. eod. nu.

Præcepto de videndo Sacrum satisfaciendum est, si intra tempus obligationis non superueniat impedimentum excusans, in actu primo nu. 5.

Qui non recitat matutinum, e.g. quia hodie expectat priuilegium, non peccat, si priuilegium de facto veniat. eod. n.

RESOLVTIO LXIII.

Si in tua Ciuitate sit dies festiuus, & sint plures Missæ celebrandæ, V. g. à mane vsque ad Meridiem, an possis non audito sacro ante maridiem, egredi ad locum vbi Missa celebranda non est, nec est dies festus?

1 REspondeo breuiter cum Sanchez l. 3. de Matrimonio disp. 18. nu. 25. & lib. 1. in Decalogo cap. 12. num. 32. quod potes egredi, & non videre Sacrum. Et ratio est, quia illa hora qua discedis non vrget præceptum satisfaciendi, quia sunt aliæ Missæ celebrandæ, & post discessionem iam es exemptatus ab obligatione, quia vbi manes non est præceptum. Nec habes præceptum non discedendi. Idem sentit Salas disput. 14. de lege, sect. 5. nu. 66. Ioannes Sanchez in selectis, disp. 54. num. 29. Ferdinandus à Castropalao tom. 1. tractat. 3. disp. 1. punct. 24. §. V. nu. 8. Less. de iust. lib. 2. dub. 8. cap. 5. Sa verbo Festum. n. 8.

Dices cum Coninch. quæst. 74. art. 4. dub. 3. num. 108. quod hic iam contraxerat veram obligationem (hæc sunt verba Coninch) audiendi sacrum, etsi eam non tenebatur implere ante horã e.g. vndecimam (loquitur secundum horologium Hispanum) qua vltimum sacrum erat dicendum. Nec illi obligationi vllo modo satisfacit perueniendo ad locum, vbi non est festum, ergo peccat non audiendo eo die sacrum, quia obligationi iam contractæ nullo modo satisfacit. Hæc Coninch.

2 Sed contra est, primò: nam hic contraxit veram obligationem tunc, sed non tunc satisfaciendi, quia si tempore quo talem obligationem contraxit, teneretur setisfacere, vtique peccaret, si non interesset Sacro valde mane, imò primum Sacrũ videre teneretur, quia tunc vrgeret præceptum, & adesset obligatio tunc satisfaciendi. Contraxit igitur ille talis tũc obligationẽ, sed satisfaciendi intra illud tempus vsque ad meridiem, nisi haberet causam excusantem. At quia ante meridiem quæsiuit exemptionem à lege per discessionem ad locum non obligatum, & cum quæsierit hanc exemptionem tempore, quo non vrgebat tunc præcepti satisfactio, amplius non tenetur, sicut qui hodie expectat dispensationem ad officium Diuinum, si hodie officium non reciret, & de facto dispensatio venit, non peccat.

3 Contra est secondò. Nam hic contraxit veram obligationem, non vt hic sed prout pars huius communitatis. Hæc enim communitas est quæ tenetur ad tale præceptum, & consequenter hic dum est pars huius communitatis, contraxit tale præceptum, cui non tenetur statim satisfacere, si vsque ad meridiem perseuerat causa obligans talem ad tale præceptum, nempe quod sit pars huius communitatis. At ante meridiem hic non dicitur amplius pars huius communitatis, quia exiuit de illa vt supponitur, ergo amplius non tenetur. Causa enim cur tenebatur, erat, quia communicabat cum tali communitate, & consequenter erat pars huius communitatis adstrictæ huic præcepto.

Dices cum Basilio Pontio lib. 5. cap. 8. num. 6. Quia ille nouit se impediendum (hæc sunt verba Basilij) ab audiendo Sacro, quod audire tenebatur pro-

Digitized by Google

profectione, & exitu illo, sicut qui incola est eius loci in quo festus dies est si certò sciat, impedimentum fore ab hora nona ne sacrum audiat, tenetur horam præuenire, & sicut licet toto die possit clericus recitare Diuinum officiũ, tamen si scit superuenturam occupationem, qua impediatur ab officio recitando, tenetur præuenire. Hæc Basilius.

4 Sed contrà est, nam aliud est quærere causam exemptantem à lege, aliud qnærere impedimentum ad legẽ. Incola enim in casu nostro cum quęrat causã exẽptantẽ à lege tẽpore, quo satisfactio præcepti vrget (causæ enim excusantes sunt, priuilegium, infirmitas, discessio ad Ciuitatem exemptam vt bene Ferdin. à Castro supra disputatione prima, puncto 24. §. 2. n. 10. v. Distinguendum &c. Et si de infirmitate sit sibi contrarius in loco citato §. 5 num. 8. circa finem) non tenetur præuenire, etsi præuideat talem causam excusantem, quia hic non dicitur impedimentum ponere, sed priuilegium quærere: sic non tenetur Sacerdos, qui infirmitatem cognoscit aduenire post prandium, vesperam mane recitare, nec si priuilegium non recitandi officium ad vesperam expectat. Si verò Incola quæreret impedimentum, quod excusaret à transgressione tantum legis, peccaret non præueniendo tempus ad satisfactionem; ea enim impedimenta, quę excusant à transgressione legis, sunt ignorantia, obliuio, amentia, ebrietas, somnus, & cætera huiusmodi, vt bene à Castro locis citatis. Cum ergo qui discedit à loco vbi præceptum vrget, & pergit quò non tenetur ad præceptum, quærit exemptionem à lege, non tenetur præuenire.

Dices ex Texeda controuers. mor. tom. 1. lib. 1. tract. 2. controuers. 18. nu. 13. Quod hæc doctrina à veritate (hęc sunt verba Texedæ) recedere videtur, tum quia quãdo obligatio exequendi præcepti est iam contracta, debet poni in executione sub reatu mortalis culpæ, nisi intra obligationis tẽpus superueniat impedimẽtũ præceptũ exequẽdi, tũ etiam quia qui cõscius impedimenti superuenturi, tenetur ex merito præcepti audiendi Sacrum illud audire mane, vt rectè Nauarrus cum alijs, quia tunc præceptum obligare cæpit, sicut qui tenetur Diuinum officium persoluere, quamuis illi sit facultas illud recitandi vsque ad duodecimam noctis horam, si cognoscit se à somno præueniri, aut obtrudi impedimento, ita vt non possit diuinum officium persoluere, tenetur proculdubio ante somnum, aut impedimentum præuisum illud recitare, quia cum huiusmodi præcepta affirmatiua sint, obligant quamprimum seruari possunt, & ideò non admittunt totam illam temporis latitudinem, & cætera. Et deinde subdit Texeda; quia Sancius, & Lessius in sua *insistunt* sentẽtia, nec respondent ad obiecta à *nobis* tradita, nec pro se rationem aliquam mediocriter bonam afferunt, qua suam sententiam probent in hac parte ab eorum sentẽtia omnino recedendum est. Hæc Texeda ibi.

5 At immeritò ita loquitur Texeda, quia obiectis facilè respondetur. Nam ipsemet fatetur quod obligationi contractæ satisfaciendum est, si intra obligationis tempus non superueniat impedimentum, ergo à fortiori non erit satisfaciendum præcepto, si intra obli- obligationis tempus superueniat causa excusans à præcepto, vti esset in casu nostro. Et sic conscius impedimenti superuenturi tenetur præuenire, si impedimentum non sit causa excusans à præcepto, quia tunc, cum teneatur in actu primo, transgreditur præceptum, ex voluntate in causa, vt dixi. At si impedimentum sit causa exemtans à præcepto, tunc vtitur exemptione, quam habet à tali causa. Qui enim hodie priuilegium expectat non recitandi officium diuinum, si hodie matutinum non recitet, & in meridie priuilegium recipiat, quis vnquam dixit

xit quod hic talis peccauit mortaliter; sic in casu nostro. Nec valet paritas de somno, quia somnus non exemptat ab obligatione legis, sicut exemptat transitus ad locum exemptum, vt sæpe dixi, & cum hoc sit præceptum affirmatiuum, obligat intra latitudinem illius temporis. Quia si quis possit commodè satisfacere huic præcepto ante meridiem, & nō vult, sed expectat vltimum sacrum meridie dicendum, nullo modo peccat, vt credo quod dicere tenetur ipsemet Texeda, cum ergo facilè respondeatur ex doctrina Sanchez, & Lessij ad obiecta per Texedā, & hęc opinio habeat solidissimas rationes à Texeda non solutas, sententia nostra omninò est amplectenda.

SVMMARIVM.

Peregrini tenētur legibus loci quà transeunt. nu. 1.

Peregrinus dicitur compars, & si non dicatur ciuis loci quà transit. eod. nu.

Dissonum est partem non conformari toti. eod. nu.

Peregrinus tenetur ad leges, si habeat animum perpetuò permanendi, non ratione animi, sed ratione communicationis cum alijs ciuibus. n. 2.

Qui per momentum temporis habitat in aliqua parochia, si habeat necessitatem Sacramentorum, administranda sunt à Parocho loci in quo nunc inuenitur. Quod verum est etiam de Sacramento matrimonij. n. 3.

Relegati ad certum locum pro tempore ad arbitrium Iudicis, si velint contrahere matrimonium, tenentur contrahere coram Parocho loci relegationis. n. 4.

Princeps potest punire peregrinum delinquentem in leges municipales. n. 5.

Leges non obligant, nisi sint in ordine ad bonum commune. n. 6.

Peregrini tenētur ad leges loci quà transeunt, si leges ille vigent in propria patria. n. 7.

Conuenientissimum est reipublicę, vt omnes qui simul commorantur, se conforment legibus, & consuetudinibus loci in quo commorantur. n. 8.

Peregrinus qui deliquit contra ius naturale, potest puniri à Iudice loci in quo deliquit. nu. 9.

Nemo fit subditus alteri quoad inquisitionem, nisi ratione originis, domicilij, & delicti, secus verò dicendum est in ordine ad obligationem legis. n. 10.

Qui statim obijt, quasi non natus reputatur post quam obijt, non verò dum viuit; Sicut qui triduo habitum regularem induit, quasi non induisse dicitur post spoliationem, non verò dum habitum gestat. n. 11.

Potest Episcopus dispensare in votis peregrinorum transeuntium per suum Episcopatum, & etiam illos coniungere in matrimonium. n. 12.

Peregrinus græcus tenetur cōsecrare in fermentato in Ecclesia latina, & latinus in azimis in Ecclesia Græca. n. 12.

Peregrinus græcus dicitur peregrinari à patria non verò à ritu, & traditione suæ Ecclesiæ. n. 13.

Si à Rege legaretur Ciuitas alicui, in hoc legato non includerentur peregrini illius Ciuitatis, quia hi per accidens sunt in Ciuitate illa. n. 14.

Consuetudo, & consensus communis regionum semper sunt attendenda, secus verò in ijs, quæ ad fidem spectant, & præiudicium Ecclesiæ inferunt. n. 15.

Peregrini possunt absolui à casibus in propria patria reseruatis, si in loco quà transeunt reseruata non sint. n. 16.

Quod verum est etiam si in fraudem peregrinantur, nempè ad hoc vt absoluantur extra suā patriā à talibus casibus reseruatis. n. 17.

Peregrini vltramontani si matrimonium contrahunt in partibus vbi Concilium Trid. est acceptatum, tenentur contrahere coram Parocho, & testibus: citramontani verò in partibus vltramontanis possunt clandestinè contrahere. nu. 18.

Quod verum est etiam, si citramontani peregrinantur in fraudem. n. 19.

Forenses qui deducunt vxores prægnantes Neapolim ad pariendum, vt filij nascituri gaudeant priuilegijs Neapolitanorum, non peccant. n. 20.

Iudex huius loci non potest punire peregrinos in alia ditione delinquentes. n. 21.

Digitized by Google

RESOLVTIO. LXIV.

An Peregrini teneantur Legibus Populi, quà transeunt?

1 LOquimur hic de Peregrinis, vt talibus formaliter, nō verò de Peregrinis, qui animum habendi permanendi, vel semper, vel per maiorem partem anni in aliqua Ciuitate.

Respondeo teneri si tempore, quo moram faciunt in eo loco occurrat tēpus obligationis adimplendi præceptum. Ita Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. nu. 3. Less. lib. 2. de Iust. cap. 2. dub. 7. nu. 50. Sà verb. Ieiunium nu. 1. Henríquez lib. 7. de indulgentijs cap. 13. num. 8. Basilius Pontius lib. 5. cap. 13. Probo primò, quia ad hoc vt aliquis dicatur perpetuò compars huius communitatis, secundum Aduersarios, requiritur, vt habeat animum perpetuò permanendi, & de facto habitet, ergo ad hoc vt aliquis dicatur compars ad tempus, sufficit quod habeat animum per aliquod tempus permanendi, & de facto habitet, ergo ad hoc vt per horam, vel minus dicatus compars huius communitatis, sufficit si per horam, vel minus habeat animum permanendi, & de facto permaneat, sed corpus huius communitatis tenetur ad leges, ergo etiam pars, ergo si per horam es pars, & satisfactio legis vrget, teneris ad obseruantiam illius: dissonum enim est, partem non conformaris toti. cap. ex illa dist. 12. quod est D. Augustini, vbi admonetur, vt vnusquisq; se conformet legibus, & consuetudinibus loci, ad quem accedit.

Dices, quod hic non dicitur Ciuis, nisi habeat domicilium, vel quasi in hac Ciuitate, ergo non tenetur dum transit.

Respondeo concedo antecedens, & nego consequentiam: Nam non dico quod per habitationem per horam fiat Ciuis, sed tantum dico quod sit compars huius communitatis. Nam compars fit per communicationem sensibilem: quando ergo communicat visibiliter cum Ciuibus, tunc dicitur pars illius corporis, cum quo communicat.

2 Confirmatur primò. Nam Aduersarij, & præsertim Sanchez, fatētur, quod si quis habeat animum permanendi perpetuò, vel per maiorem partem anni in aliqua ciuitate, tenetur ad leges à prima hora, sed non potest dici, quod teneatur ratione animi permanendi, sed qa p horā communicat, ergo, &c. ratio n. subijciens hunc legibus huius ciuitatis, non potest esse animus, quia animus nunquam inducit subiectionem, vt aliàs dixi, & patet, quia si quis habeat animum, & non communicet, cum ciuibus, seù sit extra suā ciuitatē, verè non subditur legibus huius ciuitatis, vt etiam Aduersarij fatentur, & versa vice si non habeat animum permanēdi per maiorem partem anni, & de facto permaneat per integrum annum, vt qui e.g. credit statim se expedire ab aliquo negotio, & redire ad propriam domum, & postea non se expedit nisi per annum, hic est subditus legibus illius communitatis, ergo non animus: sed communicatio actualis est ratio subijciens talem legibus huius ciuitatis, sed qui transit, etiam communicat per aliquod tempus cum ciuibus, ergo tenetur ad leges saltem per illud tempus, dum transit.

3 Confirmatur secundò, quia si quis per momentum temporis habitet in aliqua Parochia, & necessitas vrgeat recipiendi Sacramenta, sit Parochianus illius Parochiæ, in qua inuenitur per illud momentum temporis, & Parochus illius loci in quo inuenitur tenetur Sacramenta ministrare, etiam matrimonij, vt communiter omnes, & de matrimonio adsunt declarationes Cardinalium, vt videre est apud Farinacium in nouissimis ad sess. 24. Conc. Tridentini cap. 1. nu. 2. verba quarum hæc sunt. Proprius Parochus est in cuius Parochia contrahentes habitant tem-

Digitized by Google

tempore quo matrimonium contrahitur,&c.& n.4.Quãdo matrimonium contrahitur inter duos alienigenas,& à paruo tempore in aliquo loco habitantes,qui tamen sint cogniti,& non sint comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius Parochia habitant tempore, quo matrimonium contrahunt.& eadem sess.cap.7.nu.2. eadem declaratio habetur;de qua re vide Basilium de matrimonio lib.5.c.13.nu.5. ergo & si peregrinus sit per paruum tempus in aliqua communitate, videtur quod sit pars illius communitatis; sicut est Parochianus qui per paruum tempus in Parochia versatur.

4 Confirmatur tertiò, nam relegatus ad certum locum pro tempore ad arbitrium Iudicis mensurando, debet matrimonium contrahere coram Parocho loci,in quo relegatur. Ità decisum fuit à Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Sacri Cõcilij Tridentini Interpretum die 26.Iunij 1621. teste Barbosa de potestate Episcopi par.2.allegatione 32. nu.63. ex hac tantum ratione, quia sufficit presentia Parochi habitationis, ergo habitatio,vt sic sine animo Parochianum facit, & consequenter de corpore huius Parochię, ergo tenetur ad leges illius Parochiæ.

5 Probo secundò præcipuè, quod peregrinus teneatur ad leges Municipales. Potest Princeps punire peregrinũ delinquentem contra leges Municipales,vt etiam Aduersarij fatentur, ergo peregrinus est subditus legibus loci, per quem transit, ex cap.finali de foro competenti,cap.postulasti eodem titulo,cap.si peccauerit 1. quæst.1. c.placuit 6.q.3.

Dices,quod hic fit subditus ratione delicti,non quia teneatur ad leges.

Sed cõtra est,nã vel hic peregrinus fit subditus ante patrarum delictũ, vel post patratum delictum: si ante, ergo non ratione delicti,quia delictum iam patratum non est, sed quia tenebatur ad leges:vel post patratum delictum, & contra est.Nam cùm hic non tenetur ad leges municipales, vt supponunt aduersarij, neque delictum commisit,delictum enim supponit obligationem,& cum peregrinus obligationem non habeat seruandi leges municipales,neq;delictũ cõmisit,si ergo delictũ non cõmisit, qñ ergo fit subditus rõne delicti?dicendũ igitur est q̃ prius erat subditus legibus ciuitatis, & deliquit contrafaciendo,& ideo puniri potest.

6 Probatur tertiò à Basilio Pontio ad hominem contra Sanchez lib.3. de matr.disp.18.num.4. & lib.1. in decal. cap.12. numer.38. quia Sanchez dixit quod quando transgressio legis tendit in damnum Reipublicæ,seù Populi statuentis, tunc peregrini tenentur: sed leges non obligant nisi sint in ordine ad bonum commune, ergo semper tenentur peregrini illas seruare, quia semper sunt in ordine ad bonũ commune, & eorum transgressio damnificat Rempublicam statuentem.

7 Confirmatur ab eodem auctore cõtra eundem Sanchez suprà n.15.quia, inquit Sanchez,quod peregrini tenentur ad leges loci,per quem transeunt, si leges illę vigent in propria Patria, sed peregrinus non tenetur ad tales leges ex vi legis propriæ Patriç,quia ad leges Patriæ non tenetur dum est extra illam,ergo tenetur ex vi legum loci per quem transit.

8 Probatur quartò à Ferdinando à Castropalao tract.3.disp.1.punct.24.§.3.n.11. vers. ratio præcipua est,&c. his præcisis verbis, quia conformari consuetudinibus, & legibus loci omnes, qui ibi residen,dum præsentes sunt,& commorantur, conuenientissimum est, & rectæ gubernationi,paci,& tranquillitati Reipublicę maximè necessarium: vt colligitur ex Augustino cap.quisquis dist.41. cap. in noua 16. quæst.7. cap.illa dist.12. cap. quæ contra dist.8. ergo debemus agnoscere esse aliquem in rerum natura,qui omnibus obliga-

Digitized by Google

tionem inducat ad seruandum hanc vniformitatem; sed nullus alius potest esse aptior præter gubernatorem illius loci, ergo Gubernator illius loci ex iure ipso naturali, vel gentium potestatem habet obligandi omnes in suo territorio existentes, dum ibi existunt,

9 Confirmo, quia si ibi peregrinus delinquat contra ius naturale omnes cõuenium puniri à Superiore illius loci posse: sed hoc nulla alia ratione contingit, nisi quia ad rectam Reipublicæ gubernationem conuenit, vt vbi quis commisit delictum, ibi puniatur, & malum exemplum punitione reparetur: sed æquè ad rectam gubernationem conuenit nè mala exempla prębeantur, neuè alijs occasio transgrediendi leges præbeatur, ergo iustum est quẽlibet obligari, & se legibus illius loci conformare. Hæc à Castro.

Dices primò, quod nullus fit alteri subiectus, vt obligari, & puniri possit, nisi ratione originis, domicilij, vel delicti, vt omnes communiter Doctores, & colligitur ex l. 1. C. vbi de crimine agi oportet, & ex cap. vltimo de foro competenti, sed domicilium, vel quasi non acquiritur si per minorem partem anni alicubi commoretur, ergo, &c.

10 Respondetur, quod nullus fit alteri subditus, nisi ratione originis, &c. verũ est si loquamur in ordine ad inquisitionẽ. Nẽpe, quod Iudex nõ potest inquirere contra delinquentem extra territorium, v.g. nisi ratione originis, vel domicilij: vel intrà territorium ratione delicti, & sic non potest Iudex inquirere contra Peregrinum delinquentem extrà suam iurisdictionem. Nam ibi innocens omninò est sub tali Principe: modò regna nõ sint sub eodẽ Principe; quia tũc videtur offensũ mẽbrũ eiusdẽ capitis, & sic potest publicã vindictam sumere quilibet Iudex de tali capite, vide Carneual de iudicijs li. 1. t. 1. disp. 2. q. 7. sect. 2. à n. 735. & 840. & 844. At si loquamur quoad obligationẽ legis, q. si non teneantur ad leges, nisi originarij, delinquentes, & domicilium habentes, hoc falsissimum est, & maximè si loquamur de legibus municipalibus; nam nunquam peregrinus fieret subditus quoad leges municipales, etiam si delinqueret contrà illas, quia cum per aduersarios non tenerentur ad leges, nunquam daretur transgressio; quomodo enim transgredi potest, quod obseruari non debet? sicut infidelis non dicitur transgredi leges Ecclesiasticas si contrafacit, quia non tenetur illas obseruare; Nec puer antè septennium, &c. cum ergo peregrinus non habeat domicilium, nec originem à loco, per quem transit, non teneretur ad leges municipales, & si tales leges municipales non obseruaret, non fieret subditus per tale delictum, quia hoc delictum dici non potest, cum non præcesserit obligatio.

Addo quod si hoc argumentum procederet de obligatione legis, non magis vrgeret contrà nos, quam contra aduersarios, qui dicunt peregrinos teneri ad leges quando hæ respiciunt bonũ cõe, vel qñ æquanimiter obligãt in loco peregrinationis, ac domicilij, tunc n. peregrini nõ essẽt subditi rãne delicti, nõ rãne domicilij, nec originis, ergo simpliciter non essent subditi, vt optimè à Castropalao supra n. 17.

Dices secundò ex Sanchez, qui trãsit, vel qui breui tempore diuertit ad locum suum, dicitur moraliter in eo non esse, sic statim obiens quasi non natus reputatur cap. Nam, & ego de verborum significatione, & qui triduo tantum fuit habitu regulari indutus non dicitur habitum induisse, cap. ad vestram de regularibus, ergo peregrinus censetur nõ esse in loco, quà trãsit.

11 Respondeo concedo antecedens, & nego consequentiam, nam qui statim obijt quasi non natus reputatur, postquam obijt, non verò dum viuit, & qui triduo habitum induit quasi nõ induisse dicitur postquam expoliauit se habitu, non verò illo triduo, dum habitum gestat, sic peregrinus postquã transiuit per aliquam Ciuitatem videtur

Digitized by Google

tur moraliter non transisse, & sic amplius non teneatur ad leges loci, per quem transit, sed non dum transit, nam dum transit, est pars, quę transibit illius communitatis, & ideò transeunter tenetur, sicut tenetur ille monachus ad obseruantiam legum monachorum illo triduo, quo habitum gestat, & si aliqua gabella poneretur ad filios nascituros, si filius nascitur, gabellam soluere teneretur, & si statim obiret, vide Pontium li.5.c.6.n.3.per totũ pag.374

Vel dic cum Basilio l.c.num.28.& à Castropalao cap.17.vers.ad sextam, ex Suarez, quod dicitur non esse qui parum durat per quandam metaphoram, & improprietatem, nam Põtifex vnius dici verè Pontifex est, & inter Pontifices numeratur, & si possit reputari per metaphoram quandam, ac si non fuisset, cum autem in præsenti non de metaphora, aut improprietate, sed de veritate sermo sit, an scilicet legibus loci teneatur qui verè in loco existit, dum ibi permanet, non debemus ad metaphoram recurrere.

Dices tertiò, non potest Episcopus loci, quà transis te in matrimoniũ coniungere, neque ex Sanchez in votis dispensare, nequè alios fauores cõferre præter Sacramentũ pœnitẽtiæ, & Eucharistię, ex tacita tui Episcopi cõcessione, ergo neq; suis legibus te obligare.

12 Respondeo breuiter cum Basilio li.5.cap.13.nu.4. quod Episcopus potest in matrimoniũ cõiungere peregrinos, & in eorum votis dispensare. Addo 2 non bene infertur argumẽtum ab vna potestate ad aliam: sicut & si quis habeat animum, & de facto permaneat per maiorem anni partem in aliquo loco, Episcopus illius loci non potest illum ordinare, ergo neq; potest legibus obligare, etiam si leges respiciant bonum commune; vtiq; negatur Consequentia etiam ab aduersarijs, nam non licet inferre ex vna potestate ad aliam, vt rectè Ferdinãdus suprà n.17. vers.ad secundum. Nam potestas obligandi legibus oritur ex bono Reipublicæ, in quâ peregrinus moratur, quod bonum cum sit etiã si breuissimo tempore ibi existat, tribuit potestatem: At potestas ordinandi respicit bonum illius, qui ordinandus est; non enim est mirum si remittetur ad proprium pastorem, & denegetur facultas ei, qui ex accidenti solum proprius pastor est.

Dices quartò ex Sãchez, quod adest decretũ Leonis VIII, vulgo IX, in epistola aduersus Michaelem Imperatorem Constantinopolit.cap.28. vbi statuit, vt vnusquisq; iuxtà ritum suę Ecclesiæ celebret, ergo non teneris loci consuetudinibus te conformare.

13 Respondeo cum Gabriele Vasquez tom.3.in 3.par.q.74.artic.4.disp.175. cap.3.num.27. vers. ego vero, &c. pag. mihi 62. his præcisis verbis. Ego verò aliter censeo, neq; de omnibus eodem modo dicendum arbitror. Ad primum quidem de peregrinis, vel de ijs, qui alicuius negotij gratia solum alicubi habitant, dico debere eos seruare morem Ecclesiæ suæ. Ità vt peregrinus Græcus in Ecclesia Latina in fermento, latinus autem in Græca in azymo consecrare debeat; Non quia non existimem in vniuersum verum Peregrinos, & alienigenas alicubi habitantes solius negotij gratia, seruare debere consuetudines, & leges Ciuitatis, nam re vera talibus legibus obligantur, neque oppositum aliquam speciem probabilitatis habere puto, sed quia hæc consuetudo ità est à Sede Apostolica, vt quilibet antiquam traditionem suæ propriæ Ecclesiæ vbiq; obseruare debeat, Ecclesia autem propria alicuius censetur non illa, in quâ est peregrinus, aut aduena, sed ea, ad quam rediturus est, &c. Hac etiam ratione Leo nonus in illa 1.epistola cap.29. reprehendit Græcos, quod non paterentur in suis terris Ecclesias, & Monasteria, in quibus Latini in azymo consecrarent, contra verò ipse testatur inter Latinos, immò etiam in ipsa Vrbe Romæ complura monasteria, & Ecclesias Græcorum esse, in quibus permittuntur

Digitized by Google

tur in fermẽtato confecrare. Hęc Vasq.

Quibus, addo, quod peregrinus græcus non dicitur peregrinus respectu Ecclesiæ propriæ, sed respectu Patriæ, sicut fidelis inter Turcas non dicitur peregrinari à propria fide, sic nec græcus à propria Ecclesia. Grecus enim, qui peregrinatur à propria patria, semper est pars Ecclesiæ græcæ, & nunquam fit pars Ecclesiæ Latinæ, neque per momentum temporis, quia semper communicat cum propria Ecclesia Græca, & si longè fit à patria Græca. Ecclesia enim est congregatio fidelium non corpore, sed mente, & Spiritu, absentia enim nihil operatur ad hoc, vt quis sit de corpore, seu de congregatione fidelium. Alioqui sequeretur, quod possent etiam peregrini Latini vnicam, & virginem ducere, & postea in terris Græcorum Sacerdotium accipere. Vnde non potest dari peregrinatio à propria Ecclesia, quia & si Grecus longe fit à patria, non tamen longe est ab Ecclesia, quia eandem fidem, easdem traditiones antiquas, mentem, & spiritum habet. Nec quia peregrinatur inter Latinos fit de Ecclesia Latina, nam non sufficit, quod sit in territorio Latinorum ad hoc, vt sit de Ecclesia, sicut sufficit quod sit in hac Ciuitate ad hoc, vt quis dicatur pars huius Ciuitatis, &c. Fundatur enim in traditione antiqua propriæ Ecclesiæ, quod quis sit de hac, vel de illa Ecclesia, & ideo Leo VIII. reprehendebat Græcos, qui nolebant, vt Latini sacrificarent in azymis in terris Grecorum. Nec dicas, quod peregrinantur à ritu, & si non à traditione; Quia ritus fundatur in traditione: q si non peregrinatur à traditione, nec dici potest à ritu, quum hic pendeat ab illa, & ideo non est audiendus Texeda lib. 1. tract. 2. controu. 18. dub. 1. oppositum sentiens.

Dices quintò quod in l. quæsitum 76. §. finali ff. de legatis 3. hæc habes. Rebus quæ in fundo sunt legatis, non accedunt quæ casu illic fuerunt. & l. si ità 86. ff. eodem. Nec quod casu ibi sit magis esse legatum. Ergo sic à pari videtur peregrinus non esse in Ciuitate, quia casu ibi est.

14 Respõdeo, quod ex hoc argumento nihil aliud sequitur, nisi quod si legaretur à Rege Ciuitas aliqua alicui, non intelligerentur legati peregrini, quia sunt in Ciuitate per modum transeuntis, seu p accidẽs; & hoc vltrò cõcedo. Sed q nõ teneatur ad leges Ciuitatis, dum sunt in illa, hoc adhuc probatum non est: non enim ex eò quod aliquis habet dominium alicuius rei, debet illud habere omnium illarum rerum, quę ibi existunt. At vbicunq; aliquis existit debet iurisdictioni illius loci subijci, quia hoc spectat ad rectam gubernationem Reipublicę, &c.

Dices 6. ex cap. illa dist. 12. quod est D. Augustini epist. 118. cap. 9. epist. 119. cap. 18. his verbis, Alia quæ per loca terrarum regionesq; variantur, sicut est quod alij ieiunant Sabbato, alij non, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, vbi gl. liberas ait esse eas obseruationes, quãtũ ad extraneos, non vero quantum ad alios, vbi talis consuetudo obseruata est.

15 Respondet Pontius l. c. num. 26. his verbis. Valde aberrat Glossa ab Augustini mente. Dicit enim Augustinus in eiusmodi rebus obseruationes esse liberas, non quod vbi iam vigent, non teneantur incolæ simul, & peregrini, sed quia sine præiudicio aliquo fidei Catolicæ in his esse varietas potest, cũ tamẽ in illis, q ad fidẽ pertinent, sũma debeat esse consensio, nec sit libertas variãdi p regionũ recepta cõsuetudine, aut cõsensu, &c. Hæc Pontius ibi.

16 Hinc collige primò posse peregrinos absolui à casibus reseruatis in propria Ciuitate à Confessarijs locorum quà transeunt, dummodo ibi reseruata non sint. Quia tunc proprius Pãrochus seu Sacerdos est ille cui dum peregrinantur confitentur, nam est pars illius communitatis dum ibi est. Ità Pontius supra cap. 9. nu. 6. Quod si tanquam delegatus velimus dicere quod possit,

Digitized by Google

possit, ex hac potissimum ratione probatur veritas huius conclusionis. Nam quod Cõfessarius vnius diœcesis possit absoluere subditum alterius diœcesis, prouenit ex tacito consensu Episcoporum totius ecclesiæ, qui ratum habent, vt alius Episcopus absoluat proprios subditos, & versa vice iste habet tacitum consensum absoluendi subditos alterius Episcopi: Episcopi verò ex hac tacita voluntate communicant potestatem Confessarijs ab ipsis approbatis circà subditos alterius Episcopi, & ex hac delegatione prouenit, quod Confessarius e.g. Neap. possit absoluere subditum Capuanum hic Neapoli. Hinc fit quod Episcopus Capuanus ità videtur approbare Confessarium Neapol. circà proprios subditos, sicut approbauit Episcopus Neapolit. At Episcopus Neapolitanus nullam posuit limitationem in commissione delegata circa subditos ergo potest Confessarius Neapolitanus absoluere Capuanum a casibus Capuæ reseruatis, ex tacita facultate Episcopi Capuani tributa Episcopo Neapolitano, & expressa potestate tributa ab Episcopo Neapolitano ipsi Confessario Neapolitano.

Nec potest vnus Episcopus derogare huic communi consensui totius ecclesiæ, quia non potest inferior derogare legi superioris, consuetudo enim & tacitus consensus omnium Episcoporum totius ecclesiæ superior est voluntati vnius Episcopi.

Et hoc verum est etiam si peregrinus in fraudem peregrinetur, nempè ad hoc vt absoluatur à casibus in propria diœcesi reseruatis, nam vtitur iure sibi concesso tempore peregrinationis, nempe loci quà transit, confitendi cui voluerit, Sicut etiã propriusſacerdos ipsius peregrini. Ità à Castropalao supra §. 5. num. 4. in fine. Pontius lib. 5. cap. 9. nu. 6. Diana 3. par. tract. 6. reso. 28.

Collige secundò, quod si vltramontani peregrinantur in partes, vbi Concilium Tridentinum viget, penitus cõtrahere coram Parocho, & testibus, tum quia peregrini tenentur legibus quà transeunt, vt Basilius supra nu. 1. tum quia matrimonium est contractus, & in contrahendo tenentur peregrini seruare leges loci, quà transeunt, vt optimè Thomas Sanchez. Quod si citramontani peregrinentur in partes vltramontanas possunt clandestinè cõtrahere, seu contrahere non seruata forma Concilij Tridentini ex iisdem rationibus. Basilius supra nu. 2. Sanch. supra, nu. 28.

Dices ex Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 3. nu. 8. quia ille iam contraxit obligationem seruandi Tridentinum; ergo quò cumque proficiscatur secum defert eandem obligationem, maximè cum Cõcilium inhabiles reddat personas ad sic contrahendum, inhabilitas enim semper comitatur personas, sicut consanguinitas.

Sed contrà est primò, nam si argumentum procederet, sequeretur quod omnes peregrini tenerentur legibus iuris communis in quouis loco, etiam si in loco, in quo peregrinantur non seruẽtur, vt erat comedere carnes feria quinta quadragesimę Mediolani, quod etiam aduersarij negant.

Contrà est secundò, nam illa obligatio affixa est territorio tantum, in quo promulgatum est Concilium Tridentinum, vt ibidem decernitur, & nõ in alio loco. & cũ hæc lex inhabilitatẽ inducat, ibi homines inhabilitat, vbi est affixa. Nec valet paritas de consanguinitate, nam consanguinitas fundatur in sanguine, qui vbicunque idem est. At obligatio huius legis fundatur in promulgatione, & vbi promulgata non est vim non habet. Hæc Pontius supra nu. 3.

19 Et hoc verum est etiam si in fraudẽ concilij hoc fiat, vt optimè Sanchez supra num. 29. tum quia contractus non læditur ex bona, vel mala intentione. mala enim intentio permanet in affectu, nec transit in contractum exteriorem. tum quia quando quis vtitur iure

suo

suo nõ dicitur dolo malo facere, l. nullus videtur, ff. de regulis iuris: Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur l. 3. §. is tamen ff. de libero homine exhibendo: Dolo malo non videtur agere, qui iure suo vtitur. l. cum creditor 55. ff. de furtis. Cum creditor rem sibi pignoratam aufert, &c. nõ videtur contrectare, sed pignori suo incumbere; vide glos. in dict. l. 3. sed iste vtitur iure suo; neq; fraus illicita est, vel dolus malus, quia non est prohibitum ibò proficisci, vbi liceat sine testibus, & Parocho contrahere, ergo, &c. ità Pontius supra n. 4.

20 Ex quo deducitur, quod quando forenses deducũt vxores prægnates Neapolim tempore partus ad pariendum, vt filij nasciturj gaudeant priuilegijs Neapolitanorum, non peccant, quia vtuntur iure ipsorum, & non fraudant legem; sicut quia statutum est ne Salamanticæ natus obtineat priuilegium Salmaticense: si fœmina aliqua in fraudem legis egrederetur Salamanica partus tempore, in loco vicino pariturа, iure suo vti diceretur, vt optimè Basilius supra.

Colligit deindè Basilius supra n. 27. quod si delinquens aufugiat post cõmissum delictum extrà territorium, potest Iudex illius territorij (etiam si delinquens subditus non sit ratione originis, vel domicilij) ipsum punire; tum quia est iam subditus loci, quà transit, & re vera delinquens est, & reus pœnæ. Quod etiam habet locum in Regnis confœderatis, tum quia alias daremus sæpissimè delicta impunita manere (hæc sunt verba Pontij) q̃ abhorrent iura. Quare me Iudice non tantùm extraordinaria pœna, sed etiam ordinaria puniri potest à Iudice loci, in quo comprehenditur. Hæc Basilius.

21 At immeritò sic discurrit Auctor per aliud acutissimus; Nam talis reus prout est subditus tali Iudici est formaliter innocens, & sic puniri non potest (loquor maximè in Regnis non subordinatis vni, eidemq; Principi) Nam nullo modo offendit, nec partem quidem huius communitatis, & sic formaliter innocẽs est respectu huius Iudicis Peregrinus enim non fuit subditus Iudici loci, quà transit, sed est nunc subditus, ergo sin nunc Iudex potest iudicare; sed secundum nunc est formaliter innocens, ergo secundum reus nunc condemnari non potest.

Cõfirmatur, nam si hoc esset sequeretur, quod Christiani captiui, qui inter Turchas degunt, & aliqua peccata ibi committunt, possent statim, ac sunt inter Christianos à Iudice talis loci puniri, q̃ nemo iuridicè dicere põt. Nec delicta dicuntur impunita, nam vt supra dixi, etiam delicta occulta remanẽt impunita per accidens, & tamen absurdum non est, vide Carleual loco supra cit.

SVMMARIVM.

Secundum Vasquez ppnam, qua nullam habet exequutionem tenetur reus luere ante sententiam, & oppositum dicere existimatur improbabile. nu. 1.

Adulter non potest contrahere matrimonium cum adultera, cui promisit matrimonium viuente viro, vel si occiderunt coniugem ad finem contrahendi. n. 2.

Prodigus sub curatore constitutus inhabilis est ad contrahendum de suis bonis. n. 3.

Inhabilitas ad contrahendum matrimonium ratione criminis, & si sit à crimine, sicut est ab errore, ab honestate, &c. tamen non est in pœnam criminis. nu. 4.

Impedimenta dirimentia matrimonium sunt apposita ab bonum publicum. eod. nu. sicut solemnitates contractuum. n. 5.

Impedimenta matrimonij non sunt pœnæ statutæ, sed leges latæ circa contractum. eod. n.

Adulter, qui seminat extra vas, vel in vase præpostero, & si promittat adulterę, ipsam in vxorem ducere, nullum impedimentum contrahit. n. 6.

Si adultera promissionem adulteri de futuro matrimonio non acceptet, non contrahitur impedimentum criminis. Sic etiam si credit virum esse impotentem, & si adulter sciat

Digitized by Google

sciat illum viuere, si promissionem acceptet, neque impedimentum contrahit. n. 7.

Si vnus ex adulteris non repromittat alteri secundùm Henriquez non incurritur impedimentum criminis, etiam si talis promissionem ratam habeat. eod. num.

Si adulteri interficiunt virum non ad finem contrahendi matrimonium, nullum contrahunt impedimentum. num. 8.

Qui propriam occidit vxorem ad finem contrahendi matrimonium cum alia incerta, potest etiam cum sua adultera contrahere. num. 9.

Pœna est infligenda in vindictam legis, & nemo contra seipsum tenetur vindicare, sicut neque prodere propriã culpã. n. 10.

Curatores dantur, vt saluentur patrimoniũ, corpus, salus, & mores, & ideò potius dantur ob beneficiũ prodigi, quã in pœnã. n. 11.

Pœna est delicti, seu delictorum satisfactio, quæ à lege, vel à ministro legis imponitur. num. 12.

Prodigalitas pecuniæ ex genere suo non est peccatum mortale. num. 13.

Reus non tenetur ad pœnam priuatiuam ante sententiam Iudicis. n. 14.

Nemo tenetur respondere Iudici interroganti de delicto prorsus occulto, maximè si interrogatio tendat ad pœnam. n. 15.

Interrogatio Iudicis de delicto omninò occulto est interrogatio iniusta, & consequẽter est iniusta punitio delicti omnino occulti. num. 16.

Nemo tenetur prodere seipsum. num. 17.

Nemo puniri potest pro delicto, super quo non laborat infamia. num. 18.

Ad pœnam positiuam ideò nemo tenetur ante sententiam, quia nemo tenetur sibi ipsi inferre damnum, quæ ratio procedit etiã in pœna negatiua. num. 19.

Non potest Pontifex præcipere, vt quis reuelet proprium delictum occultum absolutè, sed potest sub disiunctione, aut scilicet se reuelet, aut incidat in excommunicationem, non quia se non reuelauit, sed quia facinus commisit. num. 20.

Incestuosus secundùm Simancam in foro cõscientiæ non amittit ius petendi debitum, nisi post sententiam. num. 21.

Amittere ius petendi ratione incestus non est pœna, sed consurgit à reuerentia debita illi, cum qua adulter factus est vna caro. num. 22.

Incestuosus si non seminat in vase naturali, non amittit ius petendi. Nec qui cognoscit filiam spiritualem vxoris, & si incestum spiritualem committat. num. 23.

Impedimentum petendi debitum non tam oritur ex incestu, quam ex affinitate ab incestu orta. eod. num.

Qui ignoranter, vel per vim incestum admittit, & si affinitatem contrahit, tamen ex indulgentia iuris ius petendi debitum non amittit. num. 24.

Qui proprium filium baptizat, siue malitiosè, siue ex necessitate, & si affinitatem spiritualem contrahat, tamen ex indulgentia iuris ius petendi debitum nõ amittit. num. 25.

Qui propriam cognouit filiastram, non potest amplius vxorem ducere, sicut nec potest filiastra nubere. num. 26.

Vxor illius, qui sororem ipsiusmet vxoris cognouit, monenda est, vt maneat in castitate vsque ad mortem viri. num. 27.

Qui ignoranter, vel malitiosè filium baptizat, non est separandus à propria vxore, nec debitum petendi amittit, nisi posset cum vxore induci ad continentiam seruandam. num. 28.

Hæreticus ante sententiam declaratoriã criminis nullum ius amittit in proprijs bonis, & ideò potest de illis disponere, ac si bona confiscata non essent. num. 29.

Qui bona sua confiscata alienat, nõ peccat. num. 30. & 33.

Alienatio bonorum valida, sed per sententiã irritanda, differt ab alienatione irrita ipso facto, nam prima, si sententia non sequatur, facit vt qui possidet per talem contractum sit tutus in conscientia, & faciat fructus suos, etiam si conscius sit delicti alienantis; secunda verò alienatio non facit, vt possidens sit tutus in conscientia, nec potest facere fructus suos etiam ante sententiam. eod. num.

Filius hæretici conscius delicti patris accipere potest hæreditatem, siue ex testamento, siue ab intestato. num. 31.

Bona hæretici Germaniæ, & aliorum locorũ

Digitized by Google

sunt à die commissi criminis confiscata, sicut bona illius, qui commisit crimen nefandum in Regno Hyspaniæ. num. 32.

Quando verba legis tendunt potius ad actū, quam ad personam, tūc & si actus sit nullus, non tamen peccat, qui contrafacit; sic qui testamentum condidit sine solemnitatibus testamentum est nullum, & si testator non peccauit. num. 33.

Bona acquisita per vsuram, etiam si ignoretur dominus semper sunt restituenda Ecclesiæ, vel pauperibus, quia sunt acquisita per delictum contra ius naturale, secus dicendum est probabiliter de acquisitis bona fide. n. 34.

Qui habet vnum Prioratum, vel vnum beneficium curatum non potest habere alterum, tum ex tacita conuentione cum Ecclesia, tum etiam ad hoc, vt non fraudetur Ecclesia in suis ministeriis, & ideò si alterum beneficium curatum obtineat, hoc vacat ipso facto. n. 35.

Ratio pœnæ petit, vt delinquens priuetur re acquisita, vnde si quis priuetur re acquirenda per gratiam, priuatur ratione conditionis non adimpletæ, non verò in pœnam. num. 36.

Simoniacus non tenetur beneficia prius ritè obtenta resignare, sed potest tuta conscientia retinere, & eorum fructus exigere vsque ad sententiam declaratoriam culpæ. num. 37.

Inhabilitas ad beneficia non est pœna, sed potiùs defectus conditionis prærequisitæ à iure. eod. num.

Beneficiati, qui habent alia onera spiritualia præter officium diuinum, si horas diuinas non recitant, non tenentur ad restitutionem de omnibus fructibus, sed possunt sibi retinere iuxta onerum proportionem. num. 38.

Imò secundùm Henriquez etiam simplex beneficiatus, qui omittit officium diuinum, potest minus, quā Canonicus, et Parochus retinere de fructibus beneficij. eod. num.

Grossam à canonico acquisitā, etiā si officium diuinum non recitat, nō tenetur restituere. num. 39.

Excommunicatio non requirit actionem hominis positiuam, nec negatiuam, & ideò incurritur ante sententiam. num. 40.

Quando excommunicatus priuatur aliqua iurisdictione, non tenetur se abstinere ab exercitio illius, nisi post sententiam excōmunicationis. num. 41.

Iudex excommunicatus, sed non per sententiam potest alios excommunicare, potest etiam requisitus Sacramenta ministrare sine vlla necessitate, & celebrare etiam si non sit Pastor, & detur copia ministrorum. eod. num.

Parochus excommunicatus potest matrimonio assistere, & si sit denunciatus, & matrimonium est validum, & hic Parochus non peccat mortaliter. num. 42.

Excommunicati ante sententiam possunt sepeliri in Ecclesia, & qui tales sepeliunt, nullam incurrunt censuram. n. 43.

Hæretici notorij nondum denunciati possunt sepeliri in Ecclesia, nec locus sacer violatur per talem sepelitionem. n. 44.

Resignatio beneficij facta ab excommunicato tolerato, vel ab alio ipsi excommunicato tolerato valet. n. 45.

Sicut acta Iudicis excommunicati tolerati valent. eod. num.

Iudicem excommunicatum toleratum exercētem suam iurisdictionem peccare mortaliter putat Coninck, venialiter tantum putat Caietanus. eod. num.

Tabellio excommunicatus toleratus facit actus validos: & si suum officium rogatus exerceat, nullam committit culpam, secus si se ingerat. num. 46.

Licitum est communicare cum excommunicato tolerato, ac si excommunicatus non esset, & ideò sine vlla necesitate, & sine maiori vtilitate possumus ab eo Sacramenta petere. eod. num.

Publicus percussor clerici non est vitandus vsque ad sententiam declaratoriam Iudicis, quod ille nullo remedio iuris excusari possit. num. 47.

Suspensio duplex, ab officio, scilicet & à beneficio. Suspensus ab officio illicitè, & si valide exercet suum officium ante sententiam: suspensus verò à beneficio facit fructus suos, & exercere potest omnia iura vsque ad sententiam declaratoriam Iudicis. n. 48.

Con-

Digitized by Google

Confessarius suspensus, sed non nominatim denunciatus, si absoluit, valide absoluit. num.49.

Collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto valet.n.50.

Qui tempore suspensionis, vel interdicti beneficium obtinuit ablata suspensione potest illud retinere.eod.num.

Leges pœnales, quæ priuant ipso facto voce actiua, & passiua, non obligant, nisi post sententiam.n.51.

Examinatores synodales, qui aliquid accipiunt ab examinandis, non tenẽtur beneficia resignare ante sententiam declaratoriam criminis, sicut non examinandi talia munera largientes; & Concilium Tridentinum, quod expressè oppositum videtur dicere, loquitur in foro fori, non verò in foro conscientiæ.n.52.

Simoniaci non sunt absoluendi, nisi resignent beneficia per simoniam obtenta, & fructus inde perceptos, non verò alia ritè obtenta.n.53.

Concilium Tridentinum priuans examinatores simoniam in examine committentes beneficijs quomodocunque ante obtentis, intelligitur post sententiam declaratoriã criminis.n.54.

Qui beneficium in confidentia recepit, non tenetur beneficia prius ritè obtenta resignare, nisi post sententiam.n.55.

Sicut nec accipiens aliquid in Curia pro gratia, vel iustitia.n.56.

Et idem dicendum est de omnibus simoniacis.n.57.

Sicut nec etiam ille, qui alium occidit per assassinum. n.58.

Nec qui bona suorum beneficiorum alienauit. Hi enim omnes, & si spolientur ipso facto omnibus beneficijs prius ritè obtentis, tamen non tenẽtur illa resignare, nisi post sententiam declaratoriam criminis. num.59.

Abbatissæ, & Prioriss æ Monialium concedẽtes facultatem egrediẽdi à clausura alijs Monialibus, & si per motũ proprium Pij V. sint ipso facto inhabilitatæ ad dignitates, administrationes, & officia, tamen debent expectare sententiam declaratoriam culpæ, & postea se abstinere.n.60.

Quando in lege pœnali sunt apposita illa verba, ipso facto, & absq; alia declaratione, *subintelligitur absque declaratione pœnæ, non verò culpæ, cum culpa semper sit à Iudice declaranda. n.61.*

Executioni pœnæ debet semper præcedere declaratio culpæ, & de hac declaratione potest dari appellatio.n.62.

Pœna ipso facto, & pœna infligenda differunt. Primo, quia prima pœna nõ debet expectare sententiam condemnatoriam, sed declaratoriam, at secunda pœna debet expectare cõdemnatoriam. Secunda differentia est, quia prima pœna facit actus, & si validos, tamen irritandos; secunda verò non. Tertia differentia est, quia hæres criminosi pœnæ ipso facto, requisitus tenetur ad pœnam realem, secus uerò hæres criminosi pœnæ ferendæ.n.63.

Priuatus ipso facto uoce actiua, & passiua, si suffragatur, suffragium ualet ex dispensatione legis, & si teneatur restituere munuscula pro tali suffragio accepta post sẽtentiam. At qui est priuatus per sententiam ferendam, & suffragatur, suffragiũ ualet de natura sua, nec tenetur restituere munuscula pro tali suffragio accepta. num.64.

Verba illa absq; alia declaratione *apponũtur in lege pœnali, ad maiorem illorum verborum antecedẽtium declarationem, nempè* ipso facto. *n.65.*

In lege, aut decreto superfluitas semper est uitanda, & ideò non solum verbũ, sed etiã dictio, & syllaba qualibet stare nõ debet sine aliquo effectu. eod.num.

Dispensatio illegitimi ad ordines intelligitur ad omnes ordines minores, si verò sit dispensatio ad omnes ordines, intelligitur etiam ad ordines sacros.num.66.

Promissio in genere respicit mediocritatem. eod.num.

Digitized by Google

RESOLVTIO LXV.

An reus teneatur subire pœnam priuatiuam à lege taxatam ante sententiam Iudicis saltem declaratiuam culpæ, excepta censura?

1 REspondet Vasquez 1. 2. disput. 168.cap.2.num.10.teneri & oppositam opinionem esse omnino improbabilem. Verba enim eius hæc sunt. Primum igitur de pœna, quæ nullam habet exequutionem,adeò hæc sententia manifesta est,vt non videam qua ratione sententia Soti ab aliquo probabilis censeri possit;&c.vnde subdit Ferdinandus à Castropalao disp.2.de lege pœnali, puncto primo, num. 2. Prima sententia Soti lib. 1.de iustitia,quæst.6. concl.prima,& ad 1.2.& ad 4. & lib. 4. quæst.6.art. 3. qui ausus est affirmare nullam pœnam præter censuras incurri posse ante Iudicis sententiam,&c.

2 Probatur hæc responsio à Vasquez ex canone si quis viuente,31. q. prima, & ex cap.1.& ex cap. super hoc de eo, qui duxit,quam polluit per adulterium, vbi expresse habetur, quod adulter nõ possit cõtrahere cum adultera, cui promisit matrimonium viuente viro, vel si coniugem occiderunt contrahendi causa:hæ enim pœnæ sunt,& tamen ad eas sine sententia Iudicis incurritur.

Insuper potest lex inhabilitare aliquem ad cõtrahendum de proprijs bonis tali ætate,aut sine tali, & tali sollennitate, & contractus factus contra has leges nullus erit:cur etiam propter peccatum imponi non posset,vt pœna similis inhabilitas (hęc sũt verba Vasquez) ad actus alioquin legitimos, ità vt antè

3 sententiam nulli essent? Et quidem re ipsa propter vitium prodigalitatis, prodigus inhabilis est per Iudicem ad contrahendum quando ipse sub curatore constituitur.

4 At pace huius acutissimi Doctoris hæc impugnatio nihil probat circà præsentem quęstionẽ. Nam aliud est,quod impedimentum matrimonij sit à crimine, aliud quod sit in pœnam criminis. Inualiditas enim matrimonij põt prouenire ab errore, ab honestate, ab affinitate, vel consanguinitate,&c. & à crimine; sicut enim quando prouenit ab alijs rationibus non dicitur,quod sit pœna,cum nulla culpa antecesserit,ita etiã dicendum est quando à crimine prouenit, quod neq; sit pœna illius criminis, nam impedimenta imponuntur ob bonum commune, & non in pœnam. Bonum autem publicum,quod postulat ita contrahi matrimonium, est,ne facilius quis inducatur ad occidendum propriã vxorem, quia de facili quis conueniret cum adultera de occidẽdo virum posita spe contrahendi; sic etiam vt conseruetur mutata affectio maritalis voluit lex non posse adulterum cõtrahere cum ,pmissione acceptata, facilius enim aliqua induceretur ad odium proprij viri, quando tuta esset ratione promissionis de contrahẽdo cum adultero. Sicut so-

5 lemnitates contractuum sunt appositæ non in pœnam contrahentium, sed ratione boni communis, & sicut qui deficit in solemnitatibus contractuum facit nullum contractum non in pœnam, sed ob bonum commune, ita statuit lex inhabilitatem ad tradẽdum proprium corpus non in pœnam, sed ob bonum communitatis. Vnde constituere impedimenta matrimonij non est pœnam pro aliquo delicto statuere, sed legem ferre circa matrimonij contractum, vt optimè Basilius Pontius de matrimonio lib.6.cap.1.nu.1.

6 Quod magis probo, quia si esset pœna deberet dari pro eodem delicto indiuidualiter:sed pro maiori,aut eadem culpa indiuidualiter non datur hæc eadem pœna;Nam adulter,qui seminauit extra vas,vel in vase prępostero,& promisit adulterę ipsam ducere in vxorem nullum contrahit impedimentum criminis, vt post Syluestrum verb. matrimonium,num.8.docet Pontius lib.7. cap.45.n.2.in fine, & tamen maius peccatum est hoc, cum habeat nouam malitiam contra naturam, quam simplex adulterium.

Sic

Digitized by Google

7 Sic etiam si adultera promissionem non acceptat, & si adulterium in vase naturali committatur, non contrahit hoc impedimentum. Pontius loco cit. nu. 2. in fine, Sanchez lib. 7. disp. 79. num. 22. & tamen culpa est eadem; promissio enim non acceptata, vel acceptata nihil addit culpæ, nec notabiliter aggrauat in ratione culpæ adulterium, nam promissio nõ acceptata, prout præcisa ab adulterio est sine culpa, cap. significasti, & cap. finali de eo, qui duxit in vxorem, sic etiam si adultera credit virum esse mortuum, quem adulter scit viuere, & promissionem adulteri acceptet, nec impedimentum criminis contrahitur, cum culpa sit eadem saltem respectu adulteri, sic etiam Henriquez lib. 12. de matrimonio cap. 14. nu. 3. requirit promissionem mutuam, & si ratam habeat alter promissionem, non incurrit hoc impedimentum: mutua autẽ promissio non facit nouam culpam.

8 Idem videmus de impedimento criminis ratione machinationis: nam si adulteri interficiant virum de communi consensu, non animo contrahendi matrimonium, sed vt liberius libidini vacent, vel ne ab ipso coniuge interficiantur, vel ob alium finem, non contrahunt hoc impedimentum, & tamen crimen est idem, seu culpa; nam adest adulterium, & machinatio mortis, intentio enim contrahendi, vel non, non aggrauat culpam, immo potest ipsam diminuere, quia si occidant ad finem furandi, vel ratione odij, est maius peccatum, & tamen impedimentum non contrahunt, vt optimè Sanchez lib. 7. disp. 78. nu. 8. sic etiam dicendum est de

9 adultero, qui occidendo propriam vxorem animo contrahendi cum alia incerta, non cum hac, vel cum illa, potest etiam cum adultera contrahere: hæc autem culpa nõ differt specie, nec notabiliter aggrauat peccatum, quia adulter habet animum cotrahendi cum hac, vel cum illa, vel quia habet animum contrahendi cum incerta sine determinatione. Sanchez loc. cit. n. 18. Cum ergo videamus propter eandem culpam indiuidualiter non contrahi hoc impedimentum, dicendum est impedimentum hoc nõ esse pœnam delicti, sed potius hoc requiri à lege tanquam conditionẽ ad tradẽdum iustè proprium corpus ob bonum reipublicæ. Sicut requiritur ad alienationem propriorum bonorum, vt fiat cum tali solemnitate cõtractus à tali Domino, tali ætate, cum tali conditione, &c. & aliter est nullus, si ergo non est pœna, quid mirũ si absq; vlla sententia Iudicis inhabilitetur homo ad contrahendum?

Ad illud, quod dicebatur à Vasquez, quod potest aliquem lex inhabilitare ad contrahendum de proprijs bonis, ergo à pari potest etiam in pœnam hoc facere; Disparitas est manifesta, nam quando lex prohibet ne cõtractus fiant sine tali, & tali solemnitate, hoc facit ob bonum cõtrahentis; sic etiam ne minor contrahat, nam sine tali solemnitate, vel tali ætate potest decipi contrahens: cum ergo hoc sit beneficium, potest etiam inuito conferri: secus dicendum est de pœna; nam pœna est infligenda in vindictam legis, & nemo tene-

10 tur vindicari propriam culpam, sicut neq; tenetur illam prodere. can. quis aliquando, dist. 1. de pœnis.

11 Nec simpliciter verum est, quod curatores dantur in pœnam, nam non in pœnam, sed ad hoc, vt seruentur patrimonium, corpus, salus, & mores, vt in l. Consilium, ff. de curatoribus furiosi, & aliis, & in l. cum plures, ff. de administratione, & peculio tutorum, & curatorum, & sic potius est beneficium prodigi, quã pœna. Quibus addo, quod si esset pœna, non posset à patre prodigi in testamento talis curator suo filio prodigo relinqui, nec prætor ipsum confirmare teneretur sequendo voluntatem patris testantis, vt in l. si furioso puberum, ff. de curatoribus furiosi, & aliis dandis; nam non spectat ad patrem publicè vindictam sumere de vitiis filii, sed ad Iudicem, si stabilitum non sit à lege, cum definiatur pœna in l. 1. ff. de pœnis,

Digitized by Google

12 nis, quod sit delicti, vel delictorum satisfactio, quæ à lege, vel à ministro legis imponitur. Addo quod hæc pœna, nempè tributio curatoris, cui nam satisfaciet nulli: ergo pœna esse non potest, cũ nemini sit satisfactoria, nec culpæ prodigalitatis, nam remedium est pro futuro, & non satisfactio de præterito. Insuper prodigalitas pecunię ex genere suo

13 (cum solum dicat sine causa abijcere bona) non est peccatum mortale, quia homo habet liberum arbitrium in sua bona, vt optimè Sotus de tegendo secreto, memb. 1. q. 3. vers. 2. arguitur pag. mihi 40.

14 Respondet igitur Sotus lib. 1. de iustitia, q. 6. concluſ. 1. ad primum, ad secundum, & ad quartum, reum non teneri ad pœnam priuatiuam ante sententiam Iudicis, quæ responsio non solum non est audax, vt putat à Castropalao, sed est probabilissima.

15 Tum quia non tenetur quis respondere Iudici interrogãti de delicto prorsus occulto sine semiplena probatione, vel qñ non supppetũt indicia expressa, vel saltem sine infamia, vt habet D. Th. 2.2.q. 69. art. 1. in corp. maximè si talis interrogatio tendat ad pœnam, vt optimè Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 31. dub. 3. à nu. 8. vsq; ad 10. & est communis sententia: ergo neque tenetur subire pœnam pro delicto omninò occulto, tantũ propriæ conscientiæ noto, & nullo modo probato. Consequentia patet: nam non potest hoc præceptum facere lex animata, qnæ est Iudex, ergo neque lex inanimis.

16 Tum quia interrogatio facta à Iudice pro crimine occulto est interrogatio iniusta, & ideò reus non tenetur respondere, nec veritatem manifestare, vt optimè D. Thomas loc. cit. ergo punitio, quæ consequitur ad talem interrogationem est iniusta, & ad eam non tenetur reus, sed pœna imposita pro delicto occulto est huiusmodi, ergo ad eam reus non tenetur.

17 Tum quia nemo tenetur prodere se ipsum, can. quis aliquando, dist. 1. de pœnis, quod optimè probat Caietanus 2.2.q. 69. ar. 1. §. ad hoc dictum, &c. nam quod est occultum scientiæ publicæ nõ potest subesse iudicio publico, sed peccatum omnino occultum non subest scientiæ publicæ, ergo neque debet subesse iudicio publico: sed si reus teneretur ad pœnã ipso facto ante sententiã Iudicis sequeretur, quod teneretur reus subijcere iudicio publico id quod non subest scientię publicæ, pœna enim est pars iudicij; ergo dicendum est non teneri ante sententiam Iudicis.

18 Tum quia in cap. inquisitionis, de accusationibus, nõ est puniendus reus de aliquo crimine, super quo non laborat infamia: sed si teneretur ad pœnam ante Iudicis sententiam pro delicto omnino occulto sequeretur punitionem esse ante infamiam; ergo dicendum est nõ teneri ante Iudicis sententiam.

19 Tum quia ideò non tenetur ad pœnam positiuam ante sententiam Iudicis, quia nemo tenetur sibi ipsi inferre damnum, maximè si damnum notabile sit, vt etiam aduersarij concedunt: sed non minus potest inferre damnum negatio actus, quam positio, vt patet, ergo neq; tenetur ad pœnam negatiuam, seu priuatiuam ante Iudicis sentẽtiam.

Dices, quod cap. quidam 5. q. 1. B. Gregorius excommunicauit quendam occultum actorem famosi libelli, nisi se reuelaret, ergo si pro reuelatione sui ipsius potest imponi excommunicatio, reuelatio sui ipsius potest etiam præcipi à legislatore, aliter nec excommunicatio posset imponi pro ipsa.

20 Respondet Caietanus loc. cit. §. ad secundũ, quod aliud est præcipere, quod se reuelet absolutè, & aliud est præcipere sub disiunctione, aut .s. q se reuelet, aut pœniteat, aut sit excommunicatus, &c. Gregorius autẽ nõ præcipit primũ, sed secundum, quod licitum est, nam tunc excommunicatio non cadit supra reuelationem sui ipsius, sed supra delictum iam patratum, & de gratia speciali apposita est illa conditio, qua possit reus euadere, si voluerit, excommuni-

Digitized by Google

municationem, quia sicut potest Pontifex excommunicare quemcumq; committentem aliquod facinus antequam committatur, ita potest excommunicare quoscunq; qui iam cõmiserunt, si ergo potest Põtifex absolutè excõmunicare, multo magis potest excõmunicare sub cõditione, quæ pendet à voluntate patrantis facinus .s.si non se reuelauerit. Præceptum igitur non est, quod reuelet peccatum occultum à se commissum absolutè, quia de hoc nõ teneretur obedire, sed est sub conditione, aut scilicet cedas iuri tuo, quod habes non reuelandi, aut te excommunico pro delicto patrato, non quia non cedis iuri tuo, sed quia commisisti facinus, quam excommunicationem, quia posset Pontifex absolutè ferre, maluit sub conditione proferre in gratiam delinquentis.

Dices, vir amittit ius petendi debitũ ob incestũ cõmissum in primo, vel secũdo gradu consanguinitatis vxoris per copulã illicitam ante sententiam Iudicis, vt optimè Sanchez lib. 9. de matrimonio dub. 30. à nu. 1. vsque in finem, & est communis sententia; ergo pœna priuatiua incurritur ante Iudicis sententiam.

21 Respondet primò Simanchas de Catholicis inst. tit. 9. n. 202. dicendo, quod incertum est an incestuosus cum consanguineis vxoris incidat statim in foro conscientiæ in hanc pœnam. Immo Sanchez loco cit. n. 2. hæc habet. Quod si rationem petas, fateor me nullam concludentem inuenire, vt hæ pœnę quamuis priuatiuæ non indigeant sententia. hæc Sanchez.

22 Respondeo secundò, quod hæc amissio non est pœna imposita pro delicto, sed potius prouenit à natura ipsa copulæ, quæ affinitatem parit: copula enim, cum sit mistio sanguinis, per quam fit vna caro, facit vt teneatur vir reuerentiam præstare vxori, cum qua factus est vna caro per copulam cum consanguinea ipsius: lex enim nihil aliud præcipit, nisi reuerentiam cum carne propria vsque ad quartum gradum per copulam licitam, & vsq; ad secundum per illicitam, quia verò factus est vna caro per copulam illicitam, non potest amplius vxorem cognoscere, quantum est ex parte sua, quia vxor facta est affinis in secundo gradu per copulam illicitam ratione mistionis sanguinis, & sic non in pœnam, sed ratione reuerentiæ debitæ consanguineis, quod consequitur de natura sua ad copulã, vir amittit ius petendi.

23 Quod magis probo, nam si esset pœna sequeretur, quod etiam si non seminaretur in vase naturali incurreretur, cum sit maius delictum: sed quando cessat mistio sanguinis, nempè seminatio in vase naturali, non incurritur; ergo signum est, quod est potius reuerentia orta ex vnitate carnis, quam pœna. Cõfirmatur, quia impedimentum hoc non tã ex incestu oritur, quàm ex affinitate inde contracta, vt habet D. Thomas in 4. dist. 34. q. vnica, ar. 5. in solutione ad obiection. Sanchez lib. 9. disp. 28. nu. 14. & disp. 32. nu. 49. circa med. quod magis patet, nam si vir cognoscit filiã spiritualem vxoris, & si incestum spirituale committit, tamen ius petendi non amittit, quia non contrahitur affinitas: sic etiam si cognoscit propriam sororẽ, & si incestum committat, tamen non amittit ius petendi.

Addo quod si esset pœna, cur daretur copulæ licitæ vsque ad quartũ gradum, & illicitæ vsque ad secũdum? pœna enim deberet abundare vbi abũdat delictum, sed abundat delictum in copula illicita, immò nullum est in copula licita, & tamen habet maiorem prohibitionem; ergo signum est, quod non sit pœna, sed reuerentia orta ex copula ipsa.

Nec ex eo, quia non incurratur ratione ignorantiæ, vel metus cadentis in constantem fœminam, sequitur quod sit pœna, vt de ignorantia probat Sanchez lib. 9. disp. 32. num. 43. ex cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam vxoris, & ex canone ad limina 30. quæst. 1. & cap. si vir, de cognatione spirituali.

et

Digitized by Google

et de metu probat idem auctor loc.cit. disp.31.ex cap.discretionem de eo,qui cognouit consanguineam vxoris, maximè quando vir consentit ad metum grauem inferendum.

24 Nam contra est,quia iura citata non assignant in pœnam amissionem petendi debitum, sed potius indulgent ignorantibus,& vim patiẽtibus ne hoc ius, quod amittere debebant ratione contractæ affinitatis ob mistionem sanguinis,de facto amittant,& hoc iura facere possunt, nam cum impedimentum affinitatis probabiliter sit à iure positiuo,potest tẽperari ab ipso iure, vt quòad petitionem debiti procedat tantum contra scientes hoc impedimentum, & contra libere se commiscẽtes. Quod primõ demonstro ex verbis ipsius capitis discretionem,vbi hæc habes. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod et viro pro tam turpi facinore grauis est pœnitentia iniungenda, & mulier propter publicam honestatem (vbi glossa,idest affinitatem) est monẽda sollicitè,vt nec primum repetat, cuius consanguineus eam licet inuitam cognouit,nec redeat ad secundum, cui nõ potest propter reatum adulterij cõmisceri,sed in cõtinẽtia maneat,donec prior fuerit viã vniuersæ carnis ingressus: quod si forsan ad id induci nequierit,vir prior cogatur redire ad ipsam,& maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit obijcere,qui eã adulterandam tradidit præsertim inuitam,&c.& post pauca:Sed nec affinitas, quæ post contractũ legitimè matrimonium inter virum,& vxorẽ, iniquè contrahitur,ei (scilicet vxori) debet officere,quæ huiusmodi iniquitatis particeps non extitit,cum suo iure non debeat sine culpa priuari,&c. vbi habes, quod affinitas contracta priuat reum iure petendi ex natura sua,& non in pœnam,& ideò,inquit textus,quod vxori officere non debet ad amittendum ius petendi affinitas contracta,quia non fuit mulier particeps iniquitatis commissæ, quod non est intelligendum de iniquitate incestus,quia ex Sanchez ipso disput. 31. nu. 4. non excusatur mulier à culpà incestus,quia debebat potius subire mortem,quam incestum committere. Sed est intelligendum de iniquitate tradendi se ad adulterandum, & quia mulier non fuit particeps iniquitatis tradendi se ad adulterandum,ideò ob vim illatã cum consensu viri,videtur textus indulgere huic mulieri traditæ ad adulterandum,vt possit debitum petere, & si affinis,quod hæc mulier facere non posset sine tali indulgentia iuris,& ad dispensationem vxoris consequenter tex. dispensat etiam viro per accidens, nam dum facit,quod liceat vxori cõmisceri se cum viro post copulam prohibitam per vim,consequenter licebit etiam viro;ratione enim mulieris veluti demitur affinitas de medio per dispensationem.

Quod magis patet, nam si habet ius petendi,ad quid textus dicit, quod sit monenda ad castitatem seruandam vsque ad mortem viri? si ergo mulier retinet ius petendi etiam post contractam affinitatem per vim,ergo non est exhortanda ad castitatem vsque ad mortem viri.Si ergo textus vult, vt castitas suadeatur,quod si noluerit,dicit quod possit petere debitum,signum est, quod indulget ipsi ius debiti petendi. Non igitur est pœna,& si datur vim patiẽtibus, sed est indulgentia iuris.

Dices ex Merola disp.4. cap.5. num. 101.quod hęc sit pœna,nam non incurritur sine culpa; ergo, &c. Respondeo, quod etiam cum culpa non incurritur ex cap.discretionem supra; ergo non benè deducitur ex hoc, quod sit pœna.

25 Nec obstat tex.in can.ad limina, &c. Nam ibi laudatur opus patris, quod scilicet eripuit filium à potestate tenebrarum,& indulget tex. vt non separetur à propria vxore. Quod ius petendi neque amitteret,etiam si malitiosè,& sciẽter baptizaret sine vlla necessitate, vt patet ex cap. si vir, de cognatione spirituali; ergo signum est, quod non sit pœna;nam si pœna esset quando in-

Digitized by Google

intercedit culpa, vti est quãdo malitiosè baptizat, deberet pœnam subire, quam de facto non subijt, vt patet ex illo textu.

Demonstro secũdò hanc veritatem, quod scilicet amittere ius petendi non sit pœna, sed proueniat à reuerentia debita affinibus, ex eodẽ cap. 1. de eo, qui cognouit vxoris consanguineam, quod Sanchez pro se affert. Nam ibi hæc habes.

Si quis cum filiastra sua sciẽter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vnquam potest habere vxorem, &c.

Vbi vides, quod textus æquali modo loquitur de petitione debiti, ac de contractione matrimonij cum filiastra. Nam talis incestuosus nec à matre potest debitum petere, nec filiam vnquã potest habere vxorem: si ergo non potest habere filiastram in vxorem; non in pœnam, sed ratione reuerentiæ debitæ carni vxoris, cum qua factus est vna caro, & per talem vnitatem carnis factus est affinis filiastræ; ergo neque in pœnã poterit debitum petere, sed ratione reuerentię debitę carni filiastræ cum qua factus est vna caro, & affinis vxoris. Pœna enim imposita contra talem scienter cognoscentem filiastram, non est quod non potest petere debitum; sed est quod sint inhabiles ad contrahendum matrimonium, & filiastra, & ipse in posterum cum quocumque alio, vt patet ex subsequentibus verbis eiusdem textus, subdit enim sic. Nec filiastra, nec ille (scilicet vir, qui ipsam cognouit) vllo vnquã tempore alij se poterunt matrimonio
26 copulare. Vbi glossa subdit, propter incestum, cap. qui dormierit 32. quæst. 7. & infra eodem cap. ex litteris, tamen si contraherent tenet matrimonium. Hæc glossa. Pena igitur huiusmodi incestuosi non est amissio iuris petendi debiti, sed est quod non possit contrahere cum alijs.

27 Quod magis probo ex cap. tuæ fraternitatis, eodem tit. vbi habes, quod vxor illius, qui sororem ipsius vxoris cognouit, monenda est, vt se abstineat à mistione viri, propter publicam honestatem, seu affinitatem iam contractam, & in continentia maneat, donec vir viã vniuersæ carnis ingressus fuerit. Quãnam culpã vxor incestuosi commisit, vt sit monenda ad castitatem? & si ius petendi non amisit, quare monenda est ad separationem vsque ad mortem viri? ergo signum est, quod mulier hæc per contractam affinitatem non posset ius petere, nisi lex indulgeret; ergo ideo ignorantes, & qui sine culpa affinitatem contrahunt possunt ius petere, quia lex indulget illis, non viro, quia est pœna, & non incurritur nisi culpa præcesserit, vt putant aduersarij.

28 Demõstro tertiò ex verbis cap. si vir, de cognatione spirituali, quod Sanchez pro se affert, vbi hæc habes. Ideoq; nobis videtur, quod siue ex ignorãtia, siue ex malitia id fecerint non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam possint induci.

Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus nõ debet patrocinari, &c. Vbi vide quod amissio petitionis debiti non datur in pœnam; nam si esset pœna, deberet dari illis, qui in hoc fraudẽ cõmiserunt, ne fraus eis patrocinaretur, si à pœna liberarẽtur, quæ est amittere ius petendi debitum. Cum ergo malitia ad finem contrahendi affinitatem non facit amittere ius petendi, dicendum est, q vel amittere ius petẽdi sit pœna, & in casu nostro textus patrocinatur committentibus fraudem, cum fraudem committentes euadant pœnã illam, quod nolunt aduersarii; vel dicẽdum est, quod non amittere ius petendi prouenit ab indulgentia iuris positiui, & si quantum est ex natura affinitatis faciat, vt contrahentes amittant.

Quod magis patet ex illis verbis textus, Nisi ad continentiã seruandã possit induci: si enim ob cõtractam affinitatẽ spiritualem non amitterent ius petẽdi;

Digitized by Google

ad quid inductio illa ad conseruandam continentiam? Ius enim positiuum indulget quòad petitionem debiti cum ignorantibus,& scientibus: ita quod nõ amittant ius petendi,neque mater,neq; pater,si proprium infantem suscipiunt, & si cognationem spiritualem contrahant: siue id fiat ex ignorãtia,vt ex cap. si vir,siue scienter,& ex malitia, vt in eodem cap.siue ex imminenti necessitate,vt ex can.ad limina 30.q.1.

Dices ex Merolla disp.4.de legibus, cap.5.dub.1.nu.9.quod hæretici amittunt bona ipso facto ex cap.cum secundum leges,de hæreticis in 6. & etsi disputabile sit inter Doctores an reus teneatur in conscientia se spoliare bonis confiscatis ante sententiam declaratiuã criminis; tamen omnes concedunt reũ ipso facto amittere aliquod ius(hæc sũt verba Merollæ) quod antea in suis bonis habebat,& fiscum illud acquirere. Nam ratione illius iuris quando postea fertur sententia declaratiua criminis, retrotrahitur executio pœnę ad diem commissi criminis, & Fiscus recuperat omnia bona, quæ reus habebat tempore delicti perpetrati,vbicunque,& quomodocũque ea inuenerit: ergo talis lex infert aliquam pœnam statim,ac committitur delictum ante omnem sententiam Iudicis: vnde ex illa nascitur obligatio in conscientia ad non alienãdum ea bona in detrimentum fisci,& ad non faciendos cõtractus,qui possint in damnum tertij redundare,vt dicũt communiter Doctores.

29 Sed cõtra est,nam si hæreticus amittit ius in suis bonis,& illud acquirit fiscus ante sententiam Iudicis:quomodo potest hæreticus in tuta cõscientia etiã post sententiam declaratiuam Iudicis, bona à fisco non postulata,vel non manifestata,dummodo non sint ab ipso occulta, retinere, nec restituere? vt ipsemet Merolla fatetur cap.5.dub.4. num. 78.vers.imò,&c.& 79. Ius enim amissũ ab hæretico ante sententiam declaratiuam quid operatur in illis bonis pro fisco,qui illud acquisiuit? cum videamus etiam post sententiam Iudicis posse iustè possideri ab ipsomet hæretico?

Igitur in hoc casu non admitto sententiam Soti loco citato post quartam conclusionem, sed ueram sententiam existimo esse Vasquez loco cit.disp.72. quæst. 96. cap. 2. Et hæc sunt eius verba . Mihi semper placuit sententia eorum,qui asserũt omnes alienationes, aut titulo oneroso, aut gratioso factas ab eo,cuius bona confiscata sunt, validas esse ante sententiam Iudicis, ac si bona confiscata non essent, merito tamen per sententiam rescindi à die commissi criminis. Hãc opinionem latè tradit Victoria in relatione de Indis insularum,n.14.eamq; videtur sequi Angelus in sũma, verb.pœna,n.8.Sylu.in sũma,verb.hæresis primo q.8.Arq;vt probabilẽ defendit Corduba lib.2.q.36.

30 Nec solum verum existimamus validas esse omnes alienationes, sed etiam nullo modo peccare eum, cuius bona confiscata sunt, alienando aliqua illorum,vel omnia,quum nulla lege prohibitus sit alienare.Plurimum autem differt vno,aut alio modo philosophari. Nẽpè aut asserere has alienationes validas esse,per sententiam tamen irritãdas; aut dicere eas irritas esse ipso facto: si enim validæ sunt, & sententia nõ sequatur,ille qui rem aliquam accepisset ab hæretico,quocunque titulo alias accepisset,faceret fructus suos, etiam si conscius esset delicti, & donec sentẽtia ferretur contra delinquentem non deberet fructus restituere: si verò alienationes validæ non sunt,ante sententiam non faceret fructus suos ille, qui rem cõfiscatam ipso facto quouis titulo acciperet. Hæc Vasquez. Et post pauca.

31 nu.11. subdit. Probatur prędicta opinio, nam filius hęretici, vel alterius, qui crimen commisit ob quod bona ipsius fuerunt confiscata, etiam si cõscius sit delicti patris,accipere potest hęreditatem,vel ex testamento,vel ab intestato,vt ingenuè fatetur Simancas de catholicis institutionibus,tit.9.num. 189. & patet,qui crimen commisit liberè relin-

Digitized by Google

linquere potest filio innocenti hæreditatem, cum tamen sciat penès filium futuram plenã facultatem alienandi quouis titulo: ergo poterit quouis modo in extraneos alienare, quia eadem est ratio.

Nec sane video quo pacto negari possit, patrem, qui crimen commisit, relinquere posse hæreditatem filio, qui liberè deinde alienare potest. Nam nõ posset eam relinquere, aut deberet filio manifestare crimen suum, vt cum grauamine non alienandi eam transmitteret ad ipsũ, aut deberet fisco satisfacere, & illam secreta via restituere, quod sanè inauditum hactenus est. Signum igitur est penes ipsum reum esse plenã facultatem alienandi quouis titulo, non alio modo, quam si crimen non commisisset. Hæc Vasquez.

Idem sẽtit Texeda tom. 1. lib. 1. tract. 2. controuers. 17. num. 11. & n. 13. qui citat prẽter supra citatos, Medinam lib. 2. quæst. 96. art. 4. ad 3. Bannes 2. 2. quæst. 12. ar. 2. dub. vnico. Ludouicum Lopez primę par. instructorii, cap. 112. conclus. 4. Sotum lib. 1. de iustitia, q. 6. ar. 6. post quartam cõclusionem. Manuel. in summa cap. 130. n. 3.

Idem habet à Castropalao de lege pœnali tract. 3. disp. 2. puncto 2. num. 8. his verbis. Hæretici priuantur ipso iure bonis possessis à die commissi criminis, ex cap. cum secundum leges, de hæreticis in 6. & tamen non tenentur bona fisco tradere, & contractus, & alienationes factæ ab ipsis validæ sunt, vt communis tenet sententia. Hæc à Castro.

32 Confirmat Vasquez nu. 12. sic. Quia si cõtraria opinio esset vera sequeretur, quod nemo hoc tempore posset cum hæreticis Germaniç, & partium septentrionalium scienter contrahere: eorum enim bona nõ minus sunt in Germania per leges Imperiales, quam in nostro Regno per nostras leges confiscata: At qui hoc intolerabile esset. Immò in Regno Hispaniç nemo posset contrahere cum homine, quem scit commisisse crimen nefandum, cum iure illius Regni bona etiam illius confiscata sint à die commissi criminis, quod etiam intolerabile foret.

Dices, alienatio post confiscationem bonorum est prohibita per diuersas leges, nempè ex l. ex iudiciorũ, vers. adeò, ff. de accusationibus, & l. donationes in cõcubinam, §. final. ff. de donationibus, & ex l. post contractum, & ex l. finali, C. ad legem Iuliam Maiestatis; ergo saltẽ peccat notabiliter, qui facit contra hãc legem prohibentem.

33 Respondet Vasquez loco cit. cap. 3. num. 13. quod neque peccat, quia quoties verba legis potius tendunt in actũ, quam in personam, nõ prohibetur actus tãquam peccatum, sed potius leges disponere videntur circa firmitatem, & robur ipsius actus. e.g. leges prohibent ne fiant testamenta sine tali solemnitate: si aliquis testamẽtum condat sine tali solemnitate nõ peccat, sed testamentũ est nullum. Dicimus igitur quod leges illæ non tendunt ad personam, sed ad contractus, nec faciunt contractum ipso facto nullum ante sententiam, sed solum definiũt tales contractus firmos non esse, nec stabiles, eo quod subiaceant sententiæ, per quam postea rescinduntur à die criminis: immò in crimine hæresis hoc specialiter adest, quod serui libertas etiam post sententiam rata habeatur à iuribus ipsis. vide Vasquez loco cit. num. 15.

Dices ex Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. num. 5. in fin. ex cap. cum tu, de vsuris. vbi habes, quod est inhabilis ad acquirendum dominium bonorum incertorum ille, qui possidet naturaliter, si hanc possessionem naturalem habuerit ex furto, vsura, rapina, &c. etiam si propriis dominis restitui non possit, & teneatur illa bona ante Iudicis sententiam pauperibus restituere; ergo incurritur pœna ante Iudicis sententiam.

34 Respondeo, quod in dicto c. cum tu, &c. nũquam dicitur, quod ille in pœnã teneatur restituere pauperibus incerta, per vxorem sublata: imò colligitur oppositum, scilicet quod non sit pœna, illa

Digitized by Google

restitutio facienda. Quod demonstro ex verbis ipsius textus. Nam ibi Alexãder tertius ad Archiepiscopum Salernitanum hæc habet, Cum tu manifestos vsurarios iuxta decretum nostrũ, quod nuper in Cõcilio promulgatum est cõmunione altaris,& Ecclesiastica prœceperis sepultura priuandos, donec reddatur quod tam prauè receperant, quidam eorum ad excusãdas excusationes in peccatis,imprudenter affirmant illas dumtaxat vsuras restituendas, quæ sũt post interdictum nostrum receptæ. *Et infra*, Super his fraternitati tuæ taliter respondemus,quod siue antea,siue post interdictum nostrũ vsuras extorserint, cogendi sunt per pœnam quam statuimus in Concilio, eas his, à quibus extorserũt,vel eorum hæredibus restituere,vel his non superstitibus,pauperibus erogare,&c.Vide quomodo textus loquatur de certis dominis, qui defuncti sunt, & hæredem non habent, & tunc pauperes hæredes illorum Pontifex instituit. Addo quod si esset pœna imposita ab illo canone, quomodo possent mulctari tali pœna etiam illi,qui vsurã commiserunt ante prohibitionem canonis,cũ dicat textus, quod siue antea, siue post interdictum, &c.? si ergo esset pœna imposita à tali canone,quomodo posset exigi ante impositionem? esset enim iniusta exactio.

Igitur dicendum est, quod non sit pœna non facere suam rem, quam vsurarius per vsurã possidet, sed hoc ,pueniat à lege naturali ante legem positiuam; fauet enim possessori bonæ fidei possessio illa naturalis, quam de re illa habet; & ideò non tenetur illam dare pauperibus, quia de illis rebus habet possessionem naturalem,quam non habent pauperes,nec Ecclesia. Cum verò ipse fecerit contra ius naturale, acquirendo per vsuram,&c. Ideò dici non debet,quod lex naturalis illi faueat,seu possessio naturalis non debet ei patrocinari,cum hæc possessio ortum suũ habeat à delicto cõtra ius naturale.Lex .n.fauere nõ debet suis trãsgressoribus.

Insuper si esset pœna, ignoratio vsurarij, e. g. excusaret à restitutione, nam ignoratio pœnæ excusat à pœna, quod neque Layman dicere potest, cum sit contra rectam rationem.

Nisi velimus dicere cum communissima sententia DD.quod res aliena,cuius dominus ignoratur,semper est restituenda Ecclesiæ, uel pauperibus, siue sit acquisita per vsuram, siue bona fide, cum hæres vniuersalis Christianorum sit Ecclesia,vel paũper.

Dices ex Merolla disp.4. cap.5. dub. 5.num.102.in cap.cum singula, de præbendis in 6.quod verba illa, ex tunc eo ipso efficitur inhabilis, &c. & in fine: Reddantur ineligibiles ipso iure, omnes Doctores cum glossa iudicant illam pœnam statim incurri,ita vt electio de tali persona facta nulla sit.

Aliud exemplum huius sumi potest ex quodam motu proprio Pij V. contra Simoniacos,quem refert Quaranta in summa Bullarij,verb.simonia, vbi recipiens beneficium per simoniam redditur inhabilis ipso iure ad beneficia,quę pœna statim etiam incurritur ante omnem sententiam,vt benè probat Suarez tom.1.de religione,lib.4. de simonia, cap.58.Hæc omnia Merolla vbi supra.

35 Sed contra est. Nam in dicto cap. cũ singula iuncta glossa nihil tale habes. verba enim glossæ,Ex tunc eo ipso efficitur inhabiles, &c.hæc sunt, Ineligibilis ad idem supra de electione quisquis.Et infrà,in fine capitis,Exageratur igitur pœna in religiosis, & merito, vt supra in principio,ad hoc 16.q.prima, alia est causa.Sed nunquid hoc(scilicet quod vacaret primum)erat statutũ per decretalem de multa; dicebat ibi Hostiens. quod in prioratibus conuentualibus,vel curatis benè habebat locum decretal. de multa, vt religiosos respiceret in ijs,à quibus ad volũtatem Abbatis remouentur,videtur,quod plures possent habere,cum potius quasi custodes essent,quam priores;Indistinctè autem intelligo hanc decretalem etiam in omnibus Prioratibus,prout indistinctè

lo-

Digitized by Google

loquitur,& approbatum est hoc hodiè per Concilium Viennense, de supplenda negligentia prælatorum, quia regulares in fine,& hoc non erat ita clare statutum per decretalem de multa,& pœnæ etiam sunt addictæ, vt hic vides &c.hæc in glossa ibi, vbi nulla fit mentio de incursione ante sententiam declaratoriam culpæ: & si in dicto cap.§. prohibemus, in illis verbis reddantur ineligibiles ipso iure, &c.hæc habes,& collatio non tenet, vt supra eodem ibi, & per eos ad quos pertinent, &c. vbi nulla fit mentio de incursione ante sententiam Iudicis.

Addo quod ibi textus loquitur de illis, qui habent vnum Prioratum, vel vnum beneficium curatum, quod non possunt habere alterum, & hoc non in pœnam, sed quia posito, quod vnum beneficium quis accepit,& scit Ecclesiã nolle eidẽ aliud conferre, est cõuentio inter ipsum, & Ecclesiam de non accipiendo altero, sicut dixit Sanchez in consil.lib.2.cap.2.dub.22.num.1. de habentibus beneficium curatum, si intra annum non promoueãtur ad Sacerdotium,ex cap.licet,de electione in 6. quia illa est conditio,qua non adimpleta,seu nõ seruata amittitur beneficium, non in pœnam,vt dixi, sed ratione conditionis non adimpletæ. Distributio enim beneficiorum spectat ad Ecclesiã, & ideò potest conferri cum tali pensione,cum tali conditione,& cum tali onere,vt patet.

Vel dicere possumus, quod quando vnus habet vnum beneficium curatum est inhabilis,seu inhabilitatur ad secundum non in pœnam, sed ne fraudetur Ecclesia in suis ministerijs,vt videri potest in Concilio Tridentino sess.7. de reformatione,cap.3.& 5. & in sess.24. cap.27.cum ergo sit inhabilis ad secundum stante acceptatione primi, nõ potest dici,quod sit pœna,& sic mirum nõ est,si ipso facto vacat; stante quod ante adeptionem erat inhabilis pro secũda collatione: sicut si beneficium collatũ esset mero sæculari, vel fœminæ collatio esset nulla,quia isti sunt inhabiles.

36 Vel respondeo tertiò ad vtrumque exemplum cum Sanchez lib. 8. de matrimonio disp.21.num.77.in fine, quod ratio pœnæ petit, vt delinquens priuetur re acquisita, quando verò priuatur re acquirenda per gratiam,vti est in impetratione beneficiorum,non est pœna: sed potius cõditio prerequisita ad hoc, vt quis possit frui tali gratia, sicut conditio apposita in legatis à testatore,quę nisi adimpleatur, legatum consequi nõ potest,non in pœnam, sed ob conditionem non adimpletam ex voluntate testatoris,sic in cõcessione beneficiorum, verba enim Sanchez hæc sunt.Obstat quod hæc non sit pœna priuans impetrantem re sibi iam acquisita,quod propria pœnæ ratio exigit, & ideo sententia iudicis indiget: sed solo lucro acquirẽdo priuatur impetrãs,idq;ex volũtate concedentis, qui eam rem applicauit (loquitur in suo proposito hic Sanchez) dicto cap.super litteris,vt dolosus impetrans nullum ex ijs litteris commodum consequatur,at pęnę huius generis nulla sententia indigent, vt constat in pœna à testatore in legatis adiecta:hæc Sanchez.

37 Ad exemplum simoniaci adductum à Merolla non solum in loco cit. sed etiã disp.4.cap.5. n. 8. ex Quaranta respondeo,quod in foro conscientiæ hoc non est verũ, vt expressè tenet Auila.3.par. disp. 5. dub. vlt. concluſ. 7. pag.238.& Henriquez lib. 13. de excõmunicatione cap.37.num. 5. & si verum fit in foro fori, vnde Vasquez 1. 2.q.6. ar. 5. disp. 168.cap.4.nu. 25. postquam explicauit hũc motum Pij V.hęc habet, Mihi verò videtur cum Couarr.2.par. de matrim. cap.6.§.8. nu.8. nullam legem etiam in beneficiis obligare ad renunciationem beneficii ante sententiam,quamuis in lege imponatur pœna amissionis beneficii cum particula ipso facto,immo addit in nu.10.non longe à fine,idem censendum esse in vniuersum in omni lege, etiam si addatur particula absq; declaratione, id quod ipse notat contra Syl-

ue-

Digitized by Google

uestrum loco allegato, &c. hæc omnia Vasquez. Et nu. 30. hæc habet, Oppositum tam sentit Couarruuias loco paulò ante cit. vbi in vniuersũ docet non satis esse patticulam ipso facto, neq; particulam asq; declaratione, vt asseramus legem humanam, quæ priuat aliquem bonis, aut etiam beneficiis obligare ad pœnam ante sententiam, cuius opinio in hoc mihi probatur. hæc Vasquez ibi, & Henriquez lib. 13. cap. 37. n. 5. littera A. 2. hæc habet, Secũdo qui post beneficia ritè susceptа recipit collationem alterius per simoniam completam, fit in foro exteriori suspensus ab omnibus beneficiis, & illorum fructibus, sed in foro conscientiæ dimisso beneficio simoniaco, & absolutus ab excommunicatione potest frui primis beneficiis ritè susceptis. Et in glos. eiusdem Henriquez lit. B. hæc habet, Sic temperatus est rigor extrauag. Pauli II. cap. de confidentiali, & Pij V. vt refert Nauarr. cap. 23. n. 111. §. 11. quia bonis propriis, & iure quæsito, ac possessione nemo in pœnam priuandus est ante sententiam saltem declaratiuam criminis, vt de hæretico dicunt Doctores, hęc ibi.

Inhabilitas ergo ad beneficia obtinenda non est pœna, sed potius defectus conditionis prærequisitę à iure: sicuti non est pœna inhabilitas secularis, nec religiosi, nec fœminę ad beneficiũ obtinendum, quia hi nullam culpam commiserunt.

Dices ex Vasquez loco cit. ar. 5. cap. 5. num. 32. vers. postremo, &c. Concilium Lateranense sub Leone 10. sess. 9. cap. de reformatione curię contra beneficiarios non recitantes horas canonicas, quod plane obligat in cõsciẽtiã ad restituendos statim fructus receptos, nulla ad hoc expectata sententia: & hoc fuit cõfirmatum à Pio V. Nec valet dicere, quod hoc proueniat à iure naturę, & non in pœnam, quia cum beneficium detur propter officiũ, nullo iure, aut titulo potest beneficiarius fructibus beneficii potiri, si non præstet officiũ, propter quod fructus beneficii sũt assignati. Nam contra est, inquit Vasquez loc. cit. num. 34. quia & si in beneficijs simplicibus hoc verum sit, tamen in beneficijs curatis hoc falsum est, quia & si beneficium detur propter alia ministeria spiritualia præter officiũ, tamen adhuc tenetur ad restitutionem omniũ fructuũ, & ad partem correspondentem officio diuino tantum.

Patet magis in canonico, qui certis diebus anni ius acquirit ad grossam, quam vocant fructuũ, & illã iam accepit, & iure possidet, si postea tamen aliquo die anni nõ recitet, debet restituere partem, quæ illi diei responderet, ac si grossa per singulos dies diuideretur, & acqurreretur. Spoliatur igitur fructibus, quos iam pacificè possidebat, ac proinde hæc non est pœna inhabilitatis, sed verè postulans exequutionem, &c. Hæc omnia Vasquez.

38 Sed contra Vasquez adest Hẽriquez lib. 13. cap. 13. num. 2. in fin. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 177. vers. quarto merito, &c. in fine, qui fatentur beneficiatos habentes alia onera spiritualia non teneri ad restitutionem de omnibus fructibus, sed posse retinere sibi iuxta onerum proportionem, & Hẽriquez lib. 13. cap. 13. num. 2. hæc habet, Parochus, si post sex mẽses à die possessionis beneficii omittit recitare horas, tenetur in opera pia pro rata temporis restituere fructus; sed praxis cum sapientum cõsilio rigorem decreti Lateranẽsis, & Pij V. ita temperat, vt Parocho, & aliis beneficiariis relinquatur quędam portio, quia cum titulo sustinet onera beneficio annexa, &c. & post pauca: Plus verò retinere sibi potest Parochus, quam Canonicus, aut alius simplex beneficiatus, &c. Hæc Henriquez. vide Dianã par. 2. tract. 12. resol. 8. in fi.

39 De grossa verò acquisita à Canonico adest Salas de legib. quæst. 96. tract. 14. disp. 5. sect. 2. num. 27. vers. secundo respondet Simancha, &c. in fin. vbi hæc habet contra Vasquez. Sed credo si cõtin-

Digitized by Google

tingat eam (scilicet grossam) prius vetè,& absolutè lucrari, quam officium omittat,nihil eius (scilicet grossæ) debere restituere, quia pœna non est, vt fructus iam suos restituat, sed vt non faciat fructus suos.Hæc Salas ibi, vide etiam Dianam,vbi supra.

Dices ex Vasquez loc.cit.ar.2.num. 11. in fin. Pœna excommunicationis, suspensionis,interdicti,& irregularitatis ipso facto per legem imposita, incurritur ante sententiam Iudicis, & effectus etiam harum pœnarum,vel ipso etiam Dominico Soto (hęc sunt verba Vasquez) consentiente,cur ergo etiam aliæ pœnæ inhabilitatis incurri non possũt,si ipso facto imponãtur? & quidem eum,qui excommunicatus est ipso facto,priuatum esse ante sententiam voce actiua,& passiua,nemini dubium esse potest: de passiua voce ita statutũ est in cap.postulasti,de clerico excommunicato celebrante,& cap.cum inter, de electione;de actiua verò in cap. diuersitatem,de concessione prębendarũ, & in cap.tanta,de excessibus prelatorũ, & cap.si ad Episcopatum,§.1.Ne sede vacante,&c.in 6.Hęc Vasquez.

40 Sed contra est primò,nam disparitas inter excommunicationem, & aliam pœnam priuatiuam, mihi videtur euidentissima,quia excommunicatio nullã actionem hominis requirit ad hoc, vt damnum afferat,neque enim requiritur actio positiua,neque priuatiua hominis excommunicati, ex inferẽdo damnum, & ideò potest incurri ante sententiam Iudicis: at in alijs pœnis priuatiuis requiritur actio hominis negatiua,vt non det e.g.suffragium, vt non ascendat ad cathedram,ad quam est electus,& quia nemo tenetur sibi ipsi inferre damnum, quia hoc est contra ius naturale, non magis inferret sibi damnũ reus p actionem positiuam,quam negatiuam, ideò non incurritur pœna positiua, nisi post sententiam, & excommunicatio, quæ nullo modo requirit actionẽ hominis, incurritur ante sententiam. In pœna.n. negatiua concurrit reus per negationẽ actus,quæ etiam operatiua est, vt patet in non impediente quod tenetur ex iustitia impedire, at in excommunicatione nullo modo concurrit,neque per positionem,neque per negationem.

Et nota,quod ratio cur quis non teneatur ad pœnam positiuam ante sententiam Iudicis, non est quia actio est positiua; nam si actio positiua esset, & non inferret damnum, vtiq; teneretur ad pœnam ante sentẽtiam Iudicis. Sed quia per talem actionem damnum, & aliquando notabile inferret sibi ipsi,q; iuri naturali repugnat. At quia hæc ratio non magis inuenitur aliquando in pœna positiua, quam priuatiua, ideò vtrobiq; par ratio. Verũ quia hæc ratio non inuenitur in excommunicatione, ideò potest incurri ante sententiam Iu-
41 dicis. Quando verò excommunicatus priuatur aliqua iurisdictione,non tenetur se abstinere ab exercitio illius, nisi post sententiam excommunicationis.

Sic Iudex excommunicatus occultè, & non per sententiam, potest alios excommunicare,ita cum communi sentẽtia Diana 5.par.tract.9.resol.50. & clarius loc.cit.resol. 135. Potest etiam Sacramenta ministrare dummodo sit requisitus,& neque peccat,nec etiam,qui ipsum requirunt etiam sine necessitate, ita Raynaudus de monitorijs, par. 2. c.2.nu.24.Præpositus in 3. par. q.2.de excommunicatione dub.8.nu. 44. Diana par. 5.tract.9.resol. 83. in fine primæ periodi,vers.Notandum est etiam.

Sic potest excommunicatus toleratus missam celebrare à populo requisitus etiam si nõ sit Pastor ob populi vtilitatẽ.Ita Doctores citati supra,& hoc procedit etiam si detur copia ministrorum non excommunicatorum. Ita Præpositus loco cit. vers. vnde Fillucius, &c.in fin.Et ratio ab ipsomet Præposito fertur, quia cum alij non teneantur eum vitare etiam in Sacramentis, per extrauagantem ad cuitanda, non peccant contra censuram, quod ab eo petant Sacramenta, nec peccant ex eo, quia inducũt Sacerdotem ad celebrandum,

Digitized by Google

dum, & consequenter ad peccandum, nam Sacerdos non peccat, cum non se ingerat, sed rogatus hoc facit, & rogatur facere actionem non prohibitam, quia alij possunt communicare cum illo in hoc: ergo etiam ipse cum alijs: Nam si alij cum ipso, & ipse non cum aliis communicare posset, sequeretur quod semper alij inducerent talem ad peccādum in communicando, & consequenter peccarent; ergo non liceret alijs cōmunicare cum tali excommunicato, cōtra quod concessit extrauagans ad euitanda, &c. extrauagans.n. concedit petere Sacramenta, & communicare cum illis in Sacramentis, nec valet dicere, quod extrauagans non intendit priuilegiare excommunicatos, nam hoc est per accidens, nēpè ratione cōmunicationis, immò nec priuilegium est, sed est pœna, inquit Fagundez, cum non possit sacrificare, nisi ad petitionem alterius. Et sic videtur esse eadē ratio de Sacramētis, ac de sacrificio missæ: vnde si extrauagans permittit posse petere Sacramenta, etiam concedit posse petere missam, sicut fusius diximus sup. resol. 5.

42 Sic Parochus excommunicatus potest matrimonio assistere, si toleratus sit, vel non. Sanchez lib. 35. de matrimonio cap. 21. nu. 4. Pontius lib. 5. de matrimonio, cap. 17. §. vnico nu. 6. & quod Parochus non toleratus peccet assistendo, tenet Vasquez in 3. par. tom. 4. tract. de excommunicatione, dub. 7. num. 7. vide Dianam 3. par. tract. 4. de Sacramentis resol. 233. nec peccat quidem Parochus etiam non toleratus si matrimonio assistat, quia hoc facit ob vtilitatem, seu potius necessitatem cōtrahentium, si enim licitum est sponsis ratione necessitatis cum Parocho communicare, licitum erit etiam Parocho ipsis assistere, ita Sanchez loc. cit. nu. 8. Hurtado disp. 5. de matrim. difficult. 8. nu. 27. Diana loc. cit. resol. 78. & 79. quidquid in contrarium asserat Pontius loc. cit. nu. 11. nec ex eo, quia matrimonium non est Sacramentū necessitatis potest dici, quod nō sit necessitas assistendi, vt dicit Basilius, quia necessitas vt sic facit, vt sit licitum communicare cum excommunicato, & non necessitas Sacramētorum tantum, vt omnes Doctores communiter.

43 Sic excommunicati ante sententiam possunt sepeliri in Ecclesia, ita Fillucius tom. 1. tract. 12. cap. 4. n. 106. & alij apud Dianā loco cit. resol. 97. & qui tales sepelit non incurrit censuram aliquam, inquit Auila 2. par. cap. 6. disp. 9. dub. 6. §. ad primum, vers. per hæc patet, &c. & disp. 10. dub. 1. concluſ. 3. sub finem, & dub. 6. concluſ. 3.

44 Nec etiam sunt excommunicati sepelientes hæreticos etiam notorios, sed non dum denuntiatos, quia clement. 1. de sepulturis, & cap. quicumq; de hæreticis in 6. sunt intelligenda de excommunicatis, & hęreticis denunciatis. Nauarr. cap. 27. man. num. 137. Henriquez lib. 13. cap. 11. §. 3. Ægidius tom. 2. disp. 14. in fine dub. 10. Auila par. 2. cap. 6. disp. 10. dub. 6.

Nec locus sacer violatur per talem sepulturam, quia eo ipso, quod tales vitandi non sunt, sed tolerati, nulla censura ex ipsorum communicatione à fidelibus, aut sacris locis incurri potest, vide Layman lib. 2. tract. 5. par. 2. cap. 4. nu. 8. Dianam loc. cit. resol. 98.

45 Sic etiam excommunicati ante sententiam, seu tolerati possunt resignare sua beneficia in fauorem tertiæ personæ, & resignatio valet. Fillucius tom. 2. tract. 12. c. 6. n. 153. Diana loco cit. resol. 106. vers. notandū est tamen, &c. sicut etiam ipsi excommunicato tolerato beneficia validè conferri possunt. Ita Hurtadus disp. 6. de excommunicatione difficult. 1. n. 6. Diana l. cit. resol. 99. Sic Iudex excōmunicatus toleratus validè exercet suam iurisdictionē, & acta per ipsum sunt valida. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 7. n. 57. qui citat Nauar. cap. 27. nu. 7. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. ar. 1. Henriquez de excommunicatione cap. 7. Diana loc. cit. resolut. 109. An verò talis Iudex peccet, peccare mortaliter, putat Coninch de Sacramentis disp. 14. num. 148. venialiter tantum putat Caietanus

verb.

Digitized by Google

verb. excommunicatio vetita. Barthol. Ledesma de excomm. dub. 9. Nauarr. cap. 29. num. 28. & seq. Diana loco cit. resol. 131.

46 Sic etiam acta per tabellionem excommunicatum toleratum sunt valida, nec ipse peccabit illa faciendo, si requisitus faciat, secus si se ingerit. Ita Fillucius tom. 1. tract. 12. cap. 7. num. 186. Diana loco cit. resol. 102. in fine, vnde licitum est communicare cum excommunicato tolerato, ac si excommunicatus non esset, etiam in participatione Sacramentorum, vide Dianam loc. cit. resol. 117. licitum est etiam Sacramenta petere sine necessitate, vel maiori vtilitate, nec ego petendo, nec ille ministrando vllum peccatum committimus. Ita Sotus in 4. dist. 22. q. 1. ar. 4. col. 1. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 9. num. 8. Diana loco cit. resolut. 133. Layman lib. 2. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 5.

Nec dicas, quod publici percussores clericorum etiam faciunt actus nullos, quia sunt vitandi sine sententia Iudicis, &c.

47 Quia contra est, nam etiam requiritur sententia Iudicis ad hoc, vt actus efficiantur nulli à publico percussore clerici; hæc sententia est Couarr. in cap. Alma mater par. 1. §. 2. nu. 7. vers. tertio hinc constat. Fagundez primi Ecclesiastici præcepti lib. 2. cap. 8. nu. 12. his verbis. Sed restat inquirere quis sit publicus, & notorius clerici percussor, vt illum vitare teneamur. & dico illum talem esse debere, vt eius percussio nulla possit tergiuersatione celari, nullo iuris remedio excusari, ac proinde, vt optimè docet Couarru. in cap. Alma mater 1. par. §. 2. num. 7. vers. tertio hinc constat, non sufficit, vt quis vitetur, quod constans fama publicet illum fuisse percussorem publicum clerici, cum adhuc iuris remedio excusari possit, dicendo se non cognouisse illum esse clericum, se ebrium esse, aut in suam iustam defensionem fecisse, & tergiuersatione celari, allegãdo in iudicio rumoris falsitatem, quamobrem quamdiu per Iudicis sententiam non constat illum iuris remedio non posse excusari, non est notorius percussor, requiritur ergo primò, q illa percussio sit notoria notorietate iuris, vt nullo iuris remedio possit excusari: Hæc Fagundez ibi.

48 Quòad suspensionem verò respondeo, quod suspensio secundum omnes duplex est, vel enim est suspẽsio ab officio, vel beneficio: suspensio ab officio est circa ministrationem Sacramentorum. Minister verò Sacramentorum est instrumentum tantum, & non est instrumentum necessarium, sed voluntarium electum à causa principali, quæ est Christus Dominus, non solum quoad potentiam, sed etiam quoad actum secũdum. Hanc electionem ad ministrandum Christus Dominus reposuit penes Ecclesiã: Ecclesia verò est veluti cõditio applicans, & vult eligere hos, & non illos, & taliter maculatos in conspectu Dei non vult, vt ministrent coram illo, & sic mirum non est si suspensio ab officio incurratur ante sententiam Iudicis, & si pœna sit. Nam cum taliter maculati non sint electi ab Ecclesia ad ministrandum, si ministrant videntur ministrare sine volũtate Ecclesiæ, quæ ministratio, quia est corã Deo, qui intuetur cor, cognoscitur ab ipso non esse cũ voluntate Ecclesiæ, & sic sine vllo actu delinquentis incurri potest, nam sufficit tantum, quod coram Deo nõ sint ab Ecclesia electi.

Hæc autem electio semel facta non includit in se, vt necessariò deinde cadẽ persona iterum eligatur, quòad exercitium ordinis, cum ergo, actus secundus ordinis respiciat pro sua causa principali Christum, & pro conditione applicante voluntatem Ecclesiæ, si voluntas Ecclesiæ cesset, non habet conditionem applicantem, & sic & si valide, quia est verè Sacerdos, tamen illicitè operatur. Hinc est quod ne illicitè operetur, debet ante sententiam se abstinere secũdum voluntatem Ecclesiæ: quæ facit, vt licitè instrumentum

Digitized by Google

Christi sit ad operãdum in materia Sacramentorũ; & quia hæc applicatio est in posse Ecclesiæ, ideo potest illam retinere pro suo libito. At non sic in alijs pœnis negatiuis, nam quando aliquis non suffragatur, illa suffragatio non recognoscit pro causa principali ipsum collegium, nam suffragans non est instrumentum collegij, sed pars ipsius, & ideo ipse suffragans est causa principalis, & immediata, ergo ipse contra seipsum debet damnum inferre, ergo mirum non est si in suspensione statim incurritur, in alijs pœnis negatiuis nõ verò sed post sententiam. Hoc videtur dicere Sotus lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6. Et hęc responsio cõuenit etiam irregularitati, nisi velimus dicere, quod sit inhabilitas, & nõ pœna, sicuti deformitas corporis, defectus lenitatis, &c.

Si verò loquamur de suspensionibus à beneficiis, vel iuribus, respondeo quod facit suspensus fructus suos vsq; ad sentẽtiam Iudicis, & potest exercere omnia iura, à quibus suspẽditur. Quod possit exercere tenet. Auila loc. cit. dub. 3. concluf. 2. pag. 216. etiam si suspensio sit publica, si non sit nominatim denunciatus; & quoad fructus Ioannes Præpositus in 3. par. q. 2. de suspẽsione dub. 2. n. 22. Diana 5. par. tract. 10. de suspensione resol. 3. circa medium, qui nõnullos DD. citat, & clarius idem Diana 5. par. tract. 9. resol. 104.

49 Hinc est, quod si confessarius qui est suspensus, sed non est nominatim denunciatus, absoluat, valida est absolutio, vt deducitur ex Auilà 2. par. disp. 2. dub. 3. vers. secũda cõcl. pag. 216. Diana 5. p. resol. 52. & clarius resol. 11. trac. 10. ex Victoria, Caietano, Nauarro, & alijs, & apertè patet ex extrauagãti Ad euitanda, & hanc sententiam docet etiam Ludouicus à Crux in bulla cruciatæ disp. 1. cap. 2. dub. 18. nu. 7. & idem dicendum est de excommunicato tolerato, vt idem Auila 2. par. c. 6. disp. 6. dub. 3. & expressius 2. par. cap. 6. disp. 3. dub. 2. concluf. 3.

50 Sic etiam collatio beneficii facta suspenso, vel interdicto valet. Ita Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 116. vers. notandum tertio, &c. nam collatio est tantum irritanda, & non irrita ipso facto: hinc fit, q̃ post ablatam suspensionem potest ille tuta conscientia frui beneficiis obtentis tempore suspensionis, vt Lessius ibi. Sanchez de matrimonio lib. 8. disp. 7. n. 12. Diana par. 5. trac. 9. resol. 100. & 101.

Vel possumus respondere ad argumentum Vasquez cum P. Alfonso de Leone de censuris recoll. 1. num. 80. ex Suarez, quod scilicet aliæ pœnæ non sunt debitæ nisi post sententiam, pœnæ vero censurarum statim ligant, quia hæ pœnæ sunt spirituales, & medicinales, & ideo animam statim ligare cẽsentur, & cum hac veneratione, & timore semper suscepta sunt, aut quoniam per censuras separatur quis à communibus bonis Ecclesiæ tanquam indignus, & ideò statim obligatur in conscientia, vt se separet, & abstineat, pertinet enim ad pastorem Ecclesiæ separare indignos, & illis præcipere, vt se separent, quod præceptum in ipsa censura includitur. Hæc Suarez relatus à P. Alphonso supra.

Ex dictis colligitur primò leges pœnales, quæ priuant ipso facto voce actiua, & passiua non obligare, nisi post sententiam. Ita Sotus lib. 1. de iustitia q. 6. ar. 6. & lib. 4. q. 6. ar. 3. Granado in 1. 2. cõtrou. 7. tract. 3. par. 1. disp. 13. sect. 12. nu. 15. Ledesma 2. par. q. 18. ar. 1. §. postremo hęsitat. Sosa in explicatione Bullæ Clementis VIII. de largitione munerum, §. 9. Molina de iustitia tom. 1. tract. 2. disp. 96. num. 8. inclinat Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 30. nu. 2. Diana 1. par. tract. 10. resol. 24.

52 Collige secundò examinatores synodales, si aliquid accipiant ab examinandis, non teneri in foro conscientiæ ad resignanda beneficia obtenta, & si simoniam committant, sic etiam examinãdos talia munera largiẽtes. Ita Quaranta in summa Bullarii, verb. simonia, §. tertio amplia, pag. mihi 471. Henriquez lib. 13. cap. 37. num. 8. teneri verò

post

Digitized by Google

post sententiam, & in foro fori.

Dices ex Bonacina de simonia disp. 1.q.7.puncto 2. difficult.1.num.5.quod oppositum apertè constat ex Concilio Trid. sess. 24. de reformat. cap. 18. vbi hæc habet,Caueant ne quicquam prorsus occasione huius examinis,nec ante, nec post accipiant,alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant,à qua absolui nequeant,nisi dimissis beneficiis,quæ quomodocumq; etiã ante obtinebant,& ad alia in posterum inhabiles reddantur,&c.igitur in Concilio Trid.dicitur vt absolui non possint (inquit Merolla supra nu.85.)à peccato simoniæ, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunq; ante obtinebant: ergo obligat illos in conscientia ad dimittenda beneficia, nam aliàs non posset præcipere, vt non absoluantur, quia si (hæc sunt verba Merollæ) non tenentur dimittere beneficia, non peccant non dimittendo: ergo possent agere pœnitentiam de priori peccato, & sufficiẽter disponi, vt absoluantur: ergo non poterit illis denegari absolutio: Hæc Merolla,&c.

Sed cõtra est,nam ibi Concilium loquitur in foro fori,nõ verò in foro conscientiæ, quod patet ex verbis ipsius Concilii,quæ hæc sunt,Et ad alia in posterum inhabiles reddantur, & de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Prouiniciali (si opus erit)rationem reddere teneantur,à qua si quid contra officiũ eos fecisse cõpertum fuerit,grauiter eius arbitrio puniri possit, &c.si enim Cõcilium loquutum fuisset in foro conscientiæ, ad quid dicere, quod de his omnibus rationem reddant coram Synodo Prouinciali? Aut forsan Concilium petit,vt quod in confessione compertum fuerit,in Synodo denuncietur? absit hoc dicere.

53 Et quod hęc sit mens Concilii demonstrauit Pius IV. in clausula bullę 72. super reformatione pœnitentiariæ, quam adducit additio Bullę Quarantę verb.simonia,pag.mihi 471.vbi loquẽs Pius IV.cum pœnitentiariis, qui absoluere debebant simoniacos, hęc habet, Caueat autem Pœnitẽtiarius ne in absolutionibus à simonia reali, vel conuentionali etiam occulta vnquam concedat,vt ipsi simoniaci beneficia, super quibus simoniam commiserunt,seu pecunias, vel alia pro illis recepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos in toto, vel in parte retinere possint, quinimmo & in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula, quod vterq; ad beneficium super quo fuit commissa simonia perpetuò inhabilis existat, &c. vbi vide quod Pius IV. prohibuit Pœnitentiarios absoluere simoniacos, nisi prius resignẽt beneficium per simoniam tantum obtentum, & non loquitur de prius ritè obtentis,signum igitur est,quod ita etiam est intelligendum Concilium.

Ad consequentias Merollæ facile respondetur, nihil tale colligi posse à verbis Concilij,quod scilicet à culpa, seu peccato simoniæ in conscientia absolui nõ possint, immò oppositum colligitur, quia postquam concilium dixit *alioquin simoniæ vitiũ tam ipsi,quam alij incurrãt*,subdit *à qua absolui nequeãt*, vbi vide quod relatiuum à qua nõ ad vitiũ, seu peccatum simoniæ in conscientia refertur, sed ad simoniam ipsam,& sic potius in foro fori, nam in foro fori cõsideratur simonia, vt sic. An vero sit vitiosa,seu cum culpa,vel nõ,nihil tale in foro fori, sed tãtum in foro cõscientiæ, & sic postquã simoniacus obtinuit absolutionem ab excõmunicatione contracta ratione simoniæ,potest beneficia prius obtenta retinere, & est tutus in conscientia: sicut etiam de omni simonia dixit Henriquez lib.13.cap.37.n.5. litt.A.2.& 3.in gloss.Auila loco sup.cit. & Vasquez loco sup. cit. & Confessarij tenentut ipsum absoluere sine vlla alia resignatione beneficiorum,&c.

54 Respondet secundò à Castropalao de lege pœnali tract.3.disp.2.puncto 2. num.10.vers. tertio adducit,&c.in fine, quod debemus explicare Tridentinum loc.cit.priuans beneficijs ante obtentis

Digitized by Google

examinatores simoniam in examine committentes, vt scilicet absolui non possint à peccato simoniæ, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocumq; ante obtinebant, subintelligitur si fuerit eorum crimen declaratum, sic Salas de legibus disp.15.sect.2.nu.31.Lessius lib.2. de iustitia cap.35.dub.26.num.147.hæc omnia à Castro vbi supra.

55 Sic etiam dicendum est de simonia confidentiali, qui enim beneficium in confidentia recipit,non tenetur beneficia ritè prius possessa resignare,nisi post sententiam, vnde resignato beneficio in confidentia accepto, & absolutus à censura incursa, potest in tuta cõscientia beneficia prius possessa retinere. Ita Henriquez loc.cit.in gloss.lit.B. Suarez etiam lib.5.de legibus cap.8. nu. 16.retractans sentẽtiam, quã docuerat tom. primo,de religione,lib.4.vers. nota decimo,c.43.in fine, idem etiam affirmat Ferdinandus à Castropalao loco cit.

56 Sic etiam dicendum est de accipientibus aliquid in Curia pro gratia, vel iustitia,non enim tenẽtur beneficia obtenta resignare,ex lege Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. quam interpretatur Nauarr. lib. de datis, & acceptis, nisi post sententiam declaratiuam culpæ, Ita à Castropalao loc.cit.Salas de legibus q.96.tract.14.disp.15.sect. 2. nu.31. vers.Pii V.&c.in fin.

57 Sic etiam dicendum est de omnibus aliis simoniacis,qui secundum Tridentinum sess.24.cap.18.& ex Constitutione Pii IV. aduersus committẽtes simoniam, spoliantur beneficiis obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda; Hi enim non tenẽtur beneficia resignare, quia obligarentur sæpè ad manifestandum seipsos,vel ad patiendam grauem necessitatem; ergo signum est priuationem tituli non esse delicto annexam,aliàs priuato non liceret Sacramẽta ministrare, & alia iura, & munera, quę ratione beneficii cõceduntur,exercere,neque posset fructus beneficii recipere. Sic discurrit à Castro loco cit. vers.dicendum est tertio,&c.qui pro se citat Sà verbo lex,num.11. Parez lib. 2. ordin.reg.tit.9.l.2.Couarr.2.par. sponsalium,cap.6.§.8.num.8.& 10.Vasquez de legibus disp.178.cap.4.num.28.Castrum lib.2.de iusta hæret. punit. cap.9. Less.lib.2.de iustitia,cap.29.dub.8.cap. 34.dub.34.& cap.35.dub.26. & 27. Salas de legibus disp. 15. à num. 46. Sanchez lib.3.de matrimonio,disp. 53. à n. 5.& sequ.& lib. 7.disp.89.n.11.

58 Sic etiam dicendum est de occidente alium per assassinum, qui ex cap. pro humani,de homicidiis in 6.priuãtur officio, & beneficio ipso facto, taliter quod liberè aliis possint conferri, non enim hi tenentur beneficia, vel officia resignare,nisi post sententiam declaratiuam criminis: & hoc etiam patet ex verbis ipsius textus,nam ibi hæc habes; Postquam probabilius constiterit argumentis aliquem tam execrabile scelus commisisse,&c.quæ verba ad notitiam publicam,& iudicialem debent referri. Hæc omnia à Castro loco cit. n.10.

59 Sic etiam dicendum est de alienantibus bona suorum beneficiorum,qui per extrauagãtem Ambitiosè de rebus Ecclesiæ non alienandis, priuati existunt ipso facto,& absque alia declaratione, hi enim debent etiam expectare sententiam declaratoriam culpæ.Ita à Castro loco cit.

60 Sic etiam dicendum est de Abbatissis,& alijs superioribus Monialium, cõcedentibus facultatẽ egrediendi à clausura alijs monialibus: Hę superiores statim factæ sunt inhabiles ad dignitates,administrationes,& officia,ex motu proprio Pij V.incipiente, Decori,& honestati,&c.Hæ enim debent expectare sententiam declaratoriam culpæ. Ita Sanchez in opere morali lib.8.cap. 16. num.65.

61 Collige tandem vniuersaliter,quod quandocumquè in lege pœnali apponuntur illa verba *ipso facto, & absque alia declaratione*, &c. Subintelligitur absque alia declaratione pœnæ, & non culpæ,culpa enim semper est à Iudice declaranda in legibus pœnalibus ad hoc,

Digitized by Google

hoc,vt pœna debeatur, ita sentit à Castropalao loco cit.nu.12.& 13.Farinac. 2.par.fragm.crim.num.157. & nu. 164. pag.202.& 203.

62 Quod in tantũ verũ est,vt nullo modo possit exequutioni mãdari,nisi prius talis declaratio præcedat.Ita à Castro loco cit.Ad quam declarationẽ faciendã prius est citãdus reus. Iulius Clarus in pract. §.finali, q.31. nu.3. vers.Item adde,&c. Card.Tuscus in verb. Declaratio,conclus.98.num.62.Farinac. supra num.167.& 168.qui etiam docet, quod de tali declaratione possit dari appellatio.

Dices: ergo frustra apponũtur verba illa in lege pœnali *ipso facto*, *& absque alia declaratione*. Nec differt lex pœnalis statuens pœnam ipso facto, & lex pœnalis statuens pœnam ferẽdam, sed omnis lex pœnalis erit de pœna ferenda,& non lata.

63 Sed contra est,nam non sunt frustratoria illa verba. Quia pœna ipso facto imposita non debet expectare sententiam condemnatoriam, sed sufficit declaratoria criminis, at pœna infligenda debet expectare sententiam condẽnatoriam,& hæc est prima differentia inter legem impositam ipso facto, & ferendam.

Secunda differentia est, quia omnes actus,qui fiunt ab illo, qui delictum cõmisit, in quo erat pœna impositа ipso facto,sunt irritandi, si irritabiles sunt: vnde si priuatur officio, vel beneficio, vel bonis ipso facto,tenetur post sentẽtiam restituere fructus perceptos fisco petenti,& de alienatione facta de ipsis potest rescindi cõtractus à fisco,si in dãnum ipsius celebratus sit, quia omnia transeunt cum illo onere.Secus verò est dicendum de sententia ferenda.

Tertia differentia est, quod hæredes rei defuncti,qui crimen cõmisit, in quo erat annexa pœna ipso facto,&c.possũt conueniri ad persoluendam pœnam realem, quam debebat defunctus pro tali delicto,quia trãsit hereditas ad illos cum tali onere: Non sic hæredes defuncti rei committentis crimen cum pœna ferenda. Ita Salas disp.15. de legibus, sect.3.num.43.Thomas Sanchez lib. 2. in decalog.cap.22,num.28.Vasqu.loco cit.disp.170. cap.4. Henriquez lib.13. cap.56.num.2.lit.N.in glos.à Castropalao loco cit.n.13.

Dices cum Merolla loco cit. cap.5. num.105.vers.sed contra,ex Suarez tomo primo de religione, lib.4.de simonia,cap.9.Quod & si istæ differentiç veræ sint, quòad alias pœnas priuatiuas, tamen verificari non possent de priuatione vocis actiuæ,& passiuæ, quia sententia non retrotrahit suffragium iam datum,ita quod nullum faciat,quia fuit actus validus ex communi errore inhabilitatis,& titulo colorato. l.Barbarius, ff.de officio Prætoris: ergo nulla est differentia inter pœnam ferendam,& ipso facto,cum pœna est priuatiua vocis actiuæ,& passiuæ.

64 Sed contra est, quia etsi suffragium validum fuit quòad suffragium,tamen in ordine ad collegium possunt repeti munuscula, quæ dantur ad finem suffragandi à promouendis post sententiam, & ad hoc deseruit retrotractio, & hoc de facto accidit temporibus nostris,in quodam medico, qui fraudulenter se aggregare fecit in Collegio Neapolitano,ac fraude detecta non fuit dubitatum de suffragio (quia iam de Collegio fuerat,imò multoties fuit Prior, & Promotor) sed de munusculis acceptis, q si sub pœna esset, non teneretur à die cõmissi criminis. Habet ergo retrotractio suum effectum, quod est restitutio munusculorum à die cõmissi criminis. In alijs verò communitatibus in quibus munuscula non dantur suffragantibus, dico quod etiam differentia est manifesta, nam quando ipso facto fertur sententia,tunc quantum est ex parte sentẽtiæ,& nisi dispensatio adesset, vtiq; suffragium esset nullum;nisi enim l.Barbarius,ff.de officio Prætoris,& extrauagãs ad euitanda dispensaret cum illis, seu actus illorum validos declarasset, vtiq; essent nulli; at quando sententia est ferenda,

Digitized by Google

renda, nempe sub pœna, &c. tunc actus non sunt nulli ex priuilegio, sed de natura sua: esse enim validos ex dispensatione legis, & esse validos de natura sua multum differt. Sicut actus effecti ab excommunicato per excommunicationem latam ipso facto sunt validi vsque dum non denuncietur, sicut sunt validi actus effecti ab excommunicato per sententiam ferendam, & tamen primi sunt validi ex dispensatione extrauagantis, Ad euitãda. Secundi verò actus sunt validi ex natura sua. Addo quod hæc differentia etiam est assignanda à Merolla, nam ipse defendit in num. 107. quod tantum in actiua voce, non in passiua habet locum inhabilitas ipso facto. Quæro ergo, quæ differentia est inter inhabilitatem passiuam ipso facto, & inhabilitatem ferendam, si tam prima, quam secunda debet expectare sententiam Iudicis? Merolla enim nullam assignare potest, nisi quæ à nobis assignata est.

Dices ex eodem disp. 4. de legibus, cap. 5. dub. 4. à num. 94. Quod istæ differentiæ benè saluantur per illa verba *ipso facto*. Sed quando in lege apponũtur illa verba, *absq; alia declaratione*, quid operantur? nam hæc omnia .s. retrotractio actionis ad diem commissi criminis, irritatio contractuum, conuentio heredum ad soluendas pœnas, &c. habentur à particula, *ipso facto*, vt Doctores citati pro nobis etiã concedunt; ergo essent frustratoria illa verba *absq; alia declaratione*, quod dici non debet, neque etiam concedit Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 46. nu. 6. & lib. 8. disp. prima, num. 26. vbi ait in decretis, ac rescriptis Pontificijs verba aliquid operari debere. Nec dicas cum Sãchez lib. 2. summæ, cap. 22. nu. 28. (inquit Merolla) quod sint imposita pro maiori declaratione, & sic non esse superflua. Quia hæc doctrina (sequitur Merolla n. 98.) repugnat doctrinæ eiusdem Sãnchez lib. 3. de matrimonio, disp. 26. num. 6. & lib. 8. disp. prima, num. 26. vbi ait in decretis, & responsis Pontificijs verba aliquid operari debere, & hoc adeò verũ esse, vt non solum verbum, & quælibet dictio non debeat esse sine effectu aliquid operandi, sed etiam quælibet syllaba: ex quo infert dicto num. 26. cõtra Molinam, Sayrum, & Henriquez, quod quamuis dispensatio illegitimi ad ordines non extendatur ad sacros, secus tamen si dispẽsatio esset ad omnes ordines, nam aliàs illa particula, *omnes*, esset superflua, & tamen posset ad hoc respõdere Auctores, quos impugnat, non esse superfluam, quia additur ad maiorẽ declarationem, ne fortè dispẽsationem ad ordines posset quis interpretari, vt intelligatur tantum de duobus ordinibus minoribus, & non de omnibus. Hęc in num. 95. & sequitur in num. 96. Quare longè probabilius existimo quotiescunque in lege pœnam imponente ipso facto incurrendam, adduntur illa verba, *absque alia declaratione*, non requiri aliam sentẽtiam Iudicis declaratoriam etiam criminis: sed teneri reũ in conscientia ad exequendam pœnam ibi impositam. Hæc omnia Merolla supra.

65 Sed contra est, Nam Merolla dicit, quod si verba illa deseruiunt tãtum ad maiorem explicationẽ nihil operãtur, si enim magis explicant; ergo aliquid, nempe explicationem maiorem operãtur; superfluitas enim in lege, aut decreto vitãda est, cap. si Papa, de priuilegiis in 6. & superfluum dici non debet, quod magis legem explicat, & verũ est, quod non solum verbum, sed etiã dictio quælibet non debet etiã esse sine effectu aliquid operandi, & quælibet syllaba, vt docet glossa cap. solitæ, verbo tanquam de maioritate, & obedientia, sed in casu nostro habet suum effectum nempè declarationẽ maiorem suæ sententiæ, quę maior declaratio etiam effectus est.

66 Neq; hęc doctrina repugnat doctrinę Sanchez, nam non poterant aduersarij Sanchez dicere, quod dispẽsatio ad ordines intelligebatur tantum de duobus ordinibus, quia sciebant propositionem indefinitam æquipollere vniuersali; & quia

Digitized by Google

quia sumus in materia dispensationis, quæ strictam recipit interpretationem, & promissio in genere mediocritatem respicit, l. finali, §. primo, C. communia de legatis, & l. legato generaliter, ff. de legatis primo: & ordines minores medij sunt inter primam tonsuram, & ordines maiores, ideò dispensatio illegitimi ad ordines, vt sic, & non ad omnes ordines, est intelligēda de omnibus ordinibus minoribus tantum, &c. & quando dicit ad omnes ordines, est intelligēda etiam de sacris, hoc enim operatur particula illa, omnes.

Si ergo promissio in genere respicit mediocritatem, determinata per particulam ad omnes ordines intelligenda est, vt sonat, nempe de ordinibus etiam sacris: nec potest dici, quod illa particula, omnes, sit posita ad maiorem explicationem de ordinibus minoribus tantum, quia cum contrahat particula illa promissionem generica, & ex indefinita dispensatione facta sit dispensatio vniuersalis, non explicat primam, sed ampliat cum materia dispēsationis de natura sua esset restringenda.

Sed quia in casu nostro particula illa, absque alia declaratione, nō contrahit primam, nempe ipso facto, imò sunt eiusdem ponderis, & valoris, mirū non est, si deseruit tantum ad maiorem explicationē, nō verò ad ampliationē, &c.

Patet ergo ex dictis pœnas priuatiuas non esse subsistentes, nisi post sentētiam declaratoriam culpæ, quantumuis sint illa verba, ipso facto, absque vlla declaratione.

SVMMARIVM.

Lex humana pendet à lege naturali, vel per modum consequentia, vel per modum determinationis; obligatio legis positiuæ primi modi habet vim obligandi ab ipsomet iure naturali, independenter ab humano præcepto. Obligatio legis positiuæ secundi modi non oritur integrè à lege naturali, nisi accedente præcepto Principis; vnde materia legis primi modi ideo prohibita, quia mala; secundi modi ideò mala, quia prohibita. num. 1.

Materia legis positiuæ est à lege naturali per modum determinationis, tanquam particulare in suo communi, non tanquam species sub genere. num. 2.

Vis legis humanæ est à lege naturali per modum determinationis. num. 3.

Lex positiua, quæ pendet à lege naturali per modum determinationis, & si non differat à lege positiua dependente per modum consequentiæ quoad vim, & entitatem præceptam, tamen differt quòad obligationē, seu quòad modū obligandi, cū præceptum Principis ingrediatur essētialiter ad obligationem per modum determinationis, at non ingreditur ad obligationem legis per modum consequentiæ. num. 4.

Clerici tenentur ad leges Principum secularium, sed non quia sunt à Principibus secularibus, sed quia leges vim habent à lege naturali. num. 5.

Quod est sub præcepto naturali confuso modo per præceptum Principis determinatur, seu articulatur. num. 6.

Clerici sunt compartes Reipublicæ. eod. num.

Clerici non tenentur ad leges Principis secularis quatenus sunt à Principe seculari. num. 7.

Principium obligādi potius in tali materia, quam in alia est voluntas Principis. n. 8.

Quod impij sint puniendi est præceptum latū Principibus potestatem habentibus, non verò subditis. num. 9.

Pœna ad hoc, vt executioni mandetur debet expectare sententiam Iudicis. num. 10.

Iustitia pretij in contractu emptionis est à iure naturali non à voluntate Principis, & ideò clerici tenentur vendere pretio taxato. num. 11.

Potest subditus vendere vltra taxam, quando hæc non est iusta. eod. num.

Clerici non tenentur ad pœnam impositam à Principe seculari, etiam si illam culpam committant pro qua talis pœna est imposita. num. 12.

Pœna in clericos est à iure naturali deducenda à Pontifice, vel ab Episcopo, & non à Principe seculari. n. 13.

Clerici tenentur seruare solemnitates cōtractuum,

Etnum,quia sunt approbata à iure canonico; secus verò est dicendum de testamentis disponentibus ad pias causas.n.14.

Clerici tenentur soluere gabellas impositas pro bono aquè respiciente clericum,ac laicum.num.15.

Clerici sunt exempti à coactione solutionis gabellarum.num.16.

Quando bona communia laicorum non sufficiunt, & magna est necessitas communis, tenentur clerici soluere gabellas impositas pro bono communi ipsorum secularium, accedente tamen concursu Episcopi, & cleri, si difficilis sit aditus ad Summum Pontificem.num.17.

Vnde & si bona singulorum Ciuium sufficerent, sufficit si bona cõmunia non sufficiãt ad hoc,vt clerici teneantur,cum consensu tamen Pontificis.eod.num.

Priuilegium clericorum non consistit in non contribuẽdo, sed in non cognoscẽdo Principem secularem in impositionibus,sed voluntatem Pontificis.num.18.

Concilia,& iura non intelligunt clericum priuilegiare circa contributionem ob publicam necessitatem, sed potius iurisdictionem Ecclesiasticam conseruare.n.19.

Impositiones non respicientes aquè principaliter vtilitatem cleri,ac secularium, non tenentur clerici persolucre.num.20.

Exactiones pedagiorum tàm iure ciuili,quàm canonico sunt regulariter damnatæ.eod. num.

Impositiones, quæ non apparent concessæ ab Imperatore,vel Rege,vel Lateranensi Cõcilio,vel Consuetudine, sunt damnatæ de iure canonico. Exactiones verò damnatæ de iure ciuili sunt,quæ imponuntur sine auctoritate Principis.num.21.

Clerici non tenentur soluere taleas, & collectas,quæ exiguntur pro necessitate,vel recognitione vassallagij Principis secularis.num.22.

Nec pedagia,& guidagia pro rebus,quas ad vsum proprium deferunt.n.23.

Nec impositiones angarias, & perangarias ratione vassallagij soluendas. num.24.

RESOLVTIO LXVI.

An clerici obligentur legibus Principis secularis?

LOquor hic de legibus cõuenientibus statui Ecclesiastico, & rectæ gubernationi Ciuitatis, concurrẽtibus clericis,& laicis, & libertatem Ecclesiasticam non lædentibus.

1 Pro responsione suppono primò, leges humanas dupliciter pendere à lege naturali. Vno modo per modum cõsequentiæ,seu conclusionis à principio. Alio modo sicut determinationes quædam aliquorum communium, seu per modum determinationis legis positiuę, quæ pendet à lege naturali. Primo modo, nempè per modum consequentiæ obligatio oritur ex ipsomet iure naturali, nulla facta suppositione humani præcepti,e.g.ex hoc principio,Quod tibi nõ vis,alteri ne feceris,prouenit hæc cõclusio,Ne occidas;obligatio ergo nõ occidendi etiam nulla accedente volũtate Principis præcipientis habet suam obligationem ex ipso iure naturali.Lex verò,seu obligatio legis secundo modo non integrè oritur à lege naturali, nisi accedẽte etiam præcepto,& iussu Principis.Ità Vasquez 1.2.quæst.5.ar.3.c.3. nu.15.& 16.Vnde lex positiua, seu materia legis positiuæ primi modi ideò prohibita,quia mala.Secũdi modi ideò mala,quia prohibita.Ita D.Tho. prima secundæ,q.95.ar.2.in corpore,verb.sed sciendum.

2 Suppono secundò,quod in lege positiua humana per modũ determinationis possumus considerare duo, nempè primò materiam ipsam legis; secundò vim ipsam legis positiuæ;Materia est à lege naturali,e.g.quod impij sint puniẽdi, punitio vt sic est origo, vnde oritur talis punitio,& sic talis punitio determinat punitionem vt sic, tanquam particulare aliquod commune, & impij vt sic determinantur ad tales impios:hinc deducitur,quod fures sint suspendẽdi. Punitio enim vt sic,quæ est à lege naturali,

Digitized by Google

rali determinatur ad furcam à lege positiua,& impii, vt sic determinantur ad fures ab eadem lege positiua: vnde materia ipsa legis positiuæ est à lege naturali per modum determinationis alicuius communis ab aliquo particulati, nō verò per modū generis, quod determinatur à specie,vt putat Sotus de iustitia q.5. art. 3. vers. ad quæstionem in fine pag.mihi 10.à terg. quia species non continetur in genere, sed sub genere, at particulare cōtinetur in suo communi,& non sub suo communi.

3 Si enim consideratur uis legis positiuæ,hæc non oritur à determinatione ipsa legis positiuæ,sed à lege ipsa naturali.Nam lex positiua non obligat, nisi sit in ordine ad bonum commune, secundum rectam rationem, ab habente potestatem eligendi magis hoc, quam illud medium,sub illo communi præcepto iuris naturalis; ergo si determinatio in tantum vim habet, in quantum substratum suum est sub præcepto naturali, tanquam pars in toto,seu particulare in communi, vim suam habet à præcepto naturali,seu à communi, quod est præceptum naturale. Nam sicut materia particularis legis positiuæ pendet à cōmuni, ita vis materiæ legis positiuæ pēdet à vi legis naturalis,vt dearticulatio quædam ipsius iuris naturalis. Ita Caietanus ex D.Thoma loc.citato. Quod magis probo, nam si determinatio sit à lege positiua, & non secundum ius naturale,nullam obligationem parit;ergo vis in lege positiua determinante prouenit à lege naturali. Sicut de facto dicimus de legè ieiunij respectu infirmorum, hi enim non tenētur ad ieiunium, quia ius naturale talis præcepti nō procedit in infirmo.Nam lex naturalis cōtinet in se omnia media conducentia ad suum finem,tanquā vniuersale,quod cōtinet in se sua particularia: sic in hoc præcepto naturali, Tēperatè est viuendum ad hoc, vt spiritus non subiiciatur carni: in hoc inquam communi continetur sub disiunctione temperantia in cibo, in somno, vel in actu venereo: hæc enim media habent vim obligandi à lege naturali, sed non distinctè, seù dearticulatè antequam accedat lex positiua determinans, sed tantum vt in quodam communi. Accedente deinde lege positiua ad ieiunium, e. g. ieiunium habet vim obligandi à lege ipsa naturali. Vnde hæc uis est simpliciter,& absolutè à lege naturali: & si hęc uis recognoscat pro suo indiuiduante ipsam legem positiuam. Sicut de facto dicimus,quod obiectum fidei est reuelatio diuina. At si aliqua propositio est à Deo reuelata,sed non est propositа,vt talis ab Ecclesia, habet rationem formalem, vt credatur de fide, & tamen fideles non tenentur credere vsque ad propositionem Ecclesię proponētis talem propositionem esse à Deo reuelata. Iam autem propositio Ecclesiæ nō facit,vt credatur de fide, sed reuelatio Dei:Ecclesia enim tantum proponit id, quod est à Deo reuelatum.Sic etiam in casu nostro vis obligandi in præcepto positiuo est à iure naturali, sed non distinctè: distinguitur verò per legem positiuam.At stāte hac distinctione,seu determinatione, vis non oritur à lege positiua,sed tātum à lege naturali. Vnde & si obligatio seruandi tale præceptum non oriatur, nisi accedat voluntas Principis præcipientis, quum recognoscat tāquam causam integrā tàm legem naturalem,quàm præceptum Principis; tamen vis in tali præcepto est simpliciter à lege naturali:nam nisi hoc præceptum naturale esset,lex positiua nullam vim haberet obligandi. Nec differunt
4 inter se lex positiua dependens per modum consequentię, & lex positiua dependens per modum determinationis in materia,& in vi obligandi, quia tàm prima, quàm secunda pendet quòad materiam, & vim à lege naturali, & si quòad obligationem, seu quòad modū obligandi differant. Nam lex positiua per modum consequētię habet pro causa integra legem naturalem, nō autem præceptum Principis. At lex positiua per modū determinationis,habet obli-

Digitized by Google

gationem suam, quę pendet à lege naturali,& à prȩcepto Principis.In secunda enim nisi esset prȩceptum naturale, quod Principibus iubentibus sit parendum, vtiquè obligationem nõ haberet: sicut si alius, quam Princeps prȩcipiat id quod est à lege naturali sub disiunctione, nullam obligationem parit.

At prima obligatio non indiget prȩcepto Principis, sed totam suam obligationem recognoscit à lege naturali. Si enim quis non ieiunat antequam accedat præceptum Ecclesiæ, nullum cõmittit peccatum,nec dicimus talem intemperatè viuere contra prȩceptum naturale, sicut dicimus post præceptum Ecclesiæ. At si quis hominem occidat, dicimus talem agere contra ius naturale, etiã nullo accedẽte prȩcepto positiuo. His positis

5 Respondeo, quod clerici tenentur per se ad leges Principis secularis, sed non quia prȩceptę sunt à Principe sæculari; seu clarius, tenentur ad materiam legis prȩceptam, sed nõ quatenus est à Principe sȩculari, sed quatenus hæc à lege naturali recipit vim. Quod probo,quia materia legis positiuæ est à lege naturali, & vis eiusdem legis prouenit ab eadem lege naturali, vt in primo,& secundo spppositio: sed clerici nõ sunt exempti à lege naturali:ergo non sunt exempti ab entitate legis positiuę.

6 Confirmatur quia accedente voluntate Principis prȩcipiẽtis circa aliquid in hac Ciuitate,quod erat in lege naturali sub disiunctione, determinatur, vt dixi in secundo supposito: ergo stante hac determinatione Principis lex naturalis vrget in hac Ciuitate, & lex naturalis est contracta ad hanc rem prȩceptam;sed clerici tenentur seruare leges naturales: ergo tenentur seruare entitatem legis positiuę, quæ est à lege naturali,tãquam particulare in suo cõmuni, dum sunt conciues huius Ciuitatis, & in hac præceptum commune naturale est determinatum.

Hæc opinio videtur expresȩ Rodriquez quȩstionum regul.tom.1.q. 6.art. 14.his verbis, Licet clerici ex priuilegio eximantur à legibus ciuilibus, non eximuntur tamen à legibus, quæ ordinantur ad bonum commune, quæ non dedecẽt Ecclesiasticos: vt quod certo tempore à venatione abstineãt,& quod non vendant triticum vltra taxatum pretium: cȩterum non tenentur seruare leges,quæ in odium Ecclesiasticorum fuerũt institutæ,&c.& infra, Licet enim Ecclesiastici,& regulares à iurisdictione ciuili eximantur,non tamen eximuntur ab obligatione,ad quam secundum ius naturale,& diuinum tenẽtur, nihilquè possunt contra charitatem, & iustitiam facere, quod ipsis ciuilibus legibus fieri vetatur. Hæc Rodriquez loco citato.

Hanc sententiam tuetur Ferdinãdus à Castropalao tom.1.summę tract.3. de lege in cõmunit,disp.1.punct.14.§. 6.n. 6.& citat pro hac sententia Salas disp. 14. de legib. sect.8.à num.94. Vasquez cap.2.disp.167. cap. 4. Sayrum in claui reg.par.prima,lib.3.cap.4.num.16. Bellarmin.disp.prima, quæst.prima, punct. 6.num.26.& alios. Et probat sic, quia clerici ciues sunt,& partes prȩcipuę ciuilis reipublicę,ac proinde gubernatori politico reipublicę debent esse subiecti;sed gubernator politicus,quique iurisdictionem temporalem habet in illa republica non est,vt suppono, Põtifex, sed Rex: ergo Regi in temporalibus subiecti sunt. Poterit ergo Rex illas leges imponere,quę tã eorum statui, quã reipublicę conuenientes sunt.

Confirmo.Neque iure diuino,neque humano clerici exempti sunt à gubernatione politica reipublicę;ergo tenentur eius legibus respiciẽtibus cõmunẽ obligationem æquè, ac tenẽtur reliqui ciues.Antecedens probo.Nam ex iure diuino potius costat contrarium ex illo loco Pauli ad Rom.13. num. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est. Quę verba expẽdens Chrysostomus hom.23. ad Rom. etiam ad clericos extendit;ait enim; Etiam si Apostolus sis, Euangelista, Propheta, siue quis-

Digitized by Google

quisquis tãdem fueris; nec enim pietatẽ subuertit ista subiectio, &c. & paulò superius dixerat, Christum leges suas nõ ad hoc induxisse, vt politicas euerteret, sed vt ad melius institueret. Ex iure autem canonico constat potius huiusmodi leges sæpè præcipi obseruandas; non ergo ab illorum obseruatione eximuntur. Quare cum personæ Ecclesiasticæ dicuntur exemptę à iurisdictione laicorũ, intelligi debet quòad vim coactiuam, seu punitionem, & quòad vim directiuam in rebus tantum spiritualibus, & quę eorum immunitatẽ spectãt. Hęc omnia Ferdinandus à Castro loc. cit. qui etiam citat Abbatem in cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constitut. Felinum ibi num. 37. Decium num. 27. Molinam de Hispan. primogen. lib. 2. cap. 10. num. 82. pag. 315. Idem habet Panormitanus in cap. Ecclesia, nu. 13. Driedo lib. de libertate Christi cap. 2. par. 2. Soto lib. 3. de iustitia q. 6. ar. 7. concl. prima. Castro lib. 1. de potestate leg. pœnal. cap. vltimo, Victoria relectione prima de potestate Eccl. q. vlt. Nauar. in manual. cap. 23. num. 88. Medina 1. 2. q. 6. ar. 5. num. vlt. Probãt quia clerici, cęteręquè personæ Ecclesiasticæ non obstante clericatu sunt Ciues, & Reipublicæ membra, non secus, ac cæteri sæculares Ciues; ergo sicut illi subijciuntur suæ politicæ Reipublicæ, eiusq; legibus, & statutis quòad vim directiuã, & sub mortali tenentur ea seruare, etiã ad id tenentur clerici, & aliæ Ecclesiasticæ personæ, quatenus tales leges ad vtilitatem, & Reipublicæ bonum conducunt: alias enim magna ex oppositio in Republica suboriretur perturbatio, si clerici leges ciuiles iustas in contractu emptionis, & venditionis, &c. non tenerentur seruare.

Hanc sententiam tenetur defendere Caietanus loc. cit. Nam dũ dicit, quod vis, & materia legis positiuæ, quę pẽdet à lege naturali per modum determinationis, sit à lege naturali, tenetur quoq; dicere, quod clerici, quia non sunt exẽpti à lege naturali, recipiant hanc vim, & teneantur ad hanc materiam.

7 Quod verò non teneantur clerici ad legem positiuam quatenus est pręcepta à Principe sęculari patet, nam clerici sunt exempti à ditione Principum sęcularium, vel ex iure diuino, vel saltem humano: ergo Princeps sęcularis non est legitimus superior clericorum: ergo hi non tenentur parere eius pręceptis, quatenus sunt ab ipso Principe.

Dices, quod D. Thom. loc. cit. dicit, quod leges positiuę secũdo modo obligant tantum ex voluntate Principis: ergo falsum est quod diximus.

8 Respondet Vasquez 1. 2. q. 95. ar. 2. cap. 3. num. 16. Quod ibi D. Thomas assignat tantum principium obligãdi potius in tali materia, quam in alia, non verò vim materię pręceptę, hęc. n. sẽper est à iure naturali tãquam aliquid particulare in suo communi.

Dices, si vera esset doctrina tradita, sequeretur quod clerici tenerentur etiã ad leges pœnales, seu ad pœnas Principum sęcularium. Nam pœnę etiam pendent quòad vim, & quòad entitatẽ à lege naturali tanquã à suo communi. Sed clerici tenentur ad leges Principũ sęcularium, ex eo tantum, quia materia, & vis talis legis est à lege naturali; ergo etiam tenẽtur ad pœnas, quia materia, & vis legis pœnalis etiam pendent à lege naturali, quod est contra canones, vt in cap. at si clerici, cap. clerici, c. qualiter, de iudicijs, c. Ecclesia Sanctę Marię, de Constitutionibus, cap. decernimus, de re iudicata, cap. sęculares, de foro competenti.

9 Respondeo, negando vltimam consequentiam; Nam & si verum sit, quod vis legis pœnalis, & materia ipsa pendeant à lege naturali (cum nisi pœna sit secũdum rectam rationem, seu proportionata delicto, vtique nõ obligat, quia iniusta) tamen clerici non tenentur ad tales pœnas. Nam quod impij sint puniendi est pręceptum naturale, quod respicit per se primò superiores, & non subditos: vnde impij sunt puniendi à principibus habentibus potestatem su-

Digitized by Google

super tales impios, nisi enim potestatē habeant, præceptum illud naturale non obligat tales Principes ad puniendos tales impios non subditos, si ergo præceptum non obligat Principes ad tales non subditos puniēdos, vtiq; neq; obligabit non subditos ad obediendum. Pœna enim, quæ culpam supponit, supponit etiam impositionem, seu quod sit imposita à legitimo Principe, ad hoc vt sit secundum ius naturale, vnde & si culpa adsit, quæ secundum ius naturale punienda est, tamen hæc punitio non est imponenda à quocunq; sed à legitimo superiore, qualis Princeps sæcularis non est respectu clerici: ergo, &c. non enim est à lege naturali pœna imposita per Principem sęcularē respectu clericorum, quia nō est per legitimum superiorem.

10 Addo quod semper pœna debet expectare sententiam Iudicis ad hoc, vt executioni mandetur, at Princeps sęcularis Iudex nō est respectu clericorum: ergo pœnam imponere non potest, vel saltem exequutionem ipsius pœnæ: vnde & si clericus culpam incurrat, ad pœnam non tenetur, &c.

Dices, sic etiam dicendum esset de pretio taxato à Principe sęculari respectu bonorum clericorum, nam nec est à legitimo superiore.

11 Respondeo, quod res vendantur pretio iusto esse à lege naturali, & q hoc sit iustum pretium quòad entitatē, esse etiam à lege naturali, quod præceptum naturale afficit per se primò contrahentes, vt iustum pretium seruent in contractu emptionis, venditionis, &c. per se secundò verò Principes ad hoc scilicet, vt curēt seruari iustum pretium naturale, nam non pendet à voluntate Principis taxa hæc, quia si Princeps frumentum taxat minori pretio, quā est iustum, non net hæc taxa, & possunt etiam subditi vendere vltra taxam; cum ergo Princeps taxam rebus imponit, præcipit proprijs subditis, vt quod iustum est de iure naturali seruent: Vnde nō est præceptū positiuum respectu clericorum, sed tenentur hoc seruare ex vi præcepti naturalis, quia pretium non debet expectare sentētiā Iudicis ad hoc, vt executioni detur, sed executio est ab ipsa lege naturali, & sic pretium illud prout est à Principe non tenetur seruare clericus; at prout est à naturali iure tenetur, quare & si non dicatur pretiū illud à legitimo superiore, quatenus est à Principe sęculari respectu clericorum, dicitur tamen à legitimo superiore, quatenus est à lege naturali.

Dices, sic etiam dicendum est de pœna imposita à Principe sęculari; nam pœna illa, & si non dicatur à legitimo superiore quatenus est à Principe sęculari, dicitur tamen à legitimo superiore, quatenus est à lege naturali, vnde & si clericus nō teneatur ad pœnam quatenus est à Principe sęculari, tenetur tamen quatenus est à lege naturali.

12 Respondeo, quod hoc verum esset si posset infligi pœna à Principe sæculari, & argumentum tantum probat, quod clericus, qui culpam commisit tenetur ad pœnam. At hæc pœna est infligenda à legitimo iudice, non verò ab illegitimo, & Princeps sæcularis legitimus non est respectu clericorum, pœna enim non est culpa, & ideo totum suum esse recognoscit à Principe, & si culpam in subiecto supponat: at stante culpa clericus est puniendus secundum ius naturale, sed à legitimo Principe, ad quē simpliciter spectat taliter punire, & si talis punitio, quæ est à legitimo superiore; uim suam habeat à lege naturali per modum determinationis, seu à iure naturali per modum consequentiæ, quia superioribus iubentibus obediendum est: vnde clerici tenentur ad pœnā impositam à legitimo superiore, non verò ab illegitimo.

Dices, ergo saltem tenetur Episcopus infligere pœnam clerico stabilitam à Prineipe sæculari. Consequentia patet, quia in hac ciuitate, in qua stabilita est hæc pœna pro tali delicto, pœna hæc habet suam entitatem, & uim à iure

re

Digitized by Google

re naturali,stante determinatione facta à Principe sęculari: sed Episcopi tenẽtur se vniformare legibus naturalibus: ergo tenentur infligere clericis has pęnas,& non alias.

13 Respondeo negando consequentiã; nam cum pœna hæc pẽdeat,à lege naturali tanquam particulare à suo communi,non magis est secundum ius naturale hæc,quam alia desumpta ab eodem communi à superiore potestatem habente eligendi hanc,vel illam, dummodo sit secundum rectam rationem. Et cum superiores Ecclesiastici habeãt hanc potestatem eligendi pœnam circa suos subditos, sicut Principes sæculares, hinc est,quod non est magis secundum ius naturale pœna stabilita à Principe sęculari circa suos subditos, quam stabilita à Principe Ecclesiastico circa proprios,si ambæ sint secundum rectam rationem. Nam pręceptum naturale nõ magis vrget cõtra Principes sęculares,vt delicta puniant, quã cõtra Ecclesiasticos superiores: & sic in ambobus est potestas eligendi, seu determinãdi illud pręceptum naturale,quod impii sint puniendi. Vnde vis,& entitas vtriusque pręcepti,scilicet sęcularis, & Ecclesiastici est in iure naturali tanquã particulare in suo communi,& cum determinatio vtriusque sit a pręcepto naturali, non tenetur Episcopus se coarctare ad determinatam pœnam à Principe sęculari,quia habet eandem potestatem determinandi idem pręceptum naturale per aliam pœnam proportionatam culpę secundum rectam rationem.

Dices,ergo saltem clerici non tenentur ad leges ciuiles imponentes formã contractibus. Neque testamentum clerici erit inualidum, etiam si non sit vallatum ceremoniis, & testibus à iure ciuili determinatis. Consequentia patet. Nam istę leges sunt a potestate ciuili,& determinant ius naturale tantum in ordine ad proprios subditos, quales non sunt clerici: ergo clerici non tenentur.

14 Respondeo,quod solemnitates contractuum non magis sunt approbatę à lege ciuili,quam à lege canonica: nam leges canonicæ non dedignantur vti dispositionibus legum ciuilium, cap. si in adiutorium,dist. 10. & cap. innotuit, de arbitrijs: & sic tenentur clerici seruare leges illas ciuiles disponentes de contractibus,ex eo quia illas approbãt sacri canones. De testamentis verò est specialis determinatio contra ius ciuile in cap.cum esses,de testamentis. Vbi expresse habes testamentum factum coram Parocho,& duobus testibus valere,quando disponitur in beneficium Ecclesiasticorũ,vel ad pias causas: verba enim textus hæc sunt,Cum esses in nostra præsentia constitutus proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in vltima volũtate penitus rescinduntur,nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt. Quia verò à diuina lege,& Sanctorum Patrũ institutis,& à generali Ecclesię consuetudine id esse noscitur alienũ, cũ scriptum sit,In ore duorum, vel trium testiũ stet omne verbum; præscriptam cõsuetudinem improbamus; & testamenta, quæ Parochiani corã Presbytero suo, & tribus,aut duabus alijs personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibẽtes, ne quis huiusmodi audeat rescindere testamenta. Hæc in textu,vbi glos. in casu circa finẽm dicit, Intelliguntur ista duo capitula (id est cap. cum esses, & cap. relatum eodem tit.) super relictis Ecclesiæ,vel ad pias causas,vt ibi sufficiãt duo,vel tres testes. Hoc videtur dicere Layman de legibus cap. 13.num.5.

15 Colligit Viualdus in candelabro aureo in bulla cœnæ casu 18.num.3. Henriquez in summa lib.10.cap.15.num.5. Idem habet glossa in cap.non minus de immunitate Eccles. verbo releuandas. Idem habet Hostiensis Cardinalis Ancharan. in d.c.nõ minus, &c.s. Clericos teneri ad gabellas,si gabellæ contineãt

vti-

Digitized by Google

vtilitatem, & bonum communitatis, quod omnes tangit. Ita tenentur soluere gabellas impositas pro ponte, fonte, aut murorum reparatione reipublicæ, vt expressè habetur in l. ad instructiones, C. de Sacrosanct. Eccles. vbi sic habes, Ad extructiones itinerum, pontiumq; etiam diuinas domos, & venerabiles Ecclesias, tam laudabili titulo libenter adscribimus, quia non est inter sordida munera numeranda, &c. & in l. ad portus, C. de operibus publicis, vbi sic habes, Ad portus, & aquæductus, & murorum instaurationem, siue extructionem omnes certatim, facta operarum collatione instare debent, neque aliquis ab huiusmodi consortio dignitatis priuilegijs excusari, &c. Quæ leges ciuiles, putat Henriquez supra lit. N. quod non sint correctæ, sed potius explicant ius canonicum, & mentem Pontificum. Et ratio ipsa hoc persuadet, nam cū leges illæ gabellarum sint impositæ non magis pro bono laici, quam pro bono clerici, non magis contribuere debet laicus, quam clericus.

Sed contra hos auctores tenēt communiter ferè omnes Theologi, & Canonistæ, vt videri potest apud Barbosā de potestate Episcopi par. 2. allegat. 13. num. 6. vbi habes, quod clerici non tenentur soluere gabellas impositas pro necessitatibus publicis, & communibus sine consensu Summi Pontificis, quamuis laicorum bona ad illorum reparationem non sufficiant, nisi tanta sit necessitas, & pietas, quod sine periculo, & scandalo ad illum nō possit recurri: tūc enim sufficit Episcopi cum clericis consensus. Fundantur in cap. non minus, & in cap. aduersus, de immunitate Eccles. & ad leges illas ciuiles respondet Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 3. num. 25. vers. Neque obstat, &c. quod he leges cum sint contra immunitatem Ecclesiasticā vim non habent, nisi speciatim ab Ecclesia approbentur.

Mihi tamen videtur dicendum, quod quando impositiones respiciūt bonum publicum communitatis æquè respicientes bonum clerici, ac laici, clerici tenentur ad gabellas pro tali bono impositas de iure naturæ, cum nō magis vti-
16 litas illa sit ad bonum clerici, quam ad bonum laici, nec habēt priuilegium nō soluēdi debita de iure naturę, sed tantū sūt liberi à coactione ad illas soluēdas. Nā in Cōcilio Lateranēsi sub Alexādro tertio cap. 19. relatum, & in cap. non minus, &c. nō dicitur, quod clerici non tenentur gabellas soluere quomodocunq; sed impositas pro oneribus debitis à laicis: verba enim hæc sunt, Isti verò (ideſt laici) onera sua ferè vniuersa imponunt Ecclesijs, &c. vbi vide, quod de oneribus debitis à laicis gabellas imponebant clericis, &c. & specificādo magis subiungit, Siue quidem fossata, siue expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda de bonis Ecclesiarum, & clericorum, & pauperū
17 Christi vsibus deputatis, volunt ferè cuncta compleri, &c. Vbi vide, quod oneribus sæcularium vult Concilium exonerare clericos. Immò etiam clerici tenentur cōtribuere istis oneribus à sęcularibus debitis, si magna sit necessitas, & vtilitas communitatis, & bona sęcularium non suppetunt; accedente tamen voluntate Episcopi, & cleri, si difficilis sit aditus ad Summum Pontificē. At si facilis sit accessus requiritur consensus illius. Ita habetur in Cōcilio Lateranensi sub Innocentio tertio cap. 46. & refertur in cap. aduersus, de immunitate Eccles. vide Barbosam de potestate Episcopi par. 2. alleg. 13. à num. 6. verba enim Concilij hæc sunt, Aduersus Cōsules, ac Rectores Ciuitatis, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos talijs, seu collectis, & exactionibus aliis aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit, transgressores, & fautores eorum excōmunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verum si quando forsan Episcopus simul cum clericis talem necessi-

sita-

Digitized by Google

sitatem, vel vtilitatem prospexerint, vt absque vlla coactione ad releuandas vtilitates, vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda: prædicti laici humiliter, ac deuotè recipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudẽtiam tamen quorundam, Romanum prius cõsulant Põtificem, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere, &c. vbi vide quod exẽptat clericos à communi contributione, quando non suppetunt bona cõmunitatis laicorum, non verò bona singularia, vt benè aduertit Ferdinandus à Castropalao to. 2. tract. 12. de reuerẽtia debita Ecclesiast. disp. vnica, puncto 9. num. 9.

Nec obstat Bulla S.D.N. Vrbani VIII. relata à Marchino de peste par. 4. c. 4. post num. 28. concessa pro Ducatu Mediolanensi, vbi Pontifex sic loquitur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat in muniendis Ciuitatibus, & locis prædictis ingenti pecuniarum vi opus, ærariumq; ipsius Philippi Regis valde exhaustum, & attritum sit, ex munitioneq; huiusmodi totius status, ac tam cleri, quam populi securitati prospiciatur; Communitatum verò, ac vniuersitatũ, & hominum eiusdem status, vt eorum inopiam ad totam impensam necessariam supportandam facultates non suppetant, nisi clerus, & Ecclesiastici quoque eò aliquid conferant, &c. Nõ inquam hoc obstat, quia ibi S.D.N. Vrbanus non dixit se conformari cap. non minus, vel explicare illud, quia dixisset, Cum hæ sint causæ contentæ in cap. non minus: sed tantum voluit Vrbanus explicare causas mouentes ad consentiendũ, vt clerici soluant, scilicet non solũ exhaustionem ærarij Regis, & communitatum, sed etiam particularium; quasi diceret, si exhaustio ærarij Regis, & communitatis sufficeret ad dispensandũ pro tali contributione, à fortiori consentire debemus cum sint exhausti etiam particulares ciues. Vnde potius Vrbanus ibi explicat validiores causas ad dispensandum, quam causas simpliciter requisitas. Quod magis mihi persuadeo: Nam ibi Pontifex dixit, quod ex tali munitione communi sequebatur securitas tam populi, quam cleri, & sic erat ob bonum æquè principaliter respiciens clerum, & sæculares. Si quis ergo vellet hanc consequentiã deducere: ergo cap. non minus, in tantũ vult, quod Pontifex consentiat, in quãtum vtilitas æque principaliter respicit populum, ac clerum, quia Vrbanus VIII. in illa bulla ita se explicauit, vtiq; hęc consequentia etiam ab Aduersarijs reijcietur tanquam falsa, quia sæpè etiam Pontifex dispensat ob vtilitatem principaliter populi, & minus principaliter cleri, sicut de facto dispẽsauit in Ciuitate Panormi teste eodem Diana tom. 5. tract. 1. num. 11. vers. sed notandum, ad hoc vt Ciuitas subleuaretur pro expensis factis tẽpore pestis. Nec ex eo quia dicit ibi Pontifex Archipresbytero, Iniungimus quod constito tibi de narratis, &c. Narrata intelligenda sunt facultates singulorum de Ciuitate, vt credit Diana, quia hoc est omninò gratis dictum, quũ narrata potius sint necessitas communitatis, expẽsæ factæ immensæ tempore pestis, ærarium commune depauperatum, &c. & non facultates singulorum. Nam tot Principes Panormitani vtique poterant Ciuitatem illam subleuare proprijs facultatibus, & hoc maximè constabat Pontifici, cum hoc notum sit vniuerso orbi.

Addo quod si facultates particulariũ essent attendendæ, vtique nunquã clerici tenerentur, quia semper suppetunt, nisi tyrãnica esset exactio, quæ spoliaret omnes subditos proprijs bonis, & impossibile esset Episcopis, & Prælatis Ecclesiasticis inuestigare an facultates singulorum laicorum sufficiant, vt benè à Castro supra.

Nec obstat quod ferè semper clerici tenerentur contribuere, vt ait Diana, cum ciuitates nũquam in communi ita diuites sint, vt ex cõmunibus reditibus pu-

publicæ necessitati, vel vtilitati prouidere possint. Nam multæ sunt Ciuitates,& Respublicæ ditissimæ in communi,& dato quod nõ sint per accidens ratione belli,pestis,&c.semper tenerẽtur clerici contribuere cum licentia Pontificis.

Nec dicas cum Diana supra, quod quando facultates communes sufficiũt, neq; laici tenentur succurrere,vt docet Megala in par.2.lib. 2.c. 17.q.6.n.123. ergo nullũ est priuilegiũ clericorũ. Nã
18 contra est, quia priuilegium clericorum non consistit in non contribuendo, cum in nullo loco inueniatur,quod clerici non contribuant: sed consistit in non recognoscendo pro legitimo superiore in impositionibus Principem sæcularem, sed tantum voluntatem Pontificis,vt patet considerãti.Hoc enim dicere nullum est absurdum, vt putat Diana.

Ita tenet Riccius in suis collect. par. 4.collect. 1415.verba enim Riccii hæc sunt, Boerius tamen dec.48.asserit fuisse decisum contra personas Ecclesiasticas,quod contribuere tenentur pro reparatione murorum Ciuitatis,& ita pariter iudicatum fuisse Taurini testatur Cãcheranus decis.Pedam.68. Paponus lib.5.cap.9.arrest.19.quemadmodum etiam Ecclesiasticæ personæ in Regno Franciæ tenentur ad refectionem viarum,pontium;& ad vigilias castrorum; & similia. Franciscus Marcus dec. 457. Guido Papa decis.7.& 78.Boerius dec. 947.Hinc refert Paponus fuisse iudicatum,Ecclesiasticos teneri ad collectas pro stipendijs latrunculatoris,& eorum quibus pontium cura mãdata est. Item & cloacarum, & horologiorum,& pro rebus venditis,quod teneantur etiam soluere gabellas testatur Boerius dec. 246.num.4.Hæc Riccius, & si oppositũ videatur dicere par.5.collect.1852.

19 Addo quod consilia,& cap.supra citata non intendunt clericũ in hoc priuilegiare,sed potius iurisdictionem Ecclesiasticam conseruare, ne scilicet sæculares falcem mittant in Ecclesiam,& ideò etiam leges fauorabiles Ecclesiæ editæ à Principe sæculari,si tãtum Ecclesiasticos respiciũt,nullæ sunt,& ideò tam in bulla edita die cœnæ Domini,quam in cap.aduersus,de immunitate Ecclesiastica non dicitur clericos esse exemptos,sed iubetur q; de consensu Pontificis obligentur, & sic potius respiciunt recognitionem Pontificis, quã exemptionem clericorum.

20 Nec obstat cap.quamquam, de censibus in 6.Nam ibi loquitur tantum de exactionibus,quæ non respiciunt bonũ æquè principaliter clerici, ac sæcularium,& de impositionibus impositis sine licentia superioris, verba enim textus hæc sunt, Quamquam pedagiorum exactiones tàm iure canonico, quàm ciuili regulariter meritò sint damnatæ, tanto tamen districtius ne ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis talia exigantur ,phiberi oportet, &c.vbi vide,quod textus loquitur tantum de pedagiis, & guidagijs damnatis de iure canonico, & ciuili: sũt.n.pedagia,& guidagia interdicta exprefsè in c. super quibusdã §.præterea,de verborum significationibus, his verbis, Præterea cum peda-
21 gia, guidagia, salinaria sibi legatus interdixerit memoratus, auctoritate Apostolica duximus declarandum illa esse pedagia, salinaria, guidagia interdicta,quę non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateran. Concilii largitione concessa,vel ex antiqua cõsuetudine,à tẽpore cuius non extat memoria introducta, &c. vide Lessiũ de iustitia lib.2.c.33.dub. 8. num. 66. Exactiones enim damnatæ de iure canonico sunt in Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio cap.22.vt patet ex postillo eiusdem textus,vbi loquitur tantum Concilium ibi de exactionibus impositis sine auctoritate Principum, siue Regum,verba enim textus hæc sunt, Innouamus vt Presbyteri, Monachi,Clerici Cõuersi,Peregrini, Mercatores,rustici, euntes,& redeuntes,& in agricultura existentes,& animalia,quę semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur,

Digitized by Google

tentur, nec quisquam alicubi nouas pedagiorum exactiones sine auctoritate Regum, & Principum consensu statuere, aut statutas de nouo tenere, aut veteres augmentare aliquo modo temerè præsumat, &c.

Exactiones verò damnosæ de iure ciuili sunt illę, quæ sine licentia Principis sunt impositæ, vt est expressus text. in l. non solent, C. vectigalia noua instituí, &c. his verbis, Non solent noua vectigalia inconsultis Principibus, institui: ergo & exigi aliquid, quod illicitè poscatur competens Iudex vetabit, & id, quod exactum videtur, si contra rationem iuris extorsum est restitui iubebit, &c. vbi vide quod tantum in hoc textu desideratur volũtas Principis ad hoc, vt vectigalia exigi possint: cum ergo cap. quamquam loquatur tantum de exactionibus interdictis iure canonico, & ciuili, & huiusmodi exactiones, tunc sunt interdictæ quando non habent voluntatem superioris legitimi, manifestè apparet, quod Pontifex in illo cap. quãquã, eximit tantum clericos à superiori laico, non verò ipsos simpliciter excẽptat à contributione faciẽda pro communi bono; vnde excẽptat tãtum à coactione, vel impositione sine licentia Summi Pontificis, vt expressè habetur ex cap. super quibus supra.

22 Sic etiam dicendum est de Alexandro IV. quem tueri intendit dictũ cap. quãquam, quod loquatur tantũ de tallijs, & collectis, quæ exigebantur pro domibus, vel prędijs possessis pro necessitate, vel recognitione vassallagij Principis sæcularis, à quibus impositionibus Ecclesiastici sunt exempti per l. placet, C. de Sacrosãctis Ecclesijs, verba enim textus hæc sunt, quæ habentur in c. 1. de immunitate Eccles. in 6. Quia nonnulli habentes temporale dominium, vel potestatis gerentes officium sæcularis, libertatem & immunitatem Ecclesiasticam lædere, ac imminuere, tãquam honoris, & priuilegij Ecclesiarum inuidi moliũtur, expedit, quod per diligentiã, & auctoritatem Sedis Apostolicæ (quæ curam habet Ecclesiarum omnium, & tuclam) contra talium ausus, & conamina opportunum remedium opponatur, vt Ecclesiæ ipsæ in plenitudine iuris sui, & libertatis integritate lætentur, ac detestabilis malignorũ audacia, & insolentium nefaria temeritas propulsetur, sanè intelleximus, quod in Regno Franciæ cõmuniç, Scabini, seu Cõsules, & alij Domini tẽporales, & ij, qui iurisdictionem in ipsis communijs, Ciuitatibus, Castris, & Villis temporalem exercent, vel quibus, in illis commissa est executio iustitiæ sæcularis, molesti sunt nimium Ecclesijs super plũribus, & infesti, & inter cętera nituntur, & student vt illis collectas, & tallias, & alia huiusmodi eædem Ecclesiæ prætextu bonorum, quæ acquisiuerunt tribuant, & persoluant, vel extra manum suam ponant huiusmodi acquisita. Volentes itaque super his omnibus (prout expedit) sollicitè prouidere, totq; temerarijs ausibus, congruis præsidijs obuiare auctoritate Apostolica præhabita cũ fratribus nostris diligenti deliberatione decernimus non licere præfatis cõmunijs, Scabinis, & ijs, qui in eis iurisdictionem temporalem obtinent, vel iustitiam temporalẽ exercent tallias, vel collectas, seu exactiones quascunq; Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdẽ pro domibus, prædijs, vel quibuscunq; possessionibus ab eisdẽ Ecclesijs, vel psonis Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis, vel in posterũ acquirẽdis, &c. Vbi expressè habes, quod ibi Alexander quartus loquitur tantum de exactionibus soluendis pro possessionibus tantum, seu de exactionibus habendis à possessoribus in recognitionem subiectionis Principi sęculari, à qua recognitione, seu vassallagio sunt clerici exempti per l. placet, C. de Sacrosanctis Ecclesijs. Non ergo loquitur ibi textus de impositionibus pro communi bono, sed de solutionibus faciendis pro vassallagio, & recognitione subiectionis Principibus sæcularibus.

Digitized by Google

23 Nec obstat clementina, Præsenti decentibus, quia ibi Clemens loquitur de pedagijs, & guidagijs, quæ soluũtur pro rebus quę ad vsum proprium deterũtur, quæ nec laici soluere debent, l. vniuersi, C. de vectig. & comm. vide Abbatem in d. cap. præsenti, num. 2.

24 Nec exemptio hæc probari potest ex Nouella Federici Imperatoris, quæ incipit; Item nulla, C. de Episcopi, & clericis, quia ibi loquitur Imperator de exactionibus in recognitionem vassallagij, vt patet ex eius verbis, quæ hæc sunt, Item nulla communitas, vel persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones angarias, vel perangarias Ecclesijs, vel alijs piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat, &c. Sunt enim impositiones angariæ, vel perangarię in bonis, vel personis ratione vassallagii, & subiectionis Principibus soluendę. Et idem dicendũ est ad l. Sancimus, C. de Sacrosanctis Ecclesiis.

SVMMARIVM.

Qui piscatur, vel venatur in locis pecunia locatis, ad nullam tenetur restitutionem, si pisces, vel fera retinent suam naturalẽ feritatem. num. 1.

Ius quod emit conductor locorum piscium, vel ferarum retinentium suam libertatẽ cõsistit tantũ in hoc, quod possit venari, vel piscari in tali loco impunè. num. 2.

Conductor horum locorum, nullum habet ius ad animalia retinentia propriam libertatem. eod. num.

Ius capiendi feras retinentes propriam libertatem est à iure gentium. eod. num.

Lex prohibens venationem non prohibet acquisitionem ferarum, sed vsum venationis. eod. num.

Qui venatur in locis locatis facit contra legem prohibentem, non verò contra iustitiam. num. 3.

Res dicitur cõmunis, quia communitas habet ius disponendi; & dicitur communis, quia in ea nemo ius habet. In rem communem primo modo potest communitas ius alteri præbere; at in rem communem secundo modo non potest communitas alteri ius præbere. num. 4.

Communitas non habet ius ad animalia retinentia naturalem libertatem. eod. num.

Animalia retinentia naturalem libertatem dicuntur res nullius; & ideò fiunt occupantis. eod. num.

Qui totam piscationem subtrahit à locis locatis, ladit per accidens ius piscandi, & ideò tenetur ad restitutionem, non ferarũ, sed damni illati. eod. num.

Pisces capti in lacis locatis non sunt partes piscationis conductæ. num. 5.

Piscari cum magno detrimento, est piscari venenando aquas. eod. num.

Ius venãdi, vel piscandi nõ dicitur notabiliter læsum propter vnam, aut alteram ferã subtractam. eod. num.

Qui magnam stragem facit in sylua communi ladit ius acquisitum communitatis, secus verò qui capit magnam quantitatem piscium retinentium naturalem libertatem. num. 6.

Qui accipit bona communia distributa arbitrio Rectoris Ciuitatis, probabiliter furtũ committit. eod. num.

Qui piscatur in locis conductis, non piscatur iuridicè, & tanquam potestatem habens, & ideò taliter piscari non est pretio æstimabile. num. 7.

Qui venatur in locis prohibitis peccat tantũ venialiter, præciso damno. num. 8.

Materia prohibitionis venationis ex genere suo est parua. eod. num.

RESOLVTIO LXVII.

An quis venando, vel piscando in locis locatis pecunia alteri, vel in quibus prohibitum est venari, vel piscari, teneatur ad aliquam restitutionem?

1 REspondeo ad nullam teneri restitutionem, si ferę, vel pisces retinẽt suam naturalem libertatem eundi, & redeundi. Ita Vasquez de rest. cap. 5. §. 2. dub. 7. num. 28. Less. de iust. lib. 2. cap. 5. dub. 9.

Ra-

Digitized by Google

Ratio est, quia talis conductor, vel dominus non habet ius ad animalia illa, vt propria, nam illa retinent suam libertatem, sed vt communia, quę secundum ius gentium ita cõductoribus cõmunia sunt, vt maneant etiam communia cuicumque capienti: ergo qui capio animalia illa non damnificat cõductorem, vel Dominum fundi, aut loci. Nec
2 per talem capturam impedit ius cõductoris, vel domini, quia ius ipsorum cõsistit tantum in hoc, quod possint venari, vel piscari in tali loco impunè; ad quod alius piscatur, vel venatur, nõ impeditur ius conductoris impunè venãdi, vel piscandi: ergo non lęditur ius alterius. Nec ex eo, quod talis accipit animalia, quę conductor erat accepturus, impedit iniustè capturam animalium: nam ex eo, quia animalia illa retinebãt suam feritatem, seu libertatem, nullum ius habebat conductor ad animalia illa, sed tantum poterat impunè capere; & denique piscator sub pœna etiam capere poterat: at ad animalia nõ magis habebat ius capiendi conductor, quam piscator, quia illud ius est à iure gentiũ, cum ferę retineant libertatem. Sicut nõ facit iniuriam, qui uenationem exercẽs non prohibitã, animalia capit, quę alius capturus erat: licitè enim venari non tribuit ius ad animalia, quę retinent feritatem, seu libertatem, sed tantum ad venationem. & cum venatio illicita non impediat venationem licitam, vt suppono; ad nullam restitutionem tenetur qui venatur in fundo locato alteri. Facit tamen iste talis contra legem prohi-
3 bentem, sed non contra iustitiam. Confirmatur à Lessio loc. cit. num. 43. vers. dico secundo, &c. quia leges in hiscasibus non prohibent acquisitionem ferarum, sed vsum venationis: uti autẽ uenatione contra legis mandatum non censetur notabilis iniuria; uel lęsio reipublicę, cum iure gentium liceat occũpare quæ nullius sunt.

Sed cõtra Vasquez, & Lessium insurgit Bonacina disp. prima de restitutione, quæst. 3. puncto 7. num. 22. qui putat, quod talis teneatur ad restitutionem damni arbitrio prudentis. Et ratio est, quia (hæc sunt verba Bonacinę) venando peccat contra iustitiã, & facit cõtra ius illius, cui reseruata est venatio, sed q peccat cõtra iustitiã tenetur ad restitutionẽ dãni, quod patitur is, ad quem ius venandi pertinet, non quidem habita ratione valoris animalium, sed habita ratione damni, vel lucri cessantis, &c. & ad rationem Vasquez respõdetur venatorẽ, seu piscatorem non teneri ad restitutionem eo quod præcisè rem communem accipiat, sed violat ius, quod alter habet à communitate ad capiendas res communes: alioquin sequeretur capientes res communitatis, aut piscantem cum magno communitatis detrimento, aut facientem magnam lignorum stragem in sylua communi, nõ teneri ad restitutionem, quod est falsum. Hęc Bonacina.

Sed contra Bonacinam apparet manifesta impugnatio. Nam hic Autor supponit quod prius probare debebat. supponit. n. talẽ peccare cõtra iustitiã, q est falsũ, cum non lędat ius piscandi conductoris, quia potest pro suo libito conductor piscari, etiam si alter illicitè piscetur, & talis piscator non facit cõ-
4 tra iustitiam. Nec valet dicere; quod talis lędat ius quod alter habet capiendi res communes, nam hoc falsum est, & committitur manifesta æquiuocatio in tali argumentatione; quia res dicitur communis, vel ex eo, quia communitas ius habet disponendi, vti sunt Nemora, sylvę, & cętera huiusmodi; vel dicuntur res communes ex eo, quia nemo in eas ius habet; sed sunt penès nullius, & fiunt occupãtis, vti sunt ferę, quæ retinent naturalem feritatem, thesauri absconditi sine memoria hominum, vel scripturarum cuius sunt. In rẽ communem primo modo potest communitas ius alteri dare ad colligendũ, &c. quia ius quęsitum habet in illis, At in rem communem secundo modo, cum nemo ius habeat; nemo ius tribuere potest alteri, & cum communi-

Digitized by Google

nitas habeat tantum ius piscandi, vel venandi, &c. & non in pisces, vel animalia, hoc tantum ius tribuere potest. & cum talis piscator non impediat ius piscandi conductoris, nullo modo facit contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem. Nec valet prima sequela Bonacinæ, quod .s. sequeretur capientem res communitatis non teneri ad restitutionem. Quia pisces non sunt communitatis per ius positiuum, quasi quod communitas habeat ius disponẽdi, etenim cum retineant naturalem libertatem, nemo in ijs ius habet, & sic non dicuntur talia animalia res communitatis, sed res nullius, & ideo sunt occupantis. Nec vrget secunda sequela, quod scilicet qui piscaretur cum magno communitatis detrimento, non teneretur ad aliquam restitutionem: Nam tunc cum iste talis subtraheret materiam simpliciter piscandi, per accidens lederet ius piscandi, si enim non habet conductor quid piscetur, redditur frustratorium ius piscãdi, & ideò cum lædat ius piscandi per accidens Domini, vel conductoris, facit contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, nõ quidem feratum etiam si instrumentis vetitis ceperit, quia hę feræ non sũt res Reipublicę, sed damni illati vt optimè Lessius loc. cit. hoc enim nõ procedit in casu nostro, quia ius piscandi nõ læditur, neque per se, cum non impediatur piscatio conductoris, neque per accidens, quia non subtrahitur simpliciter materia piscationis.

Dices, sicut se habet totum ad totũ, ita pars ad partẽ: sed si q.s subtrahit totam materiam, ita quod ille conductor piscari non possit, tenetur ad restitutionem, ergo si subtrahit partẽ materiæ etiam tenetur ad restitutionem.

5 Respondeo primò, quod si piscator subtrahit partem materiæ piscationis conductoris, vtiq; tenetur ad restitutionem non illius partis subtractæ, sed dãni illati arbitrio prudentis, & sic conceditur totum argumentum. At nos supponimus quod piscator non subtrahit partem materiæ piscationis conductoris, quia tunc supponitur pars materiæ, quando deficeret piscationi conductoris, quod dici non potest, stante quod pisces retineãt suam libertatem; ignoratur enim tunc à quo proueniat defectus piscationis conductoris, etiam si nihil piscaretur, quia non magis posset prouenire à libertate piscium, quàm à piscatione piscatoris, & in dubio possessio stat pro piscatore. Addo quod pisces capti non sunt materia piscationis conductoris, quia possent non capi à conductore; dicitur enim piscari cum magno detrimento, quando piscatur venenando aquas, tunc enim videtur lędere grauiter ius, & eripere spem lucri conductoris.

Respondeo secundò, & melius cum Lessio loc. cit. vers. Respondeo negando, &c. quod illud ius venandi, vel piscandi non censetur notabiliter lęsum propter vnam, aut alteram feram subtractam: quamuis enim duę, vel tres ferę sint magni momenti, ius tñ venãdi, vel piscandi respectu earum in magno saltu, vel mari est parui momenti.

6 Nec tertia sequela scilicet de eo, q magnam stragem lignorum facit in sylua communi, facit ad rem nostram, quia hic tenetur ad restitutionem, tum quia communitas ius acquisitum habebat ad talia ligna, vt talia, nec videtur consentire, quod alius notabilem stragem faciat, & sic talis surripit rem alienã inuito Domino, vt optimè Vasq. cap. 5. de restitutione, §. 3. dub. 1. nu. 3. Quod ius nõ habet ad talia animalia retinentia suam naturalem libertatem, & sic primus lędit iustitiam, secundus verò non. Tum quia priuat alios conciues sua portione: qui enim accipit bona cõmunia distributa arbitrio Rectorũ Ciuitatis, pportionabiliter furtũ cõmittit, & ideò primus tenetur ad restitutionem, secundus verò nõ tenetur.

Dices, quod ius piscandi est pretio æstimabile, & de facto emitur, ergo si aliquis piscatur, lędit aliquid pretio æstimabile.

7 Re-

Digitized by Google

7 Respondeo, quod qui piscatur sine licentia non piscatur iuridicè, neque ad suum libitum, & ideò nõ lęditur ius piscandi, quia non piscatur tanquam potestatem habens piscandi ad suum libitum, sed piscatur faciendo contra legem prohibentem. Piscari enim tali modo pretio æstimari non potest, & sic piscari tãquam potestatem habentẽ est pretio ęstimabile, non vero piscari subiiciendo se pœnis impositis pro tali piscatione. Respondeo igitur ad argumentum in forma, ius piscandi est pretio ęstimabile distinguo, Ius piscãdi tanquam potestatẽ habendo liberè, & ad libitum, concedo. Ius piscandi feras, vel pisces retinentes suam libertatem, clam, & occultè, & cum periculo soluẽdi pęnas, & nego. Id enim quod emitur non est ius ad animalia; cum dum retinent suam naturalem libertatẽ nemo habet ius ad illa, & vnusquisq; ius habet capiendi à iure gentium: sed emitur tantum ius liberè, & ad suum libitum in hoc loco piscandi sine periculo luendi pœnas, & cum potestate applicandi sibi pœnas piscantium sine licentia, quæ pœnæ debentur post sententiã, vt dixi supra res. 65. & sic negatur consequentia, quia ius conductoris non lęditur per piscationem clandestinè factam, cum ius conductoris sit tantum piscari liberè, & sine periculo luẽdi pœnas, vt dixi, & pœnas piscantium sine licentia sibi applicare, quæ omnia nullo modo lęduntur.

8 Et si quæras, an talis peccet mortaliter. Respondet Less. loc. cit. num. 44. peccare tantum venialitet, quia lex illa prohibens (hęc sunt verba Less.) in tali loco venationem, etiam si pœnam appositam habet, communi tamen hominum indicio non censetur graues inducere obligationem; quamuis ipsi Domini ibi venari soleãt; nam feræ sũt nullius, & syluæ sũt communes, & aliàs non est notabilis læsio. Vnde rationi cõsonum est, vt reseruatio illa iuris venandi facta per principem non adeò strictè accipiatur.

Nec dicas, quod si est peccatũ veniale, ergo ratione grauitatis materię potest esse mortale. Quia respondet idem Less. sup. quod ipsa materia, secluso damno, ex genere suo est parua, & ita non constituit peccatum mortale, si dãnum absit. Hæc omnia Less. sup.

SVMMARIVM.

Princeps tenetur seruare suas leges quoad vim directiuam, i. tenetur ad entitatẽ legis, non vero ad pœnas, & quatenus hæc lex est ab ipsomet Principe legislatore. num. 1.

Princeps tenetur per se, & non per accidẽs ad suas leges. num. 2.

Ciuis priuilegiatus se differmas à cæteris, & tamen non peccat. eod. num.

Et si verum sit quod subditus tenetur obedire superiori, non propterea superior tenetur vniformari moribus subditorum. num. 3.

Si Princeps non posset obseruare suam legẽ ex affectu obedientiæ, nõ peccaret non obseruando suam legem, neque venialiter. num. 4.

Princeps tenetur ad suas leges, sed non ex illo principio, Quod tibi non vis alteri ne feceris. num. 5.

Legislator constituendo legem, opus præceptũ non constituit sub certa specie virtutis, sed illud præsupponit sub certa virtutis specie. num. 6.

Princeps, seu legislator tenetur ad proprias leges, sed non quia caput, & vt tale teneatur vniformari cæteris membris. num. 7.

Leges positiuę habent vim obligandi in conscientia à lege æterna, à qua derivantur mediante lege naturali. num. 8.

In lege positiua duplex est vis, coactiua s. & directiua, prima pœnas imponit, secunda obligat in conscientia. num. 9.

Tam vis directiua, quàm coactiua fundatur in potestate Principis, tamen vis coactiua exire non potest in actum secundũ sine potestate Principis, non sic vis directiua. num. 10.

Quod actus humanus sit conformis, vel difformis

Digitized by Google

formis legi positiuæ non proueniat à potestate Principis, sed à lege ipsa naturali diuina, & à natura actus, qui si sit conformis legi stabilitæ dicitur bonus, si difformis dicitur malus. eod. num.

Quia vis coactiua indiget auctoritate Principis, non se extendit ad Principem ipsum. num. 11.

Vis directiua est à voluntate Principis tanquã à determinante, & est à lege aeterna tanquam à causa efficiente. eod. nu.

Ad Pontificem spectat declarare hanc propositionem esse de fide, sed quod de fide credatur habetur à reuelatione diuina. eod. num.

Quia Princeps tenetur ad legem aeternam, & vis legis positiuæ prouenit à lege aeterna, ideò tenetur ad propriam legem. num. 12.

Princeps est pars principalis communitatis per se. num. 13. Sicut tenetur per se, & nõ per accidens sequi bonum, & vitare malum. eod. num.

Qui non potest esse obediens non includitur sub lege, prout dicit coactionem, non vero directionem. num. 14.

Princeps non tenetur ad vim legis coactiuã, quia non potest sibi ipsi esse inuitus. num. 15.

Posita determinatione legis à Principe etiã si velit non potest sibi non esse imposita à lege naturali. num. 16.

Est in posse Episcopi declarare aliquem esse incendiarium. At posita tali declaratione absolutio est expectanda à Pontifice. eod. num.

Principẽ faciendo contra proprias leges peccare tantum venialiter putat Bonacina. num. 17.

Lex quoad culpam obligat vltra voluntatẽ legislatoris, secus vero quoad pœnam. num. 18.

Actus dicitur difformis siue conformis legi velit nolit legislator. eod. num.

Qui tenetur ad legem indirectè, simpliciter tenetur. nu. 19.

Princeps peccat mortaliter faciendo contra proprias leges si materia præcepta grauis sit. num. 20.

Vis coactiua præsupponit vim directiuam, & sic coactiua præsupponit culpam in suo esse constitutam. num. 21.

Vis coactiua nihil operatur ad formale constitutiuum peccati. eod. nu.

Princeps in tantum tenetur se vniformare moribus ciuium, in quantum mores sunt conformes legi. num. 22.

Princeps tenetur per se ad legem, & si mediatè. eod. num.

RESOLVTIO LXVIII.

An Princeps teneatur seruare suas leges?

HIc loquor de Principibus absolutis, & de legibus conuenientibus statui Principum. Ferè omnes Doctores conueniunt Principem teneri obseruare leges à se ipso latas, quoad vim directiuam, non verò coactiuam. Ita D. Thomas 1.2. quæst. 96. ar. 5. ad tertium, quod meo iudicio idem est ac dicere, tenetur ad entitatem legis, non verò ad pœnas, nec quatenus est ab ipsomet Principe legislatore, vt patebit ex infrà dicendis. 1

Prima pars, quod scilicet Princeps teneatur tantum quoad vim directam, Probatur à Vasquez 1.2. q. 96. art. 5. disp. 157. cap. 3. num. 19. his verbis: Hac sola ratione communis sententia confirmanda est. Sicut ius naturæ præcipit, vt inferiores superiorum mandatis, & præceptis obediant, & ad illa se conformẽt: illis enim nõ obedire magna erit in corpore mystico Reipublicę dissonantia cum suo capite; eodem modo ratione naturali constat Principem vita, & moribus cum reliquo corpore conuenire debere, quod si sua etiã statuta, & leges non obseruaret, sed ipse alio iure viueret, quàm populus, multum à reliquo corpore Reipublicæ discordaret, & rectæ rationis regulam non teneret, id quod in detrimentum quoque Reipublicæ, & rectę gubernationis cederet. Hęc Vasq. ibi.

At pace acutissimi Doctoris hęc ratio non probat, quia subditus peccat 2

non

non ex eo quia se difformat à cæteris, sed ex eo quia se difformat faciendo contra præceptum superioris, seù cõtrà regulam rationis. Nam ciues priuilegiati se difformant à reliquis ciuibus, & tamen non peccant, etsi non obediunt præceptis superiorum. Vnde malitia non consistit in difformatione tantum, sed in difformatione, & inobedientia, ergo sicut non peccat ciuis priuilegiatus, & si se difformet, ita etiã nec Princeps. Nec valet dicere, quod magna resultaret dissonantia in Republica si Princeps non se conformaret vitæ, & moribus aliorum, & sic in detrimentum Reipublicæ, & gubernationis. Quia sic asserere est affirmare Principẽ teneri per accidens ad obseruantiam, nempè ratione detrimenti, & gubernationis, non verò per se, & directè: & sic cessante detrimento, & damnificatione gubernationis posset Princeps facere contra suas leges; quod neque Vasq. concedit, immo impugnat confirmationem adductam à lege sui Regni ex eo quod non probat directè Principẽ obligari suis legibus, his verbis, Addit etiam aliam (scilicet rationem lex sui Regni) quia legislator ipse nimium in æstimatione populi, si legem suam non obseruaret, vilescceret, quæ sanè ratio non probat legislatorem sua lege directè obligari, sed ratione solum scandali, aut boni nominis, quod conseruare debet. &c. Ergo neque ratio Vasquez probat, quia probat tantum teneri Principẽ ratione detrimenti, quod oriretur ex difformatione Principis à suis subditis.

Subdit Vasq. loc. cit. suam rationem alio modo explicatam his verbis, Ratio igitur vnica ea mihi videtur esse, quam supra posui, quia eadem lege naturali, qua subditus debet superiori obedire, superior etiam tanquam caput ad reliquum corpus conformari debet. Quarè Princeps non potest obseruare suam regulam, & legem ex affectu obedientiæ, quia nullum agnoscit superiorem, à quo præceptum accipiat: sed tantum ex affectu virtutis, in cuius materia collocatur id, quod lege statutum est, vt si sit in materia ieiunij obseruare poterit legem ex affectu abstinentiæ, & sic de alijs: contra verò inferior obseruare potest legem sibi impositam, & ex affectu obedientiæ, quia potest recipere legem, vt traditam à superiore, & ex affectu eius virtutis, quæ legè ipsa præcipitur. Hæc Vasq. ibi.

3 Sed contra est primò. Nam falsum est, quod sicut tenetur subditus obedire superiori, seu præcepto ipsius, ita superior tenetur se vniformare subditis. Quia vel tenetur se vniformare moribus subditorum quatenus sũt mores à subditis, & hoc dici nõ põt, quia sic teneretur superior obedire subditis, seù moribus ipsorum, tanquam præceptis ab ipsis, & sic non magis tenerentur subditi obedire Principi, quã Princeps subditis, ergo nõ Princeps, sed subditi essẽt caput, quatenus Princeps teneretur obedire corũ moribus: vel non quatenus sunt à subditis, sed quatenus præceptis ab ipsomet superiore, & sic teneretur sub præcepto obedire sibi ipsi, quod falsum est, quia obedientia superiorem supponit, & nemo est superior sui ipsius. Igitur tenetur subditus obedire præceptis superioris, & hoc de iure naturæ; non verò superior vniformari moribus subditorum.

Contra secundò, quia ideò Princeps tenetur, quia caput; sed est caput tantũ in foro fori, & non in conscientia, & ideò præcipere non potest actum merè internum, ergo non tenetur in cõsciẽtia. Probatur consequentia, quia in illo foro tantũ tenetur Princeps, in quo est caput, sed est caput tantum in foro fori, ergo in illo tantum tenetur.

Nec dicas, q̃ q̃a Princeps est caput in foro fori, ideò tenetur in cõscientia, quia tenetur, vt caput non dehortari subditos ab obedientia legis.

Nã cõtra est, q̃a sic teneretur p̃ accidẽs, & indirectè, & nõ per se, & directè ad legẽ, q̃a teneretur ad nõ scandalizãdũ subditos, quod neq; Vasq. concedit.

Con-

Digitized by Google

Cõtra est tertiò, si Princeps ex Vasq. non potest obseruare suam legem ex
4 affectu obedientiæ, sed tantum ex affectu virtutis, sequitur 9 Princeps nullomodo peccat mortaliter, neque venialiter faciendo contra legem. Sequela patet, quia præciso actu obedientiæ præcipientis. v.g. esse ieiunandum in vigilia, nullum est peccatum non ieiunare: ergo si Princeps tenetur ad legem prout præcisam à præcepto, non peccabit, sicut nõ peccat subditus edẽdo quãdo præceptum non est ieiunium. nam ieiunium in tantum habet vim legis, in quantum est præceptum à superiore, quia si nunquam præciperetur nunquam haberet vim legis. Sed non tenetur Princeps in quantum est præceptum, ergo non tenetur Princeps in quantum habet vim legis, ergo non peccat Princeps, quia non facit contra Præceptum. Confirmatur, quia respectu Principis videtur non esse præceptum, sed vis legis prouenit à præcepto, ergo respectu Principis non habet vim legis.

Et impugnationes istæ maximè procedunt in legibus positiuis proueniẽtibus à lege naturali, & diuina per modum determinationis.

Probat etiam Sotus de iustitia, & iure lib. 4. q. 6. ar. 7. documento primo, his verbis, Ex illo principio naturali, Ius quod tibi non vis, alteri ne statuas. Cõtrarium enim reprehendit Christus dicens, quod imponunt alteris onera, quæ ipsi non tangunt, eo ergo, quod Princeps statuit legem, iure naturæ illi submittitur. Hæc Sotus.

5 Sed cõtra est, nam illud principium: Ius quod tibi non vis alteri ne statuas, vel nõ facit ad rẽ, vel nihil probat. Nã vel intelligitur, 9 posito quod Princeps esset subditus nollet illam legem rationabiliter, quia scilicet esset inobseruabilis, &c. & lex illa, lex non est, quia ad impossibile nemo tenetur: & secundus hunc sensum est vera propositio, sed nihil probat, quia nec Princeps, nec subditus tenetur ad obseruantiam huius legis. Vel Princeps posito, quod esset subditus nollet illam legem irrationabiliter, & secundum hunc sensum falsa est propositio, quia subiectio tolerari non potest, & consequenter nemo vellet, quod Princeps leges imponeret: & sic nunquam posset Princeps leges ferre. Quod si loquamur de Principe in statu Principis, & de subditis in statu subiectionis, etiam est ab re principium illud, nam displicet contributio Principi, ergo neque Princeps potest imponere contributionem subditis; sic etiam displicet subiectio, ergo neque debet subiicere subditos, falsæ sunt hæ cõsequẽtiæ secundum hũc sensum. Quod verò Christus reprehendit, non est, quod legislatores legum nõ obseruabant, sed quia imponebant onera importabilia, quæ onera verè leges nõ erant, quia non erant secundum rectã rationem, & ipsi neque digito tangere ea volebant. Cõsequentia deindè Soti vera est, sed non ex allatis præmissis deducta.

Sequitur Sotus suam deductionem his verbis, Sed fortè clarius id sic deducitur. Legislator legem condens opus tale constituit in recta virtutis specie, vt fœreus Papa legem Ieiunij constituit illud virtutem obligatiuam abstinẽtiæ, & præcipiens seruare aliquod festum, illud collocat in virtute Religionis. Constito autem virtutis opere, tota Respublica, atq; adeò ipsum caput tenetur secundum illam agere, &c. Hæc Sotus.

6 Sed contra est, nam falsum est illud principium, quod legislator constituẽdo legem, opus tale præceptum constituit sub certa specie virtutis. Ieiunium enim antequam præcipiatur à Papa est virtus abstinentiæ, seù est sub virtute abstinentiæ, seu temperantiæ. Quod patet, nam si aliquis ieiunet ex affectu temperantiæ diebus non præceptis, verè actum temperantiæ facit, & tamen præceptũ nõ est, ergo verũ nõ est, quod lex constituat sub certa virtutis specie id quod præcipit, cum sit sub virtute

ante

ante præceptum, quia materia legis esse non potest nisi, aut actus virtutis, aut indifferens, quatenus conducens ad bonum commune, quod idem est, ac esse virtuosum extrinsecè.

Addo quod cum materia legis præsupponatur ad legem, tanquam determinabile ad suum determinatiuum, & materia legis non possit esse nisi actus virtutis, prius est virtuosum id, quod præcipitur, & deindè præcipitur, ergo non à lege, seu præcepto constituitur in certa specie virtutis, sed præsupponitur constitutum in esse virtutis id, quod præcipitur. Verum tamen est, quod illud, quod erat sub lege naturali sub communi specie virtutis, à lege positiua indiuiduatur, v. g. abstinentia à cibo, quę erat sub communi specie abstinentiæ, indiuiduatur à lege ieiunium præcipiente, ad ieiunium tantum.

Dices, quod caput tenetur se conformare membris ex vi legis naturalis, seu positiuę.

7 Sed contra est, quia caput quũ sit mẽbrum principale non tenetur præstare operationes cęterorum mẽbrorum, sufficit enim si se conformet, vt caput, & non vt cætera membra: imò dissonum est, vt caput præcipiens non se difformet à cęteris membris, quia sic non posset cognosci membrum Princeps: & sic caput non debet præstare opera laboriosa, sed tantum præesse illis; sic Princeps, &c. Ciuitas enim est corpus etherogeneum, & ideò non est necessaria vniformitas membrorum.

Addo, quod Princeps esset peioris conditionis, quàm cętera membra, nam ipse teneretur ad legẽ, vt cętera mẽbra, & deinde teneretur vigilare, vt cętera mẽbra obseruarent legem, ergo esset caput, & mẽbrũ, ergo subditus, & superior. Si enim caput, ergo non debet habere eundem actum cum cęteris membris ex D. Paulo ad Rom. 12. Sicut enim in vno corpore plura membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, &c. Nam sufficit si caput præcipiat bonum in ordine ad bonũ cõmune, & faciat vt obseruetur pceptũ à subditis, & sic differt actus capitis ab actu cęterorũ membrorum.

Et nota, quod onus, seù lex vel imponitur à capite ipso huius corporis, vel ab alio superiore extra corpus. Si primum falsum est, quod se debet conformare cum cęteris partibus corporis, quia sic non dignosceretur caput à partibus, vnde non esset caput huius corporis, seù pars præcipua, sed compars, vt aliæ, cum haberet eundem actũ ac alię compartes: si autẽ lex prouenit ab alio superiore extra corpus, verum est, quod caput sit pars, quia respectu superioris priuilegiatum non est.

8 Pro probatione igitur huius veritatis, sciendum est primò obligationẽ in conscientia in lege positiua prouenire simpliciter à lege diuina. Ita D. Thomas 1.2. q. 96. ar. 4. in corpore his verbis, Respondeo dicendum, quod leges positiuę humanæ, vel sunt iustæ, vel iniustę: si quidem iustæ sint habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua deriuantur. Hęc D. Th. ibi. Deriuatur verò lex positiua à Diuina non immediatè, sed mediantè lege naturali. Ita Caietanus 1.2. q. 96. ar. 5. ad hoc dubium, &c. & sic mediante lege naturali lex positiua habet vim obligandi in conscientia.

9 Quod vt clarius pateat Notandum est cum eodem Caietano loco cit. in lege positiua duplicẽ esse vim, coactiuam scilicet, & directiuam. Vis coactiua inducit pœnas pro obseruantia legis; vis verò directiua respicit actus ipsos licitos, vel illicitos, vel indifferẽtes. At quod hoc sit licitum, vel illicitum spectat ad conscientiam, quia cõscientia applicat vniuersaliora principia naturalia ad casus particulares in ordine ad operandum. Vis ergo legis obligatiua in cõscientia spectat ad vim directiuam: vis verò legis impositiua pœnarum spectat ad vim coactiuam, vt patet.

10 Sciendum est secundò, quòd tàm vis directiua, quàm coactiua, le-

gis fundatur super potestate principis, quia neque vis coactiua, neque directiua legis habet vim obligandi, nisi lex sit ab habente potestatem, tamen differunt quoad exercitium, seu quòad actum. Quia vis coactiua legis non solum fundatur in potestate Principis, sed etiam exerceri nō potest, seù exire in actum secundum sine potestate eiusdē Principis. Et ratio est, quia cum actus huius vis sit cogere, & punire inuitum, & nemo potest cogere, & punire inuitum, nisi auctoritate Principis, hinc est, quod exercitium huius actus indiget eadem Principis potestate. At vis directiua legis, & si indigeat potestate Principis pro sui fundatione (nam non teneor dirigere actus meos secundum legem, nisi lex sit ab habente potestatem:) tamen actus secundus non indiget potestate Principis, sed prouenit a lege ipsa naturali, seu Diuina per naturalem. Quod enim actus ieiunii sit conformis, vel difformis legi, non prouenit à potestate Principis, sed à lege ipsa naturali diuina, & à natura actus, pendebat enim à voluntate Principis, quod esset ieiunādum: at semel stabilita lege ieiunii, amplius non spectat ad Principē exercitium actus, prout dicit bonitatem, vel malitiam, sed prouenit à natura ipsius actus, qui actus si conformis est legi, dicitur bonus, si difformis dicitur malus: & quod bonum sit amplectendum, & malum fugiendum, prouenit à lege naturali, seu diuina, & sic quod actus fit faciendus conformis legi, etiā à lege naturali diuina prouenit. Sicut dicimus in materia de fide, q spectat ad Pontificē declarare, an hæc propositio sit de fide, sed semel declarata non spectat ad ipsum facere, quod hic actus circa hanc propositionem sit conformis, vel difformis huic propositioni: sed difformitas, vel conformitas prouenit à natura ipsa actus secundi, qui si confirmis est dicitur fidelis, si difformis dicitur infidelis.

11 Hinc fit, quod vis coactiua non potest se extēdere ad Principem, quia hic actus secūdus indiget auctoritate eiusdē Principis, & sic sibi ipsi deberet esse inuitꝰ subijciēdo se pœnę, q dici nō pōt. Neque in actu primo, q a frustra est illa potentia, quę nō potest reduci ad actū. At vis directiua, cum non indigeat voluntate Principis, sed seipso potest quis suos actus rectos, vel malos facere, seù cōformes, vel difformes legi, extēdit se ad Principē, & ad subditos, & lex naturalis diuina clamat malū esse fugiēdū, & consequenter actum difformē legi faciendum non esse: & bonum esse amplectendum, & consequēnter actum conformem legi esse faciendum. Hinc fit, quod vis directiua quoad exercitiū non à legis latore, sed a lege naturali habetur, & sic vis directiua quoad exercitium in lege ipsa positiua, nullā aliam vim directiuam habet, nisi illam, quam recipit à lege diuina per legem naturalem. Igitur vis legis directiua est à voluntate Principis, tanquam à determinante Salas de legibus qu. 69. disp. 11. sect. 2. num. 17. vers. secundo respondeo, &c. Quia ad Principem spectat determinare, seù promulgare legē, & sic illud, q cōmune erat in lege naturali, Princeps determinat ad hoc vel illud speciale, est etiam à lege æterna tanquā à causa efficiente; quia semel à Principe determinatę legi lex diuina dat vim directiuam: sicut diximus spectare ad Pontificē declarare hanc propositionem esse de fide, sed quod de fide credatur non à Pontifice, sed à reuelatione diuina habetur, sicut etiam in naturalibus, causa vniuersalis, e.g. Saturnus (exemplum Caietani) est causa rerum fixarum vniuersaliter, & tū determinatur à semine animalis ad producendum ossa e.g. & sic producere tale animal sub Saturno, est determinare Saturnum ad producendum ossa in tali animali. Ita determinare legem sub Deo, est determinare Deum ad communicandum vim obligatiuam in foro conscientiæ legi: & sicut ossa recognoscunt pro causa effectiua Saturnum, &

pro

pro causa determinante semen producentis; ita vis obligatiua in conscientia, seù directiua in lege recognoscit pro causa efficiente legem æternam, pro causa verò determinante Principem. His positis

12 Probatur nostra respõsio, quod scilicet Princeps teneatur ad entitatem legis à seipso latæ, sed non quia ab ipso est lata. Quia tota vis directiua in lege positiua pendet tantum à lege æterna per legem naturalem, sed Princeps per se tenetur ad legem diuinam, cum sit illi subiectus, ergo Princeps tenetur per se ad vim directiuã legis posstiuæ.

13 Confirmatur, quia Princeps est homo viuens in communitate per se, & nõ per accidens, cum sit caput, & caput sit per se, & non per accidens in corpore, ergo tenetur p se ad leges huius corporis. Consequentia patet, nam sicut est homo communitatis, ita tenetur ad onera huius communitatis.

Confirmatur secũdò, quia Princeps tenetur per se, & non per accidens sequi bonum, & vitare malum, sed stante determinatione Principis de aliqua lege actus conformis huic ligi dicitur bonus, & difformis dicitur malus; ergo Princeps tenetur per se elicere actum sm̃ legem, & fugere actum oppositum.

Dices ex Merolla disp. 4. cap. 3. nu. 627. qui non potest esse obediens, vel inobediẽs non põt includi sub lege, & põcepto (hęc sũt verba Merollę) q a quicũq; violator legis, seù põcepti positiui est verè inobediẽs legislatori, & obseruator est verè obediens; sed legislator non potest esse sibi obediens, vel inobediẽs, nec respectu sui exercere vitiũ inobediẽtiæ, aut virtutem obediẽtię, ergo non potest directè, seù indirectè, & per se obligari sua lege, & præcepto. Hæc Merolla.

14 Resp. Qui non potest esse obediens, non includitur sub lege, &c. Distinguo, non includitur sub lege secundum quod dicit vim coactiuam concedo, quia obedientia dicit superioritatem, & consequenter coactionem. Non includitur sub lege secundum quod dicit vim directiuam negatur, quia vis directiua nullam superioritatem supponit, vt diximus. Ad probationem maioris etiam distinguo. Quicunquè violator legis positiuæ est verè inobediens si legem violat, prout est à legislatore, & concedò: si legem violat, quæ est à legislatore, & nego, qui enim ignoranter legem violat, dicitur violator legis, quæ est à legislatore, nõ verò prout est à legislatore, & sic non dicitur inobediẽs formaliter, &c. Sic Princeps faciendo contra propriam suam legem violat legem, quæ est ab ipso, sed non prout est ab ipso, sed quatenus vim recipit à lege naturali, & ideò non dicitur formaliter inobediens legi humanæ.

Dices secundò ex eodem Merolla suprà num. 628, quod si posset Princeps obligari per se sua lege ad aliquid faciẽdum (hæc sunt verba Merollę) quod non deroget eius statui, & dignitati, nõ videtur quarè etiam non posset se obligare ad pœnam sustinendam, quę suo statui, & dignitati non deroget, vt ad solutionem alicuius pecuniæ, vel ad recitandum officium, sed hoc nullus admittit, ergo nec primum admittere debemus. Hæc Merolla.

15 Sed contra est, nam vt dixi in secundo prẽmissio vis coactiua nõ solũ pẽdet à Principe in suo esse, sed etiam exercitium ipsius: vnde exire non potest in actum secundum sine potestate ipsius Principis, non sic vis directiua. Hinc fit, quod quia nemo potest esse sibi ipsi inuitus, ideo non potest Princeps luere pœnas ab ipso impositas, exequutio enim pœnę requirit potestatem Principis, quia cum sit in inuitum, nemo absq; voluntate Principis potest cogere inuitum ad pœnã pro bono publico impositã: cũ ergo actus secũdus, seù executio operis vis directiuæ non pẽdeat à volũtate Principis; actus verò secũdus, seù exquutio operis vis coactiuæ pẽdeat, hinc est, quod Princeps peccet non obseruando leges, & non tene-

Digitized by Google

tur ad pœnas, vt optimè Salas de legibus quæst. 96. disp. 14. sect. 2. num. 17. vers. Secūdò resp. his verbis, Secundò respōdeo, & hanc solutionē nota, quod fortassis lex lata à Principe respectu Principis non habet vim legis propriè loquendo; nam non est causa immediata, & proxima, à quà Princeps in conscientia obligatur sua lege, sed est cōditio requisita, qua posita emanat iure naturali obligatio ad seruandā suā legē.

Dices tertiò ex eodem Merolla loc. cit. num. 529. quia frustrà ponitur obligatio, quā ipse Princeps potest si velit non imponere (hęc sunt verba Merollę) aut impositam auferre secum dispensando, sed Princeps sine vlla causa posset validè vtrumq; facere, sicut posset validè aliquem alium in sua lege non includere, & inclusum postea excipere, ergo frustrà diceremus Principem sua lege directe, seu immediatè obligari, sicut obligantur subditi. Hæc Merolla.

16 Sed contra est, nā prima pars maioris distinguenda est sic, frustrà ponitur obligatio, quam ipse Princeps potest si velit non imponere, si obligatio pēdet à voluntate Principis simpliciter, & absolutè, concedo. Si obligatio pēdet tantum quoad determinationem à voluntate Principis, sed effectiuè à voluntate superioris Principis, & nego. Exēplum est manifestum in illis excommunicationibus, quæ sunt reseruatæ Pontifici post declarationē Episcopi, vt de incendiarijs, &c. Si .n. Episcopus vult, pōt non declarare tales esse incendiarios, at stante quod ipse Episcopus declarauit tales esse incendiarios, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Pontifici cap. tua nos de sent. excommunic. si enim aliquis diceret, frustrà ponitur obligatio, quam Episcopus potest si velit non imponere, vtiq; diceretur, ꝙ falsa est ꝓpositio, nā stāte declaratione obligatio ꝓuenit à Pōtifice, & nō ab Episcopo: sic stāte determinatione, seu ꝓmulgatione Principis alicui⁹ legis obligatio ꝓuenit à lege naturali in ipsa lege positiua, & nō à voluntate Principis, & sic nego secundam partem maioris; nempè quod potest Princeps impositam auferre secum dispēsādo, si intendas quoad vim directiuam sine causa, nā non potest Princeps secum dispensare in conscientia sine causa. Ad minorem resp. quod falsū est, esse in posse Principis non includere, vel inclusum excludere sine causa à lege, si loquimur quoad vim directiuam, & in conscietia. Nam quod actus elicitus ab hoc ciue excluso à lege per Principem sine causa sit conformis, vel difformis legi stabilitæ, in quo consistit formaliter peccatum, nullo modo pendet à voluntate Principis, sed à natura actus, & hoc est teneri in conscientia, nempe teneri facere actum conformē legi, quod non est in posse Principis.

17 Sed quæres, an peccet legislator nō seruando proprias leges? Bonacina de legibus disp. 1. q. 1. puncto 6. num. 23. vers. Respondeo, &c. dicit quod peccet tantum venialiter, quādo cum Lessio tenet non peccare mortaliter. Ratio est, tum quia lex non obligat (hæc sūt verba Bonacinæ) vltra voluntatē legislatoris: legislator autem non præsumitur velle sibi tantam obligationem imponere: tum quia Princeps tenetur suis legibus solū ex honestate, & ex æquitate, ergo non videtur teneri suis legibus ex graui obligatione. &c. Hæc Bonacina.

18 At hic discursus Bonacinæ non placet, tum quia non est verum, quod lex non obligat vltra voluntatem legislatoris, si loquamur quoad culpam, & si verum sit si loquamur quoad pœnam. Nam cum culpa formaliter consistat in difformatione regulæ rationis, siue velit, siuè nolit legislator actio erit conformis, vel difformis regulę rationis, & consequenter peccaminosa, vel virtuosa. Quibus addo, quod cum legislator determinet tantum legem naturalem, hinc est, quod stante sua determinatione ad hunc, e.g. actum, non est amplius in posse suo, quod hæc lex habeat vim, vel non, sed vim recipit à lege naturali,

vt

Digitized by Google

vt cum D. Thoma, & Caietano diximus supra, & tantam vim recipit, quantam ipsummet ius naturale confert. Addo etiã, quod si esset in voluntate legislatoris obligatio, ipse nollet obligare se, ne venialiter quidem, sed potius vellet, vt sua transgressio esset actus virtutis, quod nemo dixit.

Dices ex eod. Bonacina loc. cit. vers. alij, & Diana 1. p. tract. 10. res. 10. vers. sed mihi, &c. Quia Princeps non tenetur seruare suas leges, nisi tantum indirectè, non verò directè, ergo, &c.

19 Sed contra est, quia ly indirectè non facit, q nõ teneatur ad leges, nam teneri indirectè est simpliciter teneri, sed non eadem via, qua tenentur subditi, sed tenetur ad eandem entitatem à lege præceptam: teneri enim indirectè non facit, quod actus Principis sit magis, vel minus conformis regulæ rationis, seù legi: cum ergo regula vna sit in hoc corpore, actus membrorum huius corporis debent se vniformare huic regulæ: vnde si difformantur notabiliter, siue sit actus Principis, siuè subditi, par est difformatio: si ergo est peccaminosa in subdito hæc difformatio, eadem inuenta in Principe erit eodem modo peccaminosa; nam ly directè nõ appellat difformationem, vel conformationem, sed tãtum appellat modum, quo quis tenetur: entitas enim obligationis eadem est, & si ex diuerso modo proueniat, nam in subdito prouenit immediatè à legislatore, in Principe ab obligatione se vniformandi moribus ciuium secundum aduersarios. Quod magis patebit ex infra dicendis.

20 Melius tamen videtur respondere Suarez de legibus lib. 3. c. 35. num. 8. & 20. Quod Princeps peccet mortaliter si materia grauis sit faciendo contra proprias leges. Et ratio hæc mihi videtur esse, quia regula rationis huius corporis, seù Ciuitatis est lex promulgata à tali Principe, & peccatum formaliter consistit in difformatione à tali regula: cum .n. aliquod membrũ huius corporis se difformat à tali regula per actum liberum, dicitur formaliter peccare: sed ita est difformis à tali regula actus Principis, ac actus subditi, & ita est mẽbrum huius communitatis Princeps, vt subditus, immò magis Princeps, quam subditus, ergo sicut actus difformis subditi dicitur peccaminosus, ita actus difformis Principis.

Dices, quod Princeps non tenetur vi coactiua, sicut subditus, sed tantum vi directiua, & ideo actio subditi est peccaminosa, & non actio Principis.

21 Sed cõtra est, quia vis coactiua præsupponit vim directiuam, & sic vis coactiua præsupponit culpam constitutam in suo esse, nam cogimus nolentem legem obseruare, ergo prius non vult, & postea cogitur, ergo coactio præsupponit nolitionem, seù difformationem à lege. Igitur non ex eo quia Princeps non tenetur vi coactiua, ideò non peccat, nam peccatum est iam constitutum antequam coactio veniat, nec potentia coactiua culpam inducit, si sit actio conformis legi, quia Iustus potest cogi, & tamen eius actio secundum legem peccaminosa non est. Coactio enim est quasi pœna, seù potentia ad pœnam imponendam, & pœna non ponit, sed supponit culpam, ergo vis coactiua nihil operatur ad formale peccati: peccatum enim consistit in difformatione, seu conformatione regulę rationis, quę est lex; nam non ideò quis peccat, q a potest cogi ad actum secundum legem, sed ideò peccat, quia actus est difformis regulæ rationis, quæ est lex.

Dices, quod Princeps tenetur per accidens ad legem, nam ideo tenetur, quia lex naturalis præcipit, quod caput se vniformet cæteris partibus corporis, & sic tenetur tantum ad vniformitatẽ omnium ciuium per se, ad legem verò per accidens.

22 Sed contra est, nam Princeps in tantum tenetur cõformari moribus ciuiũ, in quantum mores sunt cõformes legi, seù habent rectitudinem à lege: Nam nisi mores ciuium essent recti, etiam si essent p̃cepti, Princeps non teneretur se

Digitized by Google

conformare illi, ergo caput tenetur moribus totius communitatis, quatenus in illis relucet regula rationis, quæ est lex, ergo tenetur Princeps per se ad legem, sed mediatè, & si non immediatè, seù tenetur ad id, quod lex præcipit: mores enim quatenus vniformantur legi sũt id, q̃ lex præcipit. Nam habemus legem, mores ciuium vniformes legi, & mores Principũ vniformes moribus ciuium. Hinc sic arguo, Vel Princeps tenetur se vniformare moribus ciuium (non dico legi, sed moribus ciuium) per accidens, vel per se. Nõ potest dici primum, quia cum caput sit per se in corpore, & non per accidẽs, & quia est in corpore tenetur ad talem vniformitatẽ, dici non põt q̃ per accidẽs teneatur: si ergo tenetur, tenetur per se vniformari moribus ciuium, ergo tenetur per se ad entitatẽ legis, seù ad id, quod lex præcipit; mores enim ciuiũ, prout sunt cõformes legi, sunt id, quod lex præcipit. Peccat igitur Princeps, sicut subditus, quando actus Principis ita est difformis legi, sicut actus subditi, &c.

Dicendum igitur est, quod etiam, secluso scãdalo peccet legislator mortaliter, si materia grauis sit, faciendo contra propriam legem.

SVMMARIVM.

Ignorantia inuincibilis concomitans, & antecedens excusat à culpa. num. 1.

De præcepto naturali vestito aliqua circumstantia datur ignorantia inuincibilis. num. 2.

Dicitur quis laborare ignorantia inuincibili, quando nec notitiam, nec dubitationem, nec scrupulum habet de aliqua re. numero 3.

Iustitia in materia damni illati non obligat ad suos actus ignorantem inuincibiliter. num. 4.

Qui bona fide damnum alteri infert, vel bona aliena dilapidat, ad nullam tenetur restitutionem, nisi in quo factus est ditior. eod. num.

Agere bona fede idem est, ac agere ignoranter. eod. num.

Præceptum correctionis fraternæ tũc urget, quando probabiliter speratur emenda. num. 5.

Dubium iuris nullam inducit irregularitatem, & ideo qui hoc dubio laborat, non est censendus irregularis. num. 6.

Ius apparens, vel simile non potest inducere irregularitatem. eod. num.

Irregularitas oritur à iure tanquam à causa efficiente. eod. num.

Pœna irregularitatis est infligenda ab ipsa irregulari sibimet, vnde irregularis est iudex, & executor. eod. num.

Lex non obligat, nisi sit sufficiẽter promulgata. eod. num.

Pater naturalis, qui abortum non impedit, si inuincibiliter ignorat teneri impedire, nõ est irregularis. num. 7.

Qui amittit actum debitum ex iustitia, ex qua omissione sequitur homicidium, fit irregularis. num. 8.

Pater naturalis non tenetur alimenta præstare filio illegitimo, nisi post tertium annum. num. 9.

Ex sententia Lessij Pater nõ tenetur defendere vitam filij ex iustitia. num. 10.

Qui dolo non impedit percussionem clerici, cum possit, non est excommunicatus ex vi can. Si quis suadente, &c. sed ex cap. quanta de sentent. excom. num. 11.

Qui furtum non impedit, non dicitur fur; ita nõ dicitur homicida, qui homicidium non impedit. eod. num.

Mulieri dicenti se concepisse ex aliquo, credere non tenemur. num. 12.

Quod verum est etiam si constaret de adulterio. eod. num.

Partus semper præsumitur ex matrimonio natus. eod. num.

Mulieri allegantiproriam turpitudinem credendum non est. num. 13.

In his, qua pendent ab animo alterius standum est dicto eius; dummodo contra eum non adsit præsumptio iuris. num. 14.

Qui in vno mendacium dixit, in omnibus mendax præsumitur. num. 15.

In dubio, an fœtus sit animatus, præsumitur inanimatus. num. 16.

In

In dubio homicidij semper supponitur irregularis, dummodò subiectum sit capax mortis, secus dicendum est, quando dubitamus de capacitate mortis subiecti. num.17.

Si pater non impedit abortum filij naturalis, dubitamus an ius statuens irregularitatem se extendat ad hunc casum. n.18.

Irregularitas ex homicidio semper supponit peccatum letale. num.19.

Defectus lenitatis non datur, nisi homicidium sit per se volitum. eod. num.

Desiderium homicidij non inducit irregularitatem. num.20.

RESOLVTIO LXIX.

Quidam Clericus carnaliter cognouit viduam, quæ se asserebat honestam. Hæc aperuit clerico se concepisse ex illa copula, & habere animum faciendi abortum; clericus inuincibiliter ignorabat qua patrē se teneri impedire talem abortum. Vndè nec consensit, nec dissensit. Deinde talis vidua secundo mense manifestauit se fecisse abortū; & postea clericus aduertit ipsā inhonestam, & sui ipsius copiam aliis facientem. Quæritur, an talis clericus sit censendus irregularis?

PRo responsione suppono primò talem clericū non peccasse nō impediendo talem abortum. Quod patet, nam talis clericus operatus est cum ignorantia inuincibili; inuincibiliter enim ignorabat teneri impedire talem abortum, ego talis actus, seù talis negatio actus debiti fuit inuoluntariè, vel saltem non voluntariè, ergo sine peccato. Quod verum est, etiam si hæc ignorantia inuincibilis fuisset concomitans, & non antecedens; idest etiam si talis clericus de tali debito notitiam habuisset, & impedimentum nō posuisset. Ita Vasquez par.2.disp.125.cap.1. & 3. Suarez tom.5.in 3. par. disput.4. sect.8.num.8. Sanchez in summa lib.1. cap.16.num.13. Merolla disput.1. cap. 2. num.24. Nec obstat, quod præceptū hoc sit à natura. Nam etiam de præcepto naturali, vestito aliqua circumstantia, vt esset in casu nostro, potest dari ignorantia inuincibilis, vt optimè probat Vasquez loc.cit.disp.122. cap. 2. Sanch. loc.cit.n.33. Azorius to.1.lib. 1. c.13. pun.1. Circūstantia n. sūt, si proles non est legitima, sit abortus ob defensionem honoris, & dubitatur de animatione prolis; & dato, quod hæ conditiones non adessent, re vera talis clericus nec notitiam habebat, nec dubitationem, nec scrupulum de tali obligatione, & consequenter laborabat vera ignorantia inuincibili. Ita Suarez loc.cit.nu. 18. Sanchez loc. cit. num.21. Coninch de actibus supernaturalib. disp.14.dub.11. num.229.

Suppono secundò, in materia damni illati iustitiam nō obligare ad proprios actus agentem cum ignorantia inuincibili; vnde ignorantia tantum excusat ab obligatione iustitiæ, siuè sit antecedens, siuè sit concomitans. Lessius lib. 2. de iustitia cap.7. dub.9. num.46. Et meritò, nam cum actio illa non sit culpabilis, cum non sit voluntaria, consequenter nec charitati, nec iustitiæ est opposita, talis enim oppositio supponit culpam; vt probauimus supra resol. 10. num.3.

Hoc idem absolutè dicunt qui fatētur in materia damni illati, vel dilapidationis bonorum alienorum non teneri ad restitutionem, seù ad ponēdam æqualitatem, qui bona fide hoc agit, & sic iustitiam non obligare; & agere bona fide idem est, ac ignoranter agere, vt patet. Cum igitur qui ignoranter dilapidat bona aliena, credendo, quod sint sua, vel damnum infert alteri ignoranter, ad nullam teneatur restitutionem, si verò scienter hoc idem agit, tenetur ad restitutionem, vt videre est apud Lessium loc.cit.cap.14.dub.1. per totum. Sanch. in summa lib.2. cap.23. Layman lib.3.tract.22.cap.3. à num.1. signum euidens est, quod ignorantia excusat ab obligatione iustitiæ.

Nec dicas, quod qui bona fide bona aliena

aliena consumpsit, tenetur restituere id, in quo factus est ditior : Nam tunc quod indè comparatum est vice permutati dominis restituetur, vt inquit Layman lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 1. per aliquas leges.

Vera igitur est hæc propositio, Qui damnum infert alteri cum ignorantia inuincibili, non violat iustitiam commutatiuam; & sic non tenetur ponere æqualitatem.

5 Suppono tertiò, tunc vrgere præceptum correctionis, quando probabiliter speratur emenda. Ita Sanchez consil. moral. lib. 6. cap. 2. dub. 8. nu. 2. Caietanus verb. Correctio. Sylvest. eod. verb. quæst. 5. Armilla eodem verb. num. 3. Tabiena eod. verb. nu. 6. Durand. in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 3. Riccard. ibidem art. 2. quæst. 1. Palud. art. 3. quæst. 2. & alij apud Sanch. supra. Et ratio affertur ab eodem Sanch. quia 1. ad Chor. 9. dicitur, Debet qui arat in spe arare, & non dicitur in dubio. Item quia actus actiuorum non sunt, nisi in patiente dispositio: At peccator non est dispositus ad emendam ex correctione intentam, quando est dubium de eius emenda, sed tantum quando probabiliter speratur, ergo. Ita Sanch. supra.

6 Suppono quartò, quod dubium iuris nullam inducit irregularitatem. Et qui laborat tali dubio nullo modo censendus est irregularis. Sanchez in summa lib. 1. cap. 10. nu. 42. Et probatur, tum quia in cap. Is qui de senten. excommunic. habetur, quod vbi ius est apparens, aut simile, id non sufficit ad inducendam irregularitatem, cum non sit in iure expressa, ergo à fortiori non sufficiet vbi totum ius est dubium: tũ quia irregularitas oritur à iure eam statuente, tanquam ex causa efficienti, ergo si ius est dubium, non potest effectus hic certus irregularitatis ortum habere ab eo, causa enim efficiens incerta non potest certum effectum producere: Tum quia Iudex debet secundum ius sententiam ferre: ergo si in foro externo non cõstet tale ius irregularitatem imponens, neque talis condemnabitur à Iudice vti irregularis, ergo neque in foro conscientiæ habendus erit vti irregularis; mitius enim agitur in conscientiæ foro, quod est forũ animæ, & misericordiæ, quàm in foro fori, quod est iudicium punitionis delictorum: tum quia pœna irregularitatis est infligenda à delinquente ipso sibimet, cum ipse sit iudex, qui contra se debet sententiam ferre, & illam exiqui in seipso; ergo potest ipse sequi opinionem dicentem, quod tale ius dubium absoluat ipsum, & non condemnet ad pœnã irregularitatis: tum quia lex non obligat ante sufficientẽ ꝓmulgationem, vt supponimus in materia de legibus. At ius dubiũ non est sufficienter promulgatum, cum adhuc non sit notum, ergo non obligat.

Nec obstat cap. Ad audientiam, cap. significasti il secondo, cap. penult. de homicidio. Quia loquuntur in dubio commissi homicidij, & proindè in dubio facti, non verò in dubio iuris, vt benè Sanchez loco cit. His positis

7 Respondeo talem nullo modo se gerere debere, vt irregularem, cum re vera irregularis non sit. Ita Gaspar Hurtado disp. 2. de irregul. difficult. 9. n. 34. qui citat D. Antoninum 3. pàr. tit. 28. c. 2. & Tabienam verb. irregularitas, 1. §. 2. Ita etiã Turrianus de censuris, li. 9. disp. 63. dub. 3. Vasqu. in manu scripto de irregularitate, generaliter docens nõ esse irregularem non impedientem homicidium iniustum, etiam si teneatur ex iustitia impedire, & quamuis ex dolo non impediat. Idem sentit Diana part. 4. tract. 2. resol. 7. & 8.

8 Probatur primò, Nam si talis esset irregularis, ideò esset secundum aduersarios, quia omitteret actum debitum ex iustitia, cum teneatur ex iustitia impedire talem abortum: sed in casu nostro non tenetur ex iustitia, ergo non est irregularis. Minor patet, tum quia iustitia non obligat ad suos actus eos, qui inuincibiliter ignorant se ad illos teneri, vt in secundo supposito; & talis

Cle-

Digitized by Google

Clericus in casu nostro inuincibiliter
9 ignorabat teneri impedire talem abortum; tum quia pater naturalis non tenetur alimenta præstare filio illegitimo, nisi post tertium annum, vt optimè Layman lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 5. n. 5. ex glos. communiter recepta in cap. cũ haberet, verb. secundum facultates de eo q. dux. in matr. quã poll. per adul. Et glos. in l. nec filium, C. de patria potestate, & alimenta vocantur subsidium vitæ, l. filia tua, C. de patria potestate: ergo nec tenetur ex iustitia hoc aliud subsidiũ vitæ præstare: tum quia defensio, seù impedimentum hoc præstare Clericus poterat proli corrigendo viduam (quia vt accepi tunc clericus hic nullum aliud auxilium, seù defensionẽ prẽstare poterat) & correctionis præceptum non obligat, nisi probabiliter speretur emẽda, vt in tertio supposito, & in proprio casu nostro affirmat Auila de cẽsuris par. 7. disp. 6. sec. 2. dub. 7. concluſ. 2. pag. mihi 377. qui citat Emanuelẽ c. 178. & emenda erat iam desperata in casu nostro, quia talis fœmina timorẽ parentum præseferebat habere, & cupiebat suam honestatem non maculare apud homines, & honestam in posterum se præbere suis
10 conuicinis: tum quia Lessius lib. 2. c. 9. dub. 13. num. 94. docet Patrem non teneri defendere vitã filij ex vi iustitiæ.
11 Confirmatur, nàm non diceretur excommunicatus ex vi can. Si quis suadente Diabolo, &c. qui tenetur ex iustitia clerici percussionem impedire, si de facto eam non impediat, nisi esset excommunicatus ex cap. Quanta de sẽtent. excommunic. in quo excommunicantur qui dolo non impediunt percussorem Rectoris Ecclesiæ; ergo neque dicendus erit irregularis talis Clericus non impediens, cum in iure non feratur irregularitas, nisi contra verè, & positiuè homicidas, saltem consilio, vel animatione. At hic talis nõ potest dici verè, & propriè homicida, quia sicut non dicitur verè, & propriè fur, qui furtum non impedit, ita neque erit dicendus verè, & propriè homicida, qui homicidium non impedit.

Probatur secundò, quia talis Clericus habet pro se probabiles rationes, abortum non esse sequutum; & contra se habet hæsitationem tantum sine fundamento, ergo non debet se gerere vti irregularis. Antecedens patet; Nam huic mulieri dicenti se concepisse ex tali clerico credendum non est, vt probat Abbas in cap. sicut de homicid. vovolunt. num. 4. qui citat Hostiens. qui se remittit ad notata in cap. transmissæ, qui filij sint legitimi, & in cap. per tuas, de probation. & in cap. Michael de filijs Presbyterorum, & adest text. in c. significasti de adulter. eodem modo quo filius matri dicẽti ipsum spurium, non tenetur credere. l. Imperatores in fin. ff. de probation. Glos. in cap. officij de pœniten. & remiss. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 7. num. 51. qui dicit hoc affirmari communiter à Canonistis in c. per tuas de probationib. & à iuristis, in l. si posthumus, ff. de lib. & posth. Mascard. de probat. concluſ. 366. Ruinus conſ. 81. nu. 17. volum. 3. Quod verum est, etiam si constaret de adulterio matris, cum partus semper presupponatur ex matrimonio natus. l. Miles, §. defuncto, ff. ad legem Iuliam de adulter. & ibi notat Bolognett. & Mascard. loc. cit.

13 Et ratio huius est, quia alleganti suã propriam turpitudinem non est credẽdum. Less. loc. cit. ergo neque credendum est huic mulieri alleganti suam turpitudinem, etiam si simus certi ipsã fuisse fornicatam, cum tali clerico.

14 Nequè dicas, quod in his, quæ pendent ab animo alicuius standum est dicto eius, vt obseruatum est in §. aliæ Institut. de action. Quia contra, nam hoc est falsum, quando contra eum adest præsumptio iuris, vt optimè Mascard. loc. cit. qui citat Ioannem Andream in cap. 2. de Constituti. & Bart. in l. inter omnes, §. rectè de furtis, & in l. 2. §. si à pupillo, ff. pro emptore.

Et

Digitized by Google

Et in casu nostro habemus manifestissimam præsumptionem iuris non solum supra allegatam, scilicet, alleganti propriam turpitudinem nullam deberi fidem, & hæc allegauit propriam turpitudinem; sed etiam quia vidua hæc in casu nostro mentita est, dum honestam se dicebat tempore, quo sui ipsius alijs copiam faciebat. Et qui in vno mendacium dixit, in omnibus mendax præsumitur, arg. not. in l. vltima, ff. de rei vēdicat. & in Authētico Contra qui propriam, C. de non numerata pecunia. Mascard. de probat. cōclus. 1043. nu. 3. qui citat Parisium cons. 90. nu. 29. vol. 1. Castr. cons. 140. col. 2. vers. super tertio quæsito. Marsil. in singul. 79. cit. cap. tu habes regulā, & Alciat. in tract. præsumpt. in regul. 3. præsumpt. 7.

16 Confirmatur quia in casu nostro, dū sumus certi de seminatione, possessio stat pro conceptione. At dum dubitamus, an conceptus sit animatus, vel non (animatur enim post quadraginta dies masculinus, & post octoginta fœminina, vt videre est apud Nauarrum in sūma cap. 15. num. 14.) possessio stat pro embrione, & sic conceptus præsumitur inanimatus. Ita Gomez de delictis, cap. 3. in rubr. de homicid. num. 3. in fin. Baiord. in addit. ad Iulium Clar. quæst. 68. num. 9. Emanuel de Maura, opusc. de ensalmis, & incantationibus, cap. 1. num. 27. Ioannes Præpositus in 3. par. Diui Thomæ quæst. 5. de irregular. dub. 8. nu. 58. ergo Clericus hic in casu nostro non est censendus irregularis.

Neque dicas, quod in dubio homicidij homo censendus est irregularis, cap. ad audientiam, cap. significasti, il secondo, cap. penult. de homicid.

17 Quia contra est primò, nam iura statuentia, quod in dubio homicidij homo censendus sit irregularis, semper supponunt subiectum capax mortis, dū dicunt, quando constat de morte alicui illata, & dum diuersi concurrerunt ad talem illationem, & dubitatur à quo ex illis sit illata, & sic dubiū est ex parte causæ efficientis, nō verò ex parte subiecti; at in casu nostro dubium est ex parte subiecti, non verò ex parte causæ efficientis; & sic dispositio iuris non intelligitur de nostro dubio, & cōsequēter adhuc non satis constat, an à iure sit imposita pœna irregularitatis, quando quis dubitat, an id quod lędit, sit aliquid inanimatum, vel animatum anima rationali, & irregularitas non incurritur nisi in casibus in iure expressis, cap. is qui de sentent. excommunic. in 6.

Contra est secundò, quia in casu nostro non solum adest dubium facti, sed
18 etiam iuris, dum dubitamus, an iura statuentia pœnam irregularitatis ex homicidio se extendant ad non impedientem cum ignorātia inuincibili abortum dubium de animatione, cum in cap. is qui de sententia excommunicationis decidatur, vbi ius est apparēs, aut simile, id nō sufficiat ad irregularitatē inducēdā: & in dubio iuris nemo p̄supponitur irregularis, vt in quarto supposito: at iura loquuntur de dubio facti, nō de dubio iuris, vt optimè Sāch. lib. 1. summæ, c. 10. n. 42. circa princ.

19 Probatur tertiò, quia hic talis non peccauit mortaliter in tali negatione auxilij, ergo non est irregularis. Antecedens patet in primo supposito. Cōsequentia est Sayri de censuris, *lib. 7.* cap. 5. nu. 5. Suarez de censuris disp. 40. sect. 3. num. 19. Coninch de Sacramentis, disp. 18. dub. 2. num. 13. Bonac. de censuris disp. 7. quæst. 1. puncto 3. nu. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 20. cap. 3. à num. 58. vsq; ad 64. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disput. 32. nu. 34. & aliorum apud istos Auctores; & patet ex cap. quæsitū de pœnit. & remiss. vbi Pontifex rogatus à Sacerdotibus Græcis, qui *filios in* lectulo opprimebant, an essent irregulares; Respōdit: Si istis procurantibus, aut studiosè negligentibus filij reperiuntur oppressi, ab officio Altaris debent perpetuò abstinere, &c. Vbi Sāch. ponderat æquiparari procurantes, & studiosè negligentes: & minus apta esset æquiparatio, si in illa studiosa negligentia non esset lata culpa, nec meritò

Digitized by Google

ritò dici posset interueniente sola leui culpa, negligentia studiosa; & lata culpa in materia homicidij semper est peccatum lęthale, vt patet. Addo quod cum irregularitas ex homicidio, vel sit pœna, vel inhabilitas ex defectu lenitatis, primum non potest in casu nostro habere locum, quia cum nulla sit culpa, iniquum esset ferre hanc grauissimam pœnam contra innocentem, saltem formaliter, vt inquit Corinth. loc. cit. qui pro se citat Suarez disp.40. sect.3.num.17.secundum neque vendicat sibi locum in casu nostro, nam irregularis ex defectu lenitatis, seù qui in lenitate deficit, vult per se homicidium per actum positiuum voluntarium, vt videre est apud Gasparem Hurtadum disput.2.de irregular. difficult. 11. per totam. At in casu nostro Clericus hic non consuluit, non mandauit, non voluit hoc homicidium per actum aliquē positiuum, sed tantum cum ignorantia inuincibili omisit actum aliàs fortè debitum, ex quo per accidens sequutum est homicidium.

Nec dicas talem Clericum saltem implicitè desiderasse animo abortum.

20 Quia contrà est, Nam ob desiderium homicidij nō incurritur irregularitas, cum de facto nullum sit ius Ecclesiacū, quo irregularitas feratur ob delictum, aut actum internum, actus enim internus non subiacet Iudicio externo Ecclesiæ, nec irregularitas oritur, nisi ex delicto exteriori consummato, vt benè Suarez disputat.40. sect.3. Sayrus lib. 6. cap. 2. Coninch disputat. 18. dub.2.Gaspar Hurtado disp.1. de irregular.difficult.2.num.6.

Cum ergo res ità se habeat; dicendū est talem Clericum nullo modo se gerere debere vti irregularem,&c.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM,

SIVE POTIVS.

SVMMA TOTIVS LIBRI.

A

Abbatissa.

Abbatisse, & Prioriſſe Monialium concedentes facultatem alijs Monialibus egrediendi à clauſura, & ſi per Motum proprium Pij V. ſint ipſo facto inhabilitatę ad dignitates, adminiſtrationes, & officia, tamen debent expectare ſententiam declaratoriam culpę, & poſtea ſe abſtinere. pag. 290. num. 60.

Abortus.

Pater naturalis, qui abortum non impedit, ſi inuincibiliter ignorat teneri impedire, non eſt irregularis. pag. 318. nu. 7.

In abortu quando dubitamus, An fœtus fuerit animatus, cenſendus eſt inanimatus. pag. 320. num. 17.

Qui dubitat, an fœtus fuerit animatus in abortu à ſe procurato, non eſt cenſendus irregularis. pag. ead. nu. eod.

Si pater naturalis non impedit abortum, dubitamus, an iura ſtatuentia irregularitatem ex homicidio ſe extendant ad hunc caſum. pag. ead. num. 18.

Abſoluere.

Quando dubitamus, an ſigna data à moribundo ſint à dolore naturali, an à dolore ſupernaturali de peccatis, ipſum debemus abſoluere ſub conditione, nempè ſi es capax, &c. pag. 55. num. 4.

Poſſunt abſolui peregrini à caſibus reſeruatis in patria ſua ſi in loco quà tranſeunt, et confitentur, reſeruata non ſint. pag. 270. nu. 16. Quod verum eſt etiam ſi in fraudem peregrinati ſunt. pag. 271. num. 17.

Abſoluere non poteſt confeſſarius aſſaſſinum conuictum, et à Iudice iuridicè interrogatum de ſocijs, ſi hos non vult manifeſtare. pag. 40. n. 13.

Abſoluere nō pōt cōfeſſarius pœnitētē, quē ſibi perſuaſit non eſſe contritum. pag. 55. n. 5.

Abſoluere non poteſt confeſſarius pœnitentē nolentem abſolutionem. pag. 193. nu. 18.

Abſoluere tenetur cōfeſſarius pœnitentem nolentem acceptare pœnitentiam. pag. 194. num. 21.

Abſoluere tenetur confeſſarius pœnitentē bene diſpoſitum, cum non ſit dominus, ſed miniſter Sacramentorum. pag.

Abſoluere tenetur confeſſarius ſub pœna peccati mortalis pœnitentem, peccata cuius mortalia audiuit, et ſi pauca, poſito quod poſſit cum opinione probabili ipſum abſoluere, etiam ſi parochus non ſit. pag. 222. num. 8. et 9.

Circà poteſtatem abſoluendi cōfeſſarius tenetur ſequi opinionem pœnitentis. pag. 223. num. 13. Si abſoluit confeſſarius ſuſpenſus, ſed non nominatim denunciatus, valide abſoluit. pag. 238. nu. 49.

Actio, actus.

Actio damni illati non eſt hypothecaria, ſed perſonalis. pag. 35. num. 2. et 8.

Actio perſonalis poſtponitur actioni hypothecariæ. pag. ead. num eod.

Actio hypothecaria ſequitur rē ipſam, actio vero perſonalis ſequitur perſonam, & ex perſona rem. pag. ead. num. eod.

Actio perſonalis anterior poſtponitur actioni hypothecarię poſteriori. pag. 37. num. 11.

Actio iuſta ſecundum æſtimationem agentis, et ſi iniuſta in ſe, non eſt peccaminoſa formaliter, et ſic qui cum tali actione bona aliena conſumpſit, ad nullam tenetur reſtitutionem. pag. 44. num. 13.

Probabiliter dantur actus indifferentes. pag. 107. num. 10.

Actus interni incipiunt per primum ſuum eſſe, et deſinunt per primum ſuum non eſſe. pag. 117. num. 3.

Actus pœnitentis, prout ſunt à pœnitente sūt materia remota, et non proxima Sacra-

Digitized by Google

menti Pœnitentiæ, prout vero assumuntur per potestatem clauium à Sacerdote, sunt materia proxima. pag. 121. num. 1. & pag. 148. num. 5. & pag. 185. nu. 8.

Actus pœnitentis secundum D. Thomam ita sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, sicut aqua est materia sacramẽti baptismi. pag. ead. nu. eod.

Actio & passio vel non sunt destincta, vel dicunt essentialem respectum inter se. pag. 169. num. 6.

Actus externus si nullam habet connexionẽ cum actu interno, non habet malitiam, nisi actus mali imperantis: At si habet connexionem physicam, vel materialem cum actu interno, ab hoc desumit meritũ, vel demeritum, non vero ab actu imperãte. pag. 179. nu. 7.

Adulter, & Adultera.

Adulter nõ potest contrahere matrimonium cum adultera, cui promisit matrimonium viuente viro, vel si occiderunt coniugem ad finem contrahendi. pag. 274. num. 2.

Adulter qui seminat extra vas, vel in vase præpostero, & si adultera promittat ipsam in vxorem ducere, nullum impedimentum contrahit. pag. ead. num. 6.

Si adultera promissionem adulteri de futuro matrimonio non acceptet, non contrahitur impedimentum criminis: Sic etiam si credit virum esse mortuum, & si adulter sciat illum viuere, si promissionem acceptet, neque impedimentum contrahit. pag. 275. num. 7.

Si vnus ex adulteris non repromittat alteri secundum Henriquez non incurrit impedimentum criminis; etiam si hic alter promissionem ratam habeat. pag. eadem num. eod.

Si adulteri interficiunt virum nõ ad finem contrahendi matrimonium, nullum contrahunt impedimentum. pag. ead. num. 8.

Potest cum adultera contrahere matrimonium, qui propiam vxorem occidit animo contrahendi cum alia incerta. pag. ead. num. 9.

Aduocatus.

Aduocatus dicitur ille, qui in iudicio apud illum qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel desiderio alterius contradicit. pag. 41. num. 1.

Aduocatus si ratione officij sui tenetur ad restitutionem, tenetur ratione damni illati. pag. 42. num. 2.

Officium Aduocati sit in gratiam alterius. pag. ead. num. eod.

Aduocatus qui bona fide damnum intulit alteri, ad nullam tenetur restitutionem. pag. 44. num. 15.

Affinitas.

Affinitas ex copula illicita est à natura, sicut & impedimentum, quia vnitas carnis tam habetur à coniunctione licita, quam illicita. pag. 91. num. 2. & si oppositum sentiant Pontius, & Thomas Sanchez. pag. ead. num. 1.

Affinitas oritur ab vnitate carnis, non vera ab amicitia. pag. 92. num. 5.

Affinitas, & cõsanguinitas pari passu ambulant. pag. ead. num. 3. quod verum est si est vera affinitas. pag. 93. num. 9.

Amicitia inter affines supponit vnitatem carnis, & ideo odia, etc. non oriuntur ab vnitate carnis per copulam illicitam, sed ab æstimatione hominum. pag. 92. num. 4. et 5.

Affinitas inducitur nõ à conciliatione amicitiæ, sed ab vnitate carnis. pag. 95. n. 13. nomina, quibus vocantur affines ex copula licita sunt eadem quibus vocantur affines ex copula illicita. pag. ead. nu. 14. inter affines ex copula illicita oriũtur odia, etc. per accidens, non ex natura talis copulæ, nempè ratione dedecoris cum tali copula coniuncti. pag. 94. num. 12.

L. non facile, §. affines, et §. sciendum, ff. de gradibus affinitatis, vbi videtur decisum, quod affinitas non oriatur ex copula illicita, loquitur quoad effectus ciuiles, nempè quoad successionem, etc. pag. 95. nu. 16.

Alimenta.

vide in verbo Filius.

Qui habet ius petendi alimenta non dicitur pauper respectu aliorum, at respectu illius qui tenetur alimenta præstare, dicitur pauper. pag. 97. num. 5.

Episcopus qui ordinauit pauperem habentem ius petendi alimenta à patre diuite, non tenetur alimenta præstare. pag. ead. num. 6.

Al-

Digitized by Google

Alternatiua.

Alternatiua in collatione beneficiorum non includit menses Iunij, & Decembris. pag. 6. num. 1.

Per alternatiuam Episcopo petitam non imponitur obligatio residendi dictis mensibus. pag. ead. num. eod.

Menses per alternatiuam concessi habent annexam obligationē residendi. pag. ead. & num. eod.

Alternatiua deseruit ad remouendum obstaculum reseruationis. pag. ead. nu. 2.

Amor, amare.

Amor qui non vult omnia media conducentia ad Deum dicitur amor inefficax. pag. 132. num. 5.

Velle aut desiderare aliquem amare, differt ab amare illum. pag. 139. num. 5.

Amor efficax alicuius boni implicitè continet detestationem mali, cum quo bonum amatū consistere non potest. pag. 154. n. 5.

Amens.

vide Ebrius.

Amens perpetuus, qui nūquam fuit sui compos, post septennium tenetur ad leges humanas in actu primo, quia habet exigentiam rationis, quæ reducit hominem sub legem. pag. 240. num. 1.

Amens qui aliquando fuit sui cōpos tenetur ad legem humanam, quia aliquando fuit sub lege ratione exigentia rationis. pag. 241. num. 2.

Amētes, & infantes non æquiparātur quoad obligationē legis, quia ab infantibus excluditur obligatio legis per modum negationis, ab amentibus verò per modū priuationis. pag. ead. nu. 6.

Perpetuò amētibus, qui nūquam habuerūt vsū rationis, denegatur Sacramentū Eucharistiæ, quia hi nunquā actū deuotionis erga hoc Sacramentū effecerūt. pag. 242. n. 8. Et ideò amentibus quibus ante amētiā apparuit aliquis actus deuotionis, Eucharistiæ Sacramentum non est denegandum. pag. ead. num. eod.

Annus.

Annus septimus dicitur annus discretionis pag. 87. n. 13.

Argumentum.

Argumentum à particulari ad vniuersale non valet. pag. 87. num. 13.

Ascriptio.

Ascriptio inter Equites Diui Iacobi magis facit hominem Militem quam Religiosū. pag. 26. n. 6. Qui talem ascriptionem emit per se intendit militiam, per accidens Religionem. pag. 26. nu. 6.

Assassinus, Assassinium.

Assassinus dicitur ille, qui occidi christianū pretio mandat alteri, siue infideli, siue christiano. pag. 38. num. 2.

Assassinus qui mādat christiano, vt christianum occidat, non est excommunicatus, & si incurrit alias pœnas contra assassinos. pag. ead. num. 3.

Mandans, & mandatarius in materia assassinij sunt eadem pœna puniendi. pag. ead. num. 4.

Assassinus magis dicitur mandatarius quā mandans ex vulgi interpretatione. pag. ead. num. eod.

In materia assassinij pœna magis debetur mandatario, quam mandanti. pag. eadem num. eod.

Assassinus conuictus non potest excusare cōplices, si de illis à Iudice interrogetur. pag. 39. num. 5.

Assassinium est delictum cōtra bonum publicum. pag. ead. num. 6.

Assassinus dicitur publicus hostis, & diffidatus à lege, & ideò notorium bellum contra eum indictum est. pag. ead. num. eod.

Assassinus conuictus, & interrogatus à Iudice de socijs, si non vult manifestare socios, non potest à confessario absolui. pag. 40. num. 13.

Beneficiatus qui per assassinum hominem occidit nō tenetur beneficia resignare, nisi post sentētiam declaratoriā criminis. pag. 290. num. 58.

Attritio, Attritus. vide contritio.

Attritio cognita, vt attritio sufficit in Sacramento Pœnitentiæ pro materia. pag. 126. num. 1.

Attritio sine Sacramēto Pœnitētiæ pse nō pōt peccatorē ad iustificationē perducere, & seipsū peccatorē disponat ad Dei gratiam. pag. 126. num. 3.

Disponi verò extra Sacramētū insufficienter ad talem gratiam. pag. ead. num. 4.

Digitized by Google

Si attritio cognita, vt contritio, & non vt attritio tantum sufficeret, sequeretur, quod aliquid falsum daret sufficientiam attritioni, quod nō est dicendum. pag. ead. num. 5. vel quod dolor naturalis existimatus contritio sufficeret. pag. ead. n. 6.

Confessio cum attritione est de peccatis, quę sunt offensa Dei, sed non prout sunt offensa Dei. Sic etiam dolor, qui consequitur ex attritione. pag. ead. num. 7.

Attritus, & si non sit immediatè dispositus ad gratiam, est tamē dispositus ad sacramentum Pœnitentiæ, ex vi cuius iustificatur. pag. ead. num. 8. & pag. 187. nu. 12.

Attritus est conuersus ad Deum per amorem concupiscentiæ. pag. ead. num. eod.

Attritus non tenetur elicere actum contritionis in articulo mortis. pag. 228. num. 9.

Attritionem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ Concilium Trid. admittit, tanquā certum, & si non de fide. pag. 128. num. 11.

Erroneum est tenere attritionem non sufficere in Sacramento Pœnitentiæ. pag. cad. num. 13.

Cum non sit de fide, quod actus contritionis à me elicitus sit verè contritionis, hinc est, quod non est magis tutus qui actum contritionis elicit, quàm qui Sacramentum cum attritione suscipit. pag. 229. nu. 17.

Attritio naturalis quātumuis putata supernaturalis, & sufficiens, non sufficit in Sacramento Pœnitentiæ. pag. 132. num. 2.

Non datur attritio, quæ sufficiat ad valorē Sacramenti Pœnitentiæ, & non sufficiat ad hoc vt Sacramentum gratiam producat. pag. ead. num. eod.

Attritio naturalis putata supernaturalis si sufficeret in Sacramento Pœnitentiæ, sequeretur, quod attritio supernaturalis perduceret hominem ad gratiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, quod est contra Concil. Trident. & attritio illa naturalis deberet producere gratiam in Sacramēto. pag. 133. num. 7. & 8.

Attritio remittit peccata venialia. pag. 150. num. 14.

Qui cum attritione confitetur peccata sua sęculari putato Sacerdoti damnatur, quia nullum recipit Sacramentum. pag. 155. num. 9.

B

Baptismus, Baptizans, Baptizatus.

INfidelis si baptizat filium fidelis contrahit affinitatem spiritualem, & habet impedimentum contrahendi matrimoniū cum matre baptizati postquam venit ad fidem. pag. 57. num. 1.

Character impressus per baptismum semper dicit relationem ad baptizantem tanquā effectus ad causam instrumentalem. pag. 58. num. 3. & 7.

Causa instrumentalis baptismi est baptizās, causa principalis est Christus Auctor Sacramentorum. pag. ead. num. eod.

Baptizans dicitur Pater spiritualis baptizati, non quia gratiam producit per baptismum, sed quia characterem imprimit. par. 58. num. 4.

Cognatio spiritualis contrahitur inter baptizantem (& si causa instrumentalis sit) & baptizatum, & patrem, & matrem baptizati. pag. ead. num. 5.

Baptizatus à Iudæo, Schismatico, &c. est verè baptizatus. pag. 59. num. 10.

Qui baptizat instrumentaliter trahit virtutem ex eodem stipite spirituali, ac baptizatus. pag. 60. nu. 12.

Aqua rosacea est materia dubia Sacramēti baptismi, qua tenetur quis vti vrgente necessitate, si aquam vsualem non habet, non ex vi sacramenti, sed ex vi charitatis proximi, qua tenemur, quando possumus probabiliter procurare eius salutem. pag. 100. num. 5.

Aqua in Sacramento baptismi non est materia remota circa quam, sed ex qua: materia vero circa quam est peccatum originale. pag. 100. num. 6.

Sacramentum baptismi non est iterabile, quia peccatum originale iterabile nō est. At Sacramētum Pœnitentię est iterabile, quia peccatum actuale iterabile est in specie, & si non in individuo. pag. eadem num. 7.

Baptismus collatus B. Virgini Mariæ contulit ipsi Virgini gratiam remissuam per se peccati originalis, & si per accidens illud non deleuit, quia non erat. pag. 111. num. 13.

Digitized by Google

Baptismus operatur per virtutem Christi, qua medicina vniuersalis est pro omnibus peccatis. pag. 114. nu. 7.

Qui baptizatur ingreditur in Ecclesiam, vt simpliciter innocens. pag. 115. num. 12.

Lapsus post baptismum recipit iustificationem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, ita vt si sine tali voto iustificari velit, non erit verè contritus. pag. ead. num. 13.

De peccatis commissis post baptismum potest fidelis recipere absolutionem si de illis habet contritionem, non vero de commissis ante baptismum, quia cõtritio de commissis post baptismum est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 116. num. 14.

Non potest vnus abluere, & alter formam proferre in hoc Sacramento. pag. 121. num. 3.

Qui proprium filium baptizat siuè malitiosè, siuè ex necessitate, & si affinitatem spiritualem contrahat, tamen ex indulgentia iuris ius petendi debitum non amittit. pag. 278. num. 25.

Qui baptizat ignoranter, vel malitiosè propriũ filium, non est separandus à propria vxore, nec debitum petendi amittit, sunt tamen inducendi ad perpetuam castitatẽ. pag. 279. num. 28.

Bellum, vide Miles.

Bellum iustum, & iniustum non implicat respectu diuersorum, & si implicet secundum idem. Nec implicat bellum iustum & iniustum opinabiliter. pag. 213. num. 16.

Bellum in dubio præceptum, est formaliter malum. pag. 214. num. 3.

Qui in bello probabiliter iuste militauit, & damnum intulit, si postea aduertit bellum fuisse iniustum, ad nullam tenetur restitutionem. pag. 216. num. 9.

Beneficium, Beneficiatus.

Cadẽs ab aliquo beneficio iure acquisito ob aliquod delictum, potest in tuta conscientia fructus beneficij recipere vsque ad sententiam declaratoriam culpæ etiam si debeantur alteri. pag. 5. num. 18.

Beneficium si vacat ante pacificam possessionem Episcopatus mense Iunij, & Decembris, & post possessionem confertur ab eodẽ Episcopo, est valida collatio. pag. 7. nu. 9.

Beneficium venit nomine bonorum Ecclesiasticorum. pag. 7. num. 10.

Beneficia vacantia post expeditionem Bullarum, & ante possessionem Episcopatus non dicuntur vacare. pag. 8. nu. 13.

Prouisio beneficiorum vacantium mense Iunij, & Decembris sit ab Episcopo non ex vi alternatiuæ, sed de iure. pag. 8. num. 16.

Beneficium est potestas exigendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob diuinum, & Ecclesiasticum ministerium, & cultum. pag. 30. num. 1.

Beneficij qualitas in impetratione explicanda est Pontifici, maxime quum qualitas exprimenda est de iure, vel de stilo. pag. 23. num. 10.

Permutatio beneficij facta cum ignorantia Pontificis est simoniaca. pag. 32. num. 12.

Per mortem beneficiati beneficium vacat. pag. ead. num. 15.

Beneficium obtentum simoniacè, sed bona fide, si per triennium cum tali bona fide possideatur; potest in tuta conscientia in posterum possideri, ex regula de triennali. pag. 34. num. 20.

Beneficiatus tenetur soluere pensionem de moneta currente tempore impositionis pẽsionis, non tempore solutionis pensionis. pag. 49. num. 13.

Qui habet vnum Prioratum, vel beneficiũ curatum non potest habere alterum, tum ex tacita conuentione cum Ecclesia, tum etiam ad hoc, vt non fraudetur Ecclesia in suis ministerijs, & ideò statim secundũ obtentum vacat. pag. 282. num. 35.

Beneficia prius ritè obtenta non tenetur simoniacus resignare, sed potest tuta conscientia retinere, & eorum fructus exigere vsque ad sententiam declaratoriam culpæ. pag. 283. num. 37.

Inhabilitas ad beneficia non est pœna, sed potius defectus conditionis prærequisitæ à iure. pag. ead. num. eod.

Beneficiati qui habent alia onera spiritualia præter officium diuinum, si horas diuinas non recitant, non tenentur ad restitutionem omnium fructuum, sed possunt sibi

Digitized by Google

sibi retinere iuxta onerũ proportionẽ.pag. 284.num.38. Imò secundum Henriquez etiam simplex beneficiatus, qui omittit officium diuinum potest minus, quam canonicus,& Parochus retinere de fructibus beneficij.pag,ead.nu.eod.

Resignatio beneficij facta ab excommunicato tolerato, vel ab alio ipsi excommunicato tolerato valet.pag.286.num.45.

Collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto valet.pag.288.num.50.

Qui tempore suspensionis,vel interdicti beneficium obtinuit,ablata suspensione potest illud retinere. pag.ead.num.eod.

Qui beneficium in cõsidentia recipit,non tenetur beneficia prius ritè obtenta resignare,nisi post sentẽtiam.pag.290.nu.55. nec accipiẽs aliquid in Curia pro gratia, vel iustitia.pag.ead.num. 56. Nec quilibet simoniacus.pag.ead.num.57.

Qui aliũ occidit per assassinium, nõ amittit beneficia nisi post sentẽtiam. pag.ead. nu.m.58.Nec qui bona suorum beneficiorum alienauit. Hi enim omnes & si spolientur ipso facto omnibus beneficijs prius obtẽtis,tñ non tenenturilla resignare,nisi post sententiam declaratoriam criminis. pag.290.num.59.

Bona:

Qui bona sua confiscata alienat, non peccat.pag.280.num.30.& pag.281.nu.33.

Bonorũ alienatio valida, sed per sententiã irritanda differt ab alienatione irrita ipso facto. Nam prima alienatio facit, vt si sententia non sequatur, qui possidet per talem cõtractũ sit tutus in cõscientia, & faciat fructus suos etiam si conscius sit delicti alienantis, at in secunda alienatione,qui possidet post sentẽtiam non facit fructus suos quamuis perceptos ante ipsã sententiam. 280.num.30.

Bona hæretici Germaniæ,& aliorum locorũ sunt à die commissi criminis confiscata. Sicut bona illius, qui cõmisit crimẽ nefãdum in Regno Hispaniæ.pag.281.nu.32.

Bona acquisita per vsurã, etiã si ignoratur Dominus sẽper sunt restituẽda Ecclesiæ,vel pauperibus, quia sunt acquisita per delictum contra ius naturale; secus dicendum est probabiliter de acquisitis bona fide. pag. 281, num. 34.

Bona fides.

Consumptio rei alienæ bona fide inuito domino non obligat ad restitutionem, nisi ad id in quo talis cõsumptor factus est ditior. pag.42.num.5.

Qui consumpsit bona fide rem alienam,de tali re habuit iustum titulum præsumptũ. pag.ead.num.6.

Aliud est bona fide consumere , aliud sine culpa consumere bona aliena. pag.eadem. num.8.

Possidens bona fide rem alienam, quando venit in malam fidem tenetur ad restitutionem non ratione rei acceptæ,sed ratione iniustæ retentionis. pag.43. num.11.

Bona fides in materia Sacramentorum excusat suscipiẽtem, & ministrum à culpa, non tamen reddit materiã ad Sacramẽtũ inceptã, aptam, quia hæc pẽdet ab institutione Christi,& non à bona fide.pag.134. num.11.

Qui bona fide damnum alteri infert , vel bona aliena dilapidat,ad nullam tenetur restitutionem,nisi in quo factus ex ditior. pag.317.num.4.

Agere bona fide idẽ est, ac agere ignorãter. pag.ead.num.eod.

Bonum publicum, seu commune.

Quando agitur de bono publico vnusquisq; non solum tenetur testificari, sed etiam accusare delinquẽtem.pag.39. num.5.

Bonum commune præferendum est bono particulari.pag.40.num.11.

Bonum commune in lege requisitum non expectatur à legislatore,nec à subdito,sed in ipsa entitate legis contineri debet.pag. 70.num.2.

Res referibilis in commune bonũ est materia legis, & si actu à legislatore non referatur.pag.ead.num.eod.

C

Capitulum.

Capitulum tribuit Episcopo possessionem, sed non iurisdictionem.pag. 7.nu.8.

Capitulum nõ debet cognoscere aliquem vt Episcopum, nisi post ostensionem Bullarũ. pag.7.n.9.

Causa.

Causa formalis est illa, qua posita ponitur effe-

Digitized by Google

effectus formalis, qua dempta demitur effectus formalis, quia effectus formalis est ipsamet forma communicata. pag.47. num.3.

Causa instrumentalis baptismi est baptizãs, causa principalis est Christus Auctor Sacramentorum. pag.ead.num.eod.

Causa instrumentalis id quod communicat effectui non debet in se continere, sed sufficit, si contineatur in causa principali, cuius est instrumentum.pag.60.nu.11. sic causa instrumentalis vitæ humanæ est semen, quod non continet in se vitam, nisi tantum virtute causæ principalis, quæ est homo.pag.ead.num.12.

Causa instrumentalis naturalis non est ex eodem stipite ac effectus productus, & si trahat virtutẽ ex eodẽ fonte. pa.ead.n.13.

Effectus à causa voluntariè posita eodem modo est siue peccatorẽ pœniteat antequã sequatur, siue non pœniteat, quod verum est, quoad esse physicum, non quoad esse morale. pag.232. num.8.

Effectus à causa voluntariè posita non dicitur post pœnitentiam indirectè volitus. pag.ead.num.9.

Causam excusantem à lege licitum est quærere, qua est priuilegiu, infirmitas, discessio ad Ciuitatem exemptã.&c. pag.264. num.4.

Casus.

Clemens VIII. reuocauit, & postea restituit regularibus facultatem absoluendi à casibus reseruatis, à iquibus exceptis. pag. 66.num.7.

Clemens VIII. reseruauit casum violationis clausuræ ad malum finem, non vero admissionis ad malum finem, vel ingressionis ad non malum finem. pag.ead.num.8.

In lege penali, & si sit ratio expressa, & procedat in alium casum, non per hoc pœna ipsa extenditur ad talem casum. pag.67. num.11.

Lex fauorabilis est extendenda ad casum similem, non vero ad diuersum. pag.ead. num.12.

Aliquando reseruantur casus ratione circumstantiæ, quæ non aggrauat delictum. pag.176.num.11.

A casibus reseruatis in propria patria possunt absolui peregrini, si in loco quò transeunt reseruati non sint. pag. 270. num.16. Quod verum est etiam si infraudẽ peregrinati sũt, nempè ad hoc ut absoluantur à talibus casibus reseruatis. pag.271.num.17.

Certitudo.

Certitudo opponitur incertitudini, & non veritati, veritas opponitur falsitati. pag. 228.num.14.

Certitudo ex vno, aut altero motiuo non diuersificat certitudinem entitatiuè, sed tantum variat motiuum formale, & idèo certitudo ex contritione, quæ est de fide, & certitudo ex attritione, & Sacramento Pœnitentiæ, quæ est à communi consensu Ecclesiæ, quæ est infallibilis quoad entitatem, non differunt, & si differant quoad motiuum formale.pag.229.num.15.

Certitudo humana, vt sic, & in ratione generica, est fallibilis. At certitudo humana qua talis, nempè quæ est à communi sensu Ecclesiæ fallibilis non est. pag.ead. num.eod.

Ad concursum certitudinis, & dubietatis, semper certitudo est præferenda.pag.216. num.1.

Character.

Character non deletur, & si gratia sacramentalis deperdatur. pag.58. num.2. & 7.

Character impressus per baptismum semper dicit relationem ad baptizantem tanquam effectus ad causam instrumentalem.pag.58.num.3.& 7.

Charitas.

Vnusquisque tenetur ex lege charitatis se reddere tutum de sua salute. pag. 101. num.8.

Charitas non obligat homines ad conseruationem bonorum huius vitæ, nisi quatenus hæc bona sunt necessaria ad bona spiritualia.pag.162.num.6.

Actus charitatis potest imperari ab actu vanæ gloriæ.pag.177.num.2.

Lex charitatis obligat nos euitare peccata proximi, quando licite possumus.pag.222. num.7.

Chirographum.

Chirographorum emptio in hoc nostro Regno

Nea-

Neap. fit tribus modis .s. vt vulgo dicitur con la girata per altri tanti, con la girata per impronto, e con la girata, Atteso che ad esso spettano. *Primus, et secundus modus sunt emptio palliata, & manifesta vsura. tertius modus est vera emptio . pag.* 201. *num.* 1.

In chirographorũ emptione id quod emitur est ius ad debitum, non debitum ipsum. pag. ead. num. eod.

Chirographa exactionis Regiæ, quæ vulgo dicuntur, polise d'arrendimento de Corte, *emi non possunt in nostro Regno Neapolitano, quia talis emptio vel est palliata vsura, vel manifesta rapina. pag.* 205. *num.* 8.

Assignatarius in Regno Neapolitano vendendo chirographa, vendit tantum ius ad ratam exacti diuidendi inter assignatarios, & sic emptor hanc ratam tantum exigere potest. pag. ead. num. 9.

In venditione chirographorũ in nostro Regno Neapolitano intercedit dolus, fraus, & vis. pa. 206. *n.* 14. *Idèo chirographa vẽdũt assignatarij arrẽdamẽtorũ Regis, quia timent iniustam & totalem exclusionem à deposito facto nomine Regis ipsis assignatarijs malitia gabellariorum . pag.* 207. *num.* 21.

Chirographorum emptor fraudem committit, quoties pactum emittit cum gabellario, vt facilius exigat summam in chirographo contentam. pag. ead. num. 22.

Chirographa exactionis Regia idèo vilescũt, vt fiunt difficilis exactionis, quia gabellarij illa emunt. pag. eadem num. 23.

In chirographorum venditione exactionis Regiæ semper intercedit vis, quando gabellarij illa emunt. pag. ead. num. eod.

Pretium quo chirographa exactionis Regiæ in hoc nostro Regno Neapolitano emũtur, dici nũ potest iustum in ordine ad totũ debitum in chirographo contentum . pag. 208. *num.* 24.

Chirographorum emptor dum inducit gabellarium ad integram solutionem summæ in chirographo contentæ, facit vt hic committat iniustitiam, & idèo tenentur in solidum ad restitutionem . pag. eadem num. 16.

Citatio.

Citationem non esse, & esse nullam idem est. pag. 10. *num.* 6.

Ciuis.

Ciuis tenetur ad præceptum ieiunij, vt pars communitatis obligata ad tale præceptũ, non vt indiuiduus, & independens à Ciuitate. pag. 251. *num.* 1. *& pag.* 253. *num.* 6.

Præceptum ieiunij obligat Ciuitates, seu cõmunitates semel in anno, at Ciues, vt personas indiuiduas nec semel, nec vnquam. pag. 252. *num.* 5.

Ciuis priuilegiatus se difformat à cæteris in operando, & tamen non peccat. pag. 308. *num.* 2.

Clericus, vide Sacerdos.

Clerici publicus percussor non est vitandus vsque ad sententiam declaratoriam iudicis, quod ille nullo remedio iuris excusari possit. pag. 287. *num.* 47.

Clerici tenentur ad leges Principum secularium, non quia sunt à principibus secularibus, sed quia leges positiuæ vim habẽt à lege naturali. pag. 296. *num.* 5. *& 7.*

Clerici sunt compartes Reipublicæ. pag. ead. num. 6.

Clerici tenentur vendere pretio taxato in venditione, quia iustitia pretij in contractu emptionis prouenit à iure naturali . pag. 298. *num.* 11.

Clerici non tenentur ad pœnam impositam à Principe seculari, etiam si illam culpam committant, pro qua talis pœna est imposita. pag. ead num. 12.

Pœna in clericos est à iure naturali deducenda per Pontificem, vel per Episcopum, non verò per Principem secularem . pag. 299. *num.* 13.

Clerici tenentur seruare solemnitates contractuum, quia sunt approbata à iure canonico; secus verò est dicendum de testamentis disponentibus ad pias causas . pag. ead. num. 14.

Clerici tenentur soluere gabellas impositas pro bono æquè respiciente clericum, ac laicum. pag. ead. num. 15.

Clerici sunt exempti à coactione solutionis gabellarum. pag. ead. num. 16.

Clerici tenentur soluere gabellas impositas

Digitized by Google

tas pro bono communi ipsorum secularium, accedẽte tamẽ cõsensu Episcopi, & Cleri, si difficilis sit aditus ad Summum Pontificem, quando bona cemmunia laicorum non sufficiunt, & magna est necessitas cõmunitatis. pag. 300. num. 17.

Priuilegium Clericorum non consistit in non contribuendo, sed in non agnoscendo Principem secularem in impositionibus, sed voluntatem Pontificis. pag. 302. n. 18.

Concilia, & iura non intendunt Clericum priuilegiare circa contributionem ob publicam necessitatem, sed potius iurisdictionem Ecclesiasticam conseruare. pag. ead. num. 19.

Clerici non tenentur persoluere impositiones nõ respicientes æquè principaliter vtilitatẽ Cleri, ac secularium. pag. ead. nu. 20.

Clerici non tenentur soluere taleas, & collectas, quæ exiguntur pro necessitate, vel recognitione vassallagij Principis secularis. pag. 303. num. 22. Nec pedagia, & guidagia pro rebus quas ad vsum propriũ deferunt. pag. ead. num. 23. Nec impositiones angarias, & perangarias ratione vassallagij soluendas. pag. 304. num. 24.

Cognatio. Cognatus.

Cognatio spiritualis contrahitur ab infideli baptizante filium fidelis; secus verò dicẽdum est de infideli suscipiente. pag. 67. num. 1. & 2.

Cognatio spiritualis habet fundamentum à parte rei, quod consistit in vera regeneratione spirituali, quæ dicit gratiam baptismalẽ, & characterem. pag. 58. num. 2.

Cognatio spiritualis contrahitur inter baptizantem (& si causa instrumentalis sit) & baptizatum, & patrem, et matrem baptizati. pag. ead. num. 5.

Quod cognatio spiritualis oriatur, est ex natura baptismi. Quod verò cognatio spiritualis impediat, & dirimat matrimonium est merum præceptum Ecclesiasticum. pag. 58. num. 6.

Cognatio quæ oritur à copula illicita impedit, & dirimit matrimonium ex præcepto Ecclesiastico. pag. 59. num. 8.

Non potest esse carnaliter cognatus, qui non habet vitam carnalem. pag. 59. num. 9.

Ad cognationem carnalem contrahendam inter aliquos desideratur processio vtriusque ab eodem stipite secundum carnalem propagationem. pag. 59. num. 10.

Cognationis spiritualis fundamentum est aliquid reale. pag. 61. num 16.

Fundamentum impedimenti cognationis spiritualis habetur in ipsamet gẽtilitate, quando infidelis baptizat; at impedimentum ipsum habetur postquam infidelis baptizans ad baptismum peruenit. pag. ead. num. 17.

Collatio. vide beneficium.

Præuentio facta à Pontifice in collatione beneficiorum reddit nullam collationem factam ab Episcopo, etiã in mensibus à iure ipsi concessis. pag. 8. num. 17.

Collegium.

Collegium Neapolitanum à Ioanna Secunda habet priuilegium Doctorandi omnes qui reperiuntur digni, & idonei. pag. 1. nu. 1.

Ad hoc vt aliquis sit de Collegio Neapolitano sufficit si sit Doctor, de patria Neapolitanus, & quod habeat voluntatem Cancellarij, & maioris partis de Collegio admittẽdi talem ad Collegium. pag. 3. n. 6.

Ad Collegium Neapolitanum admissio est concessa Doctoribus tantum, siue studuerint secũdum pragmaticam, siuè non. pag. 4. num. 17.

Commenda.

Commendæ habitus Diui Iacobi sunt res merè temporales. pag. 26. num. 7.

Communitas.

Cõmunitas nõ põt alteri ius præbere in rem, quæ dicitur cõmunis ideſt nullius, quia in ea nemo ius habet, & si posset in rem communem in quam ipsa habet ius disponendi. pag. 305. num. 4.

Communitas non habet ius ad animalia retinentia naturalem libertatem. pag. ead. num. eod.

Nullum communitati damnum infert qui magnam quantitatem piscium retinentiũ naturalem libertatem capit; Secus verò est dicẽdũ de illo qui magnam Stragem facit in sylua communi, quia hic lædit ius acquisitum communitatis. pag. 306. nu. 6.

Qui accipit bona communia distributa arbitrio Rectoris cõmunitatis, furtum probabiliter committit. pag. ead. num. eod.

Digitized by Google

INDEX.

Concursus.

In concursu duorum consiliorum relinquendum est illud, quod minus bonum affert. pag.88.num.16.
vide præceptum, certitudo, dubium.

Confessarius.

Confessarius non potest absolvere assassinum conuictum, & à Iudice iuridicè interrogatum de socijs, si hos non vult manifestare. pag.40.num.13.

Confessarius, qui sibi persuasit pœnitentem non esse contritum, non potest ipsum absoluere sine culpa sacrilega. pag. 55. num.5.

Confessarius prudens in præcipiendo pueris sumptionem Eucharistiæ non solum debet respicere bonum pueri præsens, sed etiam futurum, & non solum bonum pueri, sed etiam bonum Sacramenti. pag. 88. num. 16.

Confessarius prudens non debet expectare maximum gradum deuotionis ad pueros obligandos ad sumptionem Eucharistiæ, sed sufficit expectare aliqualem deuotionem in illis, ita vt non timeatur abusio sacramenti. pag.90.num.21.

Prudens confessarius post factam confessionem à pœnitente, ipsum allicit ad eliciendum actum contritionis. pag.142. num.2.

Confessarius non tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti, quem cognoscit satisfeciſſe propœna temporali debita peccato tunc confesso. pag.189. num.2.

Confessarius non potest non imponere pœnitenti pœnitentiam satisfactoriam, quia sic pœnitenti faceret grauem iniuriam. pag.190.num.7.

Non potest confessarius absoluere nolentem absolutionem. pag.193. num.18.

Confessarij aliquando soluunt, & non ligant. pag.ead.num.eod.

Confessarius si absoluit nolẽtem acceptare pœnitentiam, non cooperatur ad peccata pœnitentis. pag.ead.num 19.

Tenetur confessarius absoluere pœnitentem nolentem acceptare pœnitentiam. pag.194.num.21.

Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis, etiam si illam falsam existimet, dummodo sit probabilis per principia extrinseca. pag. 121.num.1.

Si confessarius præcipiat pœnitenti, vt se abstineat à communione, potest hic pœnitens non obedire, cum sit sub opinione, quod confessarius possit hoc præcipere. pag.221.num.2.

Confessarius tenetur absoluere pœnitentem bene dispositum, cum non sit Dominus, sed minister Sacramentorum, & dicitur bene dispositus pœnitens, quando sequitur opinionem probabilem. pag. ead. num.4.

Sicut pœnitens tenetur obedire confessario rectè præcipienti, sic confessarius tenetur absolucre pœnitentem rectè dispositum. pag.ead.num.5.

Confessarius, & si existimet opinionem pœnitentis esse falsam, adhuc tenetur illam sequi, si probabilis existimetur inter DD. probatæ authoritatis. pag. 222. num.6.

Confessarius tenetur instruere pœnitentem ignorantem opinionem oppositam opinioni ipsiusmet confessarij. pag. ead.num.7.

Confessarius tenetur ex officio procurare bonum pœnitentis. pag.ead. num.eod.

Confessarius siuè sit Parochus, siuè non, peccat mortaliter, si neget absolutionem pœnitenti postquam audiuit confessionem, si potest cum opinione probabili ipsum absoluere, quia obligat pœnitentem ad aliquod graue. pag.ead.num.8. Quod verum est siuè sit confessio breuis de mortalibus, siuè longa. pag.ead. num.9.

Confessarius nullum habet ius in pœnitẽtem, qui sequitur opinionem probabilem. pag. 223.nu.12.

Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis, etiam circa potestatem absoluendi. pag ead.num.13.

Si ad materiam dubiè licitam accedit voluntas confessarij prudentis, & cui promissa est obedientia, materia illa fit opinabilis. pag.225.num.3.

Confessario docto, & prudenti, cui promissa est obedientia per votum, tenemur obedire etiam

Digitized by Google

etiam in materia dubiè licita. pag. 224. num. 1.

Operans secundum opinionem confessarij prudentis est certus non peccare. pag. ead. num. 2.

Confessario cui pœnitens per votum simplex promisit, tenetur obedire si præcipiat rem opinabiliter licitam. pag. 227. nu. 1.

Confessarius præcipiendo, quod est sub opinione pœnitenti, qui vouit obedientiam ipsi confessario, exercitè iubet illi ne sequatur opinionem oppositam, & si probabilem. pag. 228. num. 5.

Confessarius suspensus, sed non nominatim denunciatus si absoluit, valide absoluit. pag. 288. num. 49.

Confessio.

Confessio Sacramentalis reddit dolorem internum sensibilem, & consequenter partem Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 139. num. 10.

Confessio Sacramentalis peccatorum non potest reddere sensibilem amorem Dei, sed dolorem. pag. ead. nu. eod.

Confessio in Sacramento Pœnitentiæ non debet necessario pendere à dolore, quia hæc dependentia non exigitur à forma Sacramenti, cum hæc sit per modum sententiæ absolutiuæ. Nec exigitur à gratia, cum gratiæ sufficiat, quod dolor sit supernaturalis. pag. 142. num. 2.

Qui confessionem petit, & postea ex accidenti loquelam amittit, est absoluendus. pag. ead. num. 3.

Confessio independenter à dolore potest dolorem significare, ipsumque sensibilem reddere. pag. ead. num. 4.

Confessio, quæ est à sola voluntate pœnitentis, non differt specie à confessione, quæ pendet à dolore. pag. ead. num. eod.

Confessio est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ non quando est à pœnitente, sed quando assumitur à confessario per potestatem clauium. Et si confessio præcedat dolorem in esse physico, tamen in esse morali, & prout assumitur à confessario, dolor dicitur præcedere confessionem, cum hæc assumatur, vt signum, & ille, vt res significata. pag. eadem num. 5.

Confessio potest esse moraliter signum doloris, & si à dolore non procedat. pag. 143. num. 6.

Cõfessio Sacramentalis dicitur forma, prout determinat, & reddit dolorem sensibilem; dicitur materia prout assumitur per potestatem clauium in Sacramento Pœnitẽtiæ. pag. 148. num. 8.

Non potest assumi vna confessio pro pluribus Sacramentis, & si possit. assumi idem dolor. pag. ead. num. eod.

Potest quis dimidiare confessionem, quando habet peccata reseruata secundum Henriquez, dicendo reseruata superiori, & non reseruata inferiori. pag. 149. num. 11.

Confessio per signa sine vlla necessitate valet in Sacramento Pœnitentiæ. pag. 159. num. 1.

Qui vult confiteri per signa, cum possit voce, non peccat mortaliter. pag. ead. nu. eod. & pag. 560. num. 6.

Confessio, quæ explicat statum pœnitentis, & ipsum accusat, sufficit in Sacramento Pœnitentiæ. pag. 159. num. 2.

Necessitas confitendi sine voce sepissimè contingere potest. pag. 160. num. 5.

De confessione per vocem nõ habemus præceptũ Diuinum, neque humanum scriptũ. pag. ead. num. 6.

Confessio Sacramentalis deseruit ad explicandum statum pœnitentis, & ad reddendum dolorem sensibilem, quod totum haberi potest sine voce per nutus. pag. ead. num. 7. Et vt confessarius sciat, quid mederi, quid iudicare debeat. pag. 161. num. 2.

Consuetudo confitendi ore non est introducta ex obligatione, sed ob communem modum quem homines in alijs negotijs seruant. pag. ead. num. 8.

Confessio publica sicut auricularis sufficit in Sacramento Pœnitentiæ. pag. 161. numero 1.

Qui põt cõfiteri secretò, & vult publicè cõfiteri, non peccat. pag. ead. num. eod.

Cõfessio publica aliquãdo admittitur ab Ecclesia, vt confessio per interpretẽ, p scriptu-

Digitized by Google

ram præsente,& annuēte pœnitente, quādo pœnitens est in aliquo periculo, & non potest aliter nisi publicè confiteri, & quādo sunt plures infirmi in eodem lecto, & non possunt aliter confiteri, nisi ad invicē audiantur.pag.ead.num.3.

Qui præcepto confessionis satisfecit in uno loco,si deinde in loco sit ubi tunc præcepto confessionis satisfit,non tenetur iterum confiteri.pag.251.num.1.

De auriculari confessione non habemus præceptum expressum in Concilio Trid. & si dicat, quod non sit alienum ab institutione Christi, quod idem est ac non esse contrarium. pag. 162. num. 4. Nec hoc præceptum habetur in cap. omnis utriusque sexus,&c. quia ibi non præcipitur,sed commendatur confessio auricularis,ut utilior, & conuenientior institutioni Christi.pag.ead.num.5.Nec obstat antiqua consuetudo, quia hæc consuetudo non est præceptiua,sed liberatiua; & qui contra facit non peccat. Immo facit actū virtutis.pag.ead.num.7.

Mendacium de rebus confessis,vel quas pœnitens confiteri non tenetur, in confessione prolatum,non vitiat sacramentalem confessionem.pag.163.num.1.

Integritas materialis confessionis non est de essentia sacramenti pœnitentiæ. pag. 165.num.1.

De integritate materiali confessionis sacramentalis habemus præceptum diuinū. pag.ead.num.eod.& est de fide definitum. pag.ead.num.7.

Excusat ab integritate materiali confessionis timor damni temporalis, & spiritualis.pag.ead.num.2.

Præceptum diuinum, & naturale charitatis est fortius, antiquius, & absolutius præcepto integritatis confessioni, & ideò illud est præferendum huic.pag.ead.num. eodem,

Si confessarius probabiliter arbitretur, si confiteatur peccatum, vel circumstantiam ipsius suum confessarium statim venire in cognitionem peccatoris, quem in confessione audiuit, non teneri confiteri tale peccatum putat Suarez, & si de hoc dubitet Sotus. pag. eadem num.3.Non tenetur ad integritatem confessionis pœnitens, qui post primum peccatum voccm amisit.pag.166.num.5.

Præceptum de integritate confessionis obligat modo humano.pag.166. num.7.

Confessio ex fine extrinseco venialiter tantum malo sufficit in Sacramento Pœnitētiæ.pag.177.num.1.

Confessio facta de peccatis venialibus vnius speciei,si sit imperata ab actu malo ciusdem speciei, non sufficit pro materia sacramenti Pœnitentiæ.pag.178.num.4.

Confessio Sacramentalis est accusatio sensibilis propriorum peccatorum ad finem obtinendi veniam virtute clauium. pag. 178.num.5.

Confessio imperata ab actu mortaliter malo, non potest sufficere in Sacramento Pœnitentiæ,tum quia non adest verus dolor de peccatis,tum quia deest propositum non peccandi.pag.180.num.8.

Confirmatio.

Confirmatio habet vim sententiæ exequutiuæ.pag.7.num.7.

Consanguinitas.

Consanguinitas,& affinitas pari passu ambulant.pag.92 num.3.& pag.93. num.9.

Consanguinitas,quæ prouenit ex copula fornicaria est vera, & propria consanguinitas.pag.93.nu.8.

Conscientia,vide Superior,miles, subditus, Princeps.

Pax conscientiæ fundata in errore non est bona.pag.237.num.25.

Consensus.

Consensus potioris partis regni censetur cōsensus totius Regni.pag.47.num,5.

Consensus, & consuetudo communis Regnorum semper sunt attendenda,sed non in ijs,quæ ad fidem spectant, & Ecclesiæ præiudicium inferunt.pag.270. num.15.

Consilium.

In concursu duorum consiliorum relinquēdum est illud quod minus bonum affert. pag.88. num.16.

In lege Euangelica sūt cōsilia,& præcepta: hæc importāt necessitatē,illa voluntatē, vnde cōsilia dantur de ijs per quæ melius, & expeditius homo potest consequi beatitudinem,præcepta verò dantur de ijs, quæ sim-

Digitized by Google

simpliciter sunt necessaria ad beatitudinem.pag.204.num.2.

Non operari secundum consilium nullum est peccatum,nec contra,sed præter præceptum.pag.105.num.6.

Consuetudo.

Consuetudo duplex: vna dicitur liberatiua, alter dicitur præceptiua: qui facit contra consuetudinem liberatiuam non peccat,qui facit contra consuetudinem præceptiuam peccat.pag.162.num.7. Hinc est quod cum consuetudo sumendi ientaculum lautius in vigilia Natiuitatis Domini sit consuetudo liberatiua,qui contra facit,nempè qui ientaculum sumit pressum,ac limitatum, sicut in alijs vigilijs, non peccat;qui verò Neapoli non ieiunat in vigilia Pentecostes peccat, quia tenetur ratione consuetudinis præcipientis . pag.ead.num.eod.

Consuetudo confitendi secretè est liberatiua, & non præceptiua, & ideò qui contra facit, facit actum virtutis,non verò peccatum. pag. ead.num.eod.

Pœnitens qui in confessione negat confessario consuetudinem peccandi facit validè confessionem.pag.163.nu.3.

Contractus.

Contractus stricti iuris dicitur ille in quo non venit nisi quod strictè exigit natura actionis.pag.35. num.3.

vide chirographum vendens.

Consulens.

Consulens opus seruile pueris ante septẽniũ, vel infideli,non peccat.pag.247.nu.6.

Opus mandatarij non dicitur mandantis si reuocauit mandatum ,sed dicitur cõsulents, etiam si reuocauit consilium. pag. ead.num.eod.

Contritio,vide in verbo dolor,
Attritio, Sacramentum pœnitentiæ.

Indicat non habere contritionẽm qui vult peccare vsque ad extremum vitæ.pag.55. num.5.

Non est vniuersaliter verum, quod quidquid remittitur per cõtritionem, necessario remittitur cum ordine ad Sacramentũ Pœnitentiæ,cũ peccata venialia, & mortalia commissa ante quam quis baptizetur,remittantur in tali statu sinè ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, & peccata obbita etiam remittũtur per contritionem sinè ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.pag.ead.num.15.

Non omnis actus contritionis est materia proxima Sacramẽti Pœnitentiæ.pag.109. num.5.Sed contritio de peccatis commissis post baptismum. pag.116. num. 14. Et ideo contritio de omissione cõsiliorum non est contritio sufficiens pro materia Sacramenti pœnitentiæ.pag.107. nu.12.

Peccatum remissum per contritionem itcrũ remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ, quia remissio per contritionem fit peccatori, cum obligatione se præsentandi ad Ecclesiam , non vero cum tali obligatione remittitur peccatum in Sacramento Pœnitentiæ.pag.110.num.8.

Quodquis teneatur elicere actum contritionis ex charitate in articulo mortis .cũ Sacramẽto Pœnitentiæ,nullibi est expressum præceptum.pag.128.num.12.

Certitudo salutis ex contritione est de fide, certitudo salutis ex consensu Ecclesiæ,nẽpè ex attritione, cũ Sacramento,est infallibilis,sed non de fide,quia dicit minorem recessum à suo contrario.pag.229.nu.15.

Quod contritio iustificet impium, ita est de fide sicut est de fide,quod Sacramentũ iustificet.pag.229.nu.16.

Pœnitens non est magis tutus eliciẽdo actũ contritionis,quam accipiendo Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, cum non sit de fide tutus,quod actus à se elicitus sit contritionis.pag.229. num.17.

Contritio fit sensibilis per confessionem in Sacramento Pœnitentiæ.pag.147.num.1. & pag.149. num.12. vna, & eadem contritio potest pertinere ad duo Sacramẽta Pœnitentiæ.pag.ead. num.10.

Copula, vide Affinitas.

Cognatio, quæ oritur à copula illicita impedit,& dirimit matrimonium ex præcepto Ecclesiastico.pag.59.num.8.

Correctio.

Finis correctionis fraternæ est emendatio. pag.40.num.12.

Correctio fraterna supponit necessario subiectum corrigendum non esse incorrigibile. pag.71.num.5.

Cor-

Digitized by Google

Correctionis præceptum est affirmatiuum continens obligationem indefinitam, & non coarctatam ad hoc tempus. pag.ead. num.6.

Præceptum correctionis fraternæ tunc vrget, quando probabiliter speratur emẽda, non quando dubitamus de tali emenda. pag.318.num.5.

Creditor.

Creditori ex mutuo cum certa die debentur interesse, quando mora intulit huic creditori damnum, secus si mora nullum damnum intulit.pag.35.num.1.

Creditor posterior, qui dolo inducit creditorẽ anteriorem ad transigendum, ad finem, vt sibi possit satisfieri in hereditate debitoris communis, ad nullam tenetur restitutionem pag.ead. num.4.

Creditor posterior personalis, qui bona fide, vel de manu Iudicis accepit suum creditum, non tenetur illud restituere creditori anteriori personali, quia diligentia huius creditoris posterioris facit ipsum melioris conditionis pag.37.num.8.

Creditor anterior pro sorte principali dicitur anterior quoad vsuras si interesse fuit conuentum, secus dicendum est, quando conuentum non fuit.pag.37.num.9.

Creditor personalis anterior postponitur creditori hypothecario posteriori. pag.eadem num.11.

Creditor hypothecarius posterior dum facit sibi adiudicare bona, nullum damnum infert creditori hypothecario anteriori. pag.44.num.16.

Vnus creditorum nõ habentium prælationẽ potest totum suum creditum exigere de manu cõmunis debitoris, etiã si sciat alterum creditorem esse exclusum ratione huius integræ solutionis; Non tamen potest totum suum debitum exigere de manu procuratoris, vel depositarij communis debitoris pag.205.num.10.

Diligentia prodest creditori respectu principalis debitoris, non vero respectu depositarij seù procuratoris. pag.ead. num.11. Sicut nec prodest respectu non veri debiti. pag.ead.num.eod.

D

Damnati.

Damnati secundum aliquos satis patiũtur in inferno pro pœnis temporalibus luendis pro peccatis per absolutionem Sacramentalem remissis. pag.185.nu.6.

Damnum.

Damnum dicitur ab ademptione, & quasi diminutione patrimonij. pag.35. num.1. Actio damni illati non est hypothecaria, sed personalis.pag.ead.num.2.& 8. in dubio, an damnum sit illatum, dubitans non tenetur ad restitutionem, cum melior sit conditio possidentis.pag 36.num.5.

Ex damno illato non oritur restitutio in cõscientia, nisi damnum sit mortaliter peccaminosum prout est à damnificante. pag. 42.num.3.& 15.

Qui tenetur ad restitutionem ex damno illato, tenetur, quia consumpsit iniustè bona proximi.pag.cad.num.4,

Dauid.

Dauid concubinas suas ab Absalon cognitas reputauit pro nuribus, quia ipsas Dauid prius non cognouerat.pag.94.num.10.

Debitor, Debitum.

Debitor ex mutuo cum certa die tenetur ad interesse ratione moræ, si mora dãnũ intulit creditori mutuanti; secus verò si mora nullum damnum intulit. pag.35.num.1.

Nõ tenetur quis soluere debitum falsè probatum in iudicio.pag.75.nu.15. Nisi constet de iustitia census, debitor non tenetur illum soluere.pag.230.num.6.

Delictum. Delinquens.

Quod delictum sit, vel non sit contra bonum publicum habetur ab obiecto actus peccaminosi; nam si obiectum actus est malum particulare, delictum non dicitur contra bonum publicum; si autem obiectum actus est commune malum, delictum dicitur cõtra bonum publicum.pag.39. nu.7.

Non est delictum contra bonum publicum occidere aliquem, vt inimicum amici. pag.40.num.9.

Delictum assassinij est delictum æquale crimini læsæ Maiestatis.pag.ead.num.10.

De

Digitized by Google

De delicto post emendā si est contra bonū publicum, vel præcesserunt indicia probata, &c. habet Iudex ius interrogādi testes, & testes tenentur respondere. pag. eadem num. 12.

Minora delicta aliquando in iure habent aliquas pœnas taxatas ob specialem rationem, quas non habent maiora delicta. pag. 65. num. 4.

Delictum vt tale appellat operantem, non punientem. pag. 219. num. 4.

Delictum, vt delictum ex sua ratione formali non tribuit potestatem Episcopo condemnandi delinquentem. pag. 9. num. 2. Si post delictum commissum delinquens egreditur fines iurisdictionis Principis, vel Episcopi, cessat potestas talis Principis, vel Episcopi. pag. 11. num. 8.

Delinquens delinquit vbi actum tenetur ponere. pag. 11. num. 11.

Si quis post delictum aufugit, non potest puniri, quia delictum tunc actuale non est. pag. 11. num. 11.

Delictum, quod non potest puniri ob fugam Rei, dicitur remanere impunitum per accidens. pag. 12. num. 15.

Quando delictum committi non potest sine socijs, aut est contra bonum publicum, Iudex tenetur interrogare de socijs. pag. 38. num. 1.

Delictum assassinij est delictum æquale crimini læsæ Maiestatis. pag. 40. num. 10.

Quando contra delinquentem emendatum præcessit infamia, vel indicia probata, vel testis semiplene probans, tenetur reus consocius deponere contra talem. pag. 40. num. 12.

Vnusquisque tenetur non solum testificari, sed etiam accusare delinquentem, quando agitur de bono publico. pag. 39. num. 5.

Delictum assassinij est contra bonum publicum. pag. ead. num. 6.

Denunciatio.

Qui certò scit se non habere impedimentū, non potest licitè matrimonium contrahere sine denunciationibus. Quia denunciationes præceptæ sunt quæ possunt detegere impedimenta, non quæ actu detegūt. pag. 79. num. 1.

Et si cessat finis denunciationis, non tamen cessat obligatio illas præmittēdi. pag. ead. num. 2.

Qui matrimonium contrahit sine licentia Episcopi, vel sine denūciationibus. peccat mortaliter. pag. 80. num. 5.

Præceptum de præmittendo denunciationes est de materia graui. pag. ead. num. 6.

Matrimonium contractum sine denunciationibus dicitur clandestinum. pag. ead. num. eod.

Qui sine denunciationibus contrahit, & post contractum matrimonium aduertit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, desperat dispensationi. pag. 81. num. 7.

Thomas Sanchez putat, quod qui relinquit vnam tantum publicationem, peccet venialiter. At melius alij, quod peccet mortaliter. pag. ead num. 8.

Effectus productus ab vna denunciatione non continuatur cum effectu producto ab alia. pag. 82. num. 13.

Vna denunciatio, & si materia leuis sit, tamē continet in se totam malitiam, & respicit adæquatè finem præcepti publicationis. pag. ead. num. 14.

Depositum. Depositarius.

Qui retinet depositum apud semetipsum dicitur spontaneus depositarius, qui tenetur etiam ex culpa leuissima, vel ex casu fortuito. pag. 206. num. 15.

Depositarius requisitus si depositum non restituat, dicitur dolum committere. pag. ead. num. 16.

Depositarius vti non potest deposito etiam si ignoret ad quem spectat depositum.

Deuotio.

Deuotio est actus voluntatis, quo quis promptè se tradit ad Dei famulatum, & supponit actum contemplationis, seu meditationis. pag 87. num. 15.

Deus.

Deus examinabit operationes hominum ad punitionem circa peccata, ad iustificandā causam suimet circa omissiones. pag. 105. num. 5.

Deo sumus reddituri rationem de bonis inspirationibus. pag. ead. num. cod.

Magis prodest donum Dei, quam Ade pec-

catum

Digitized by Google

vatum ladit. pag.11. num.8.

Qui amat Deum non dilectum super omnia, dicitur amare Deum amore naturali. pag.131.nu.1.

Dies.

Dies, & pœna adiecta in mutuo interpellat pro homine, non verò dies tantum. pag.36. num.6.

Dies festiuus.

Qui in diuersis diebus festiuis habet animũ paruo tempore laborandi non est in statu peccati mortalis. pag.82.num.12.

Qui die festiuo alio pergit vbi festũ nõ agitur ad finẽ nõ vidẽdi missã, si ante quam Missæ finiantur hoc facit, nõ frangit præceptum de videndo Missam. pag.235.n.3.

Sanctificatio dici festi est de iure diuino, at modus sanctificationis est de iure Ecclesiastico. pag.246.num.3.

Diebus festiuis abstinentia ab opere seruili est de iure diuino veteri, quod cessauit per legem Euangelicam, & si renouata sit à lege Ecclesiastica. pag.ead.num.4.

Licitum est exigere die festiuo opus seruile ab excusato à præcepto, vel ratione paupertatis, vel necessitatis. pag.247.num.5.

Qui egreditur ante meridiem à loco vbi dies festiuus celebratur, & ibi sunt plures Missæ celebrandæ, & pergit ad locum in quo non est dies festiuus, non tenetur audire sacrum. pag.263. num.1.

Obligatio videndi Missam die festiuo, & si contrahatur mane, tamen non manè tenemur ad satisfactionem, sed vsque ad meridiem, si isto medio tempore non habeamus causam excusantem. pag.eadem num.2.

vide Missa.

Dispensatio.

Dispensatio facta à Pontifice in genere, dispẽsat saltem ab irregularitatibus à supplicante non cognitis. pag.15. num.6.

Dispensatio est odiosa, & sic recipit strictam interpretationem. pag.15.num.6.

Dispensationem qui petit ad cautelam, si post ordinationem aduertit verè indiguisse tali dispensatione, nõ indiget noua dispensatione. pag.18.num.16.

In dispensatione generali si comprehẽditur casus specialis, & dubitatur de intẽtione dispẽsãtis, intẽtio pʃupponitur. pa.18.n.17.

Dispensatio obtenta, et vero non expresso, vel falsò expresso, vt facilius, non verò, vt simpliciter impetretur dispensatio, nihil vitiat. pag.18.num.19.

Dispensatio est valida, quando dubitamus de eius validitate. pag.19.num.22.

Ad dispensationis valorem non requiritur mandatum supplicantis. pag.19.num.23.

Dispensatio ad ordines sacros est etiam dispensatio ad exercitium ordinis. pag.19.num.25.

In dispensatione considerantur duæ causæ, scilicet finalis, & impulsiua. Causa finalis est qua non existente, vel qua significata Princeps gratiam non concessisset: Impulsiua dicitur, quæ falsò expressa, Principem mouet ad facilius dispensandum, vel si est vera, & exprimeretur, Princeps difficilius concessisset gratiam. pag.3. num.7.

In dispẽsationis materia taciturnitas causæ finalis, vel falsa expressio ipsius reddit nullam impetrationem; tollit enim voluntariũ Principis dispensantis. pag.31. n.8.

Quando plures causæ proponuntur Pontifici pro aliqua dispensatione, & vtraque est insufficiens se sola, integrant vnam causam sufficientem; ꝙ si aliqua earũ est falsa, dispẽsatio est nulla. pag.32. nu. 11.

Moralis certitudo superuenientis dispensationis non excusat hominem à præcepto cui dispensatur, quia dispensatio, & non spes dispensationis tollit obligationem præcepti. pag.253 num.1.

Dispensatio illegitimi ad ordines intelligitur ad omnes ordines minores, si verò sit dispensatio ad omnes, intelligitur etiam ad ordines sacros. pag.292.num.66.

Doctor. Doctoratus.

Doctor de patria Neapolit. & qui habet volũtatem Cancellarij, & maioris partis doctorum de Collegio, potest esse seu admittitur ad Collegium Neap. ex priuilegio Ioãnis Secundæ. pag.3.num.6.

Doctoratus contra formam præceptam à pragmatica de scholaribus doctorandis, & si illicitè doctorctur, tamen est verus doctor. pag.2. num.2.

Doctoratus falsis testibus probãtibus doctrinam, & modum doctorandi, potest in tuta

con-

Digitized by Google

conſcientiæ, cum ad Collegium Neapolitanũ peruenerit, dare ſaffragia, & munuſcula recipere, quæ dantur alijs collegiantibus. pag 3. nu. 5. & pag. 4. num. 12.

Doctoratus eſt dignitas, & non officium. pag. 2. num. 3.

Officium doctoratus ſequitur ad gradum. num. eod. pag. ead.

Doctorandi modus, & ſcientia in doctorandis requiſita in Collegio Neapolitano per priuilegium Ioannæ Secundę edito die 5. menſis Maij 1428. receſſerunt ab aula. pag. 2. num. 1.

Habendi ſunt vti non Doctores doctorati cõtra formã pſcripã in ſecũdo priuilegio Ioãnæ Secũdæ edito anno 1428. & ſi ſint re vera Doctores, & ad hoc vt habeantur vti non Doctores debent expectare ſententiam declaratoriam culpæ. pag. 2. nu. 4.

Doctorandis in Collegio Neapolitano deſideratur curſus quinquennalis ſtudiorũ ex pragm. 9. de ſcholaribus doctorandis. pag. 2. num. 1.

Doctoratus indignè gaudet priuilegijs graduatorum. pag. 3. num. 8. & 10.

Doctoratus contra leges academiæ, ſi leges illæ non irritant ipſo facto promotionem, & ſi illicitè, tamen eſt verè promotus ad doctoratum. pag. ead. num. 9.

Doctores Neapolitani male promoti ad Doctoratum amittũt poteſtatem aduocationis, & officij, quod intellige poſt ſententiã declaratoriam culpæ. pag. 3. num. 7. Non verò annullatur eorum doctoratus, dum tales pœna puniuntur. pag. ead. nu. 11.

Doctorati à Comite Palatino ſunt ipſo iure nulli. pag. ead. num. eod.

Male promotus ad doctoratum, & ad Collegium Neapolitanum admiſsũ, nulli ſcholari præiudicium affert. pag. 4. nu. 15.

Doctor Neapolitanus eſt admiſsũ ad Collegium ſtatim poſt doctoratum, & ſi tunc nõ ſedeat. pag. 4. num. 16.

Dolor. vide Attritio, vel contritio.

Poteſt quis dolere de offenſa Dei ab alio facta, nõ poteſt tamen illã phyſicè retractare. pag. 114. nu. 4.

Dolor de peccatis ex eo, quia cauſant pœnas æternas tantum, vel amiſſionem bonorum ſpiritualiũ ſine ordine ad Deũ authorem gratiæ, dicitur dolor naturalis. Sicut etiã eſt naturalis dolor de peccato ratione turpitudinis intrinſecæ ipſius peccati, quatenus hæc opponitur naturæ rationali tantũ; vel ſi odio habetur peccatũ propter malũ tẽporale, ita quod ſi malũ illud ceſſaret, nullo modo de ipſo pœnitens doleret; vel ſi doleat ob timorem naturalem, vel ſi doleat ſine propoſito ſe emendandi, omnes iſti dolores dicuntur naturales, & nõ ſufficiunt in Sacramento Pœnitentiæ pag. 132. num. 2.

Dolor ſufficiens in Sacramento Pœnitentiæ eſt dolor excludens omnem voluntatem peccandi. pag. 132. num. 4.

Dolor naturalis non conuertit hominem ad Deum auctorem ſupernaturalẽ. pag. 143. num. 3.

Qui habet dolorem ſufficientem ad Sacramentum, & non ad gratiam, eſt ſimpliciter indiſpoſitus. pag. ead. num. 14.

Dolor naturalis ſi ſufficeret ad Sacramentũ, deberet ſufficere etiam ad gratiam. pag. 135. num. 15. Imò deberet effici ſupernaturalis ex vi Sacramenti, ſicut efficiuntur cæteræ materiæ naturales aliorum Sacramentorum. pag. ead. num. 16. & 18.

Qui credit habere dolorem ſupernaturalẽ, & habet naturalem, & bona fide accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ſi nullũ faciat Sacramẽtũ, tamẽ nullum cõmittit peccatũ; et peccata expoſita in tali Sacramẽto nullo, habentur pro oblitis, & vti talia remittuntur. pag. 137. num. 25.

Dolor de non habẽdo dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitum, eſt dolor virtualis, ſicut etiam eſt actus amoris Dei, & voluntas ipſa confitendi, & recipiendi abſolutionem. pag. 138. num. 1.

Dolor formalis poſt aliquod tempus dicitur virtualiter perſeuerans, ſi nõ eſt retractatus. pag ead. num. 2.

Dolor formalis poſt longum tempus dicitur perſeuerans habitualiter ſi non ſit retractatus. pag. ead. num. 3.

Dolor de non habẽdo dolorem non ſufficit in Sacramento Pœnitentię pro materia. pag. ead. num. 4.

Dolor requiſitus in Sacramento pœnitentiæ debet eſſe verè ſupnaturalis, & nõ exiſti-

Digitized by Google

matus supernaturalis. pag.139. num.2.
Dolor de nõ habendo dolorem consummatur in desiderio dolendi, & hominem ad Deũ non conuertit, sed ad dolorem. pag. ead. num.6.& 7.
Dolor de peccatis de natura sua sensibilis non est, cum consummetur in ipso actu voluntatis, sit tamen sensibilis per confessionem, & consequenter per confessionem fit pars Sacramenti Pœnitentiæ. pag. ead. num.10. & pag.147.num.1.& 12.
Dolor habitualis in perseuerando,& etiam habitualis sufficiunt pro materia Sacramenti Pœnitentiæ.pag.140. n.13. & 15.
Dolor quantumuis intensissimus, & de recenti factus non sufficit in Sacramento Pœnitẽtiæ,nisi sit sensibilis.pag.ead.n.16.
Dolor etiam si non præcedat confessionem, & nõ ordinetur à pœnitẽte ad pœnitentię Sacramentũ,adhuc esi sufficiẽs pro materia Sacramẽti Pœnitentię pag.141. n.1.
Dolor non ordinatus à pœnitente ad confessionem sufficit pro materia Sacramenti Pœnitentiæ.pag.143.num.8.
Dolor in Sacramento Pœnitentiæ sufficit ex Concil. Trident. si excludit voluntatem peccandi in futurum.pag. ead.nu.9.
Dolor requiritur in confessione peccatorum, vt homo sicut voluntariè se conuertit ad creaturam,& auuertit à Deo per peccatũ, ita per dolorem se conuertat ad Deum,& auertat à creatura.pag.ead.num.10.
Peccator ideo emittit actũ doloris,vt habeat remissionem peccatorum.pag.ead. nu.11.
Magis connaturale est, quod ex dolore oriatur desiderium confitendi, quam quod ex desiderio confitendi oriatur dolor. pag.144.num.12.
Dolor est perfectior sine ordine, quam cum ordine ad confessionem.pag. ead.nu.13.
Vnio inter confessionem, & dolorem in Sacramento Pœnitentiæ satis habetur, si hic significetur ab illa.pag.145. nu.16.
Quia non confiteri peccata peccatum est, ideò qui dolet de peccatis implicitè vult confiteri illa; At hæc virtualis coordinatio prouenit à præceptò diuino,& non quia dolor deseruit pro materia Sacramenti Pœnitentiæ.pag.446.num.17.
Dolor non vt dolor, & insensibilis, sed vt sensibilis est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quia sit sensibilis per confessionem,ideo posita noua confessione dolor prior sufficit pro nouo Sacramẽto Pœnitentiæ.pag.148. num.7.
Vnus & idem dolor potest pertinere ad duo Sacramenta.pag.149.num.10.
Dolor imperfectus, scù displicentia inefficax, non est detestatio, aut retractatio peccati, cum hæc displicentia possit stare cum proposito iterum idem peccatũ committendi.pag.ead.num.12.
Dolor virtualis non sufficit in Sacramento Pœnitentiæ,& si cum dolore formali sufficiat negatiuè, quatenus facit, vt non impediatur gratia à Sacramento conferenda. pag.156.num.14.
Finis doloris in Sacramento Pœnitentiæ est perfecta reconciliatio peccatoris cum Deo. pag.157. num.15.
Dolor non est de essentia aliorum Sacramentorum.sed tantum Sacramenti Pœnitẽtię. pag.ead.num.16.
Dolor internus qui est à voluntate volitus, remanet liber,etiam si ipsi dolori præcedat actus imperij,qui habet propriam malitiã independentem ab actu imperante. pag. 177.num.2.

Dolus.

Qui vtitur iure suo,dolo malo non videtur agere.pag.37.num.10.
Etiam si ex tali vsu sequatur damnum alteri.pag.51.num.19.
Dicitur deũ cõmittere depositarius requisitus, si depositum non restituit. pag.206.nu.16.
Dolũ committit qui agit contra formam pacti. pag.ead.num.17.
Dolus vnius alteri nocere non debet,dũmodò ex dolo illius res ad hunc non peruenit. pag.ead.num.18.
Dolus proueniens ab eo à quo emptor habet causam lucratiuam, reddit nullum contractum.pag.207.num.19.
Vbi dolus non est, ibi culpa esse non potest. pag.219.num.1.

Dubium. Dubitans. Vide Peccatum.

Dubitãs an dãnum intulerit, ad nullã tenetur restitutionem.pag.36.num.5.
Dubitãs post factã diligẽtiam,si adhuc dubitat,dicitur ignorãs.pag.100.num.3.

Digitized by Google

Dubitans an votum emiserit si post factam diligentiam adhuc dubitat, non tenetur ad votum. pag. 101. num. 7.

In dubio tutior pars est sequenda respectu non tutæ, non verò respectu tutæ. pag. ead. nu. 9. & pag. 210. nu. 3.

Et etiam in dubijs practicis verum est, quod tutior pars sit sequenda, non verò in dubijs speculatiuis. pag. eadem num. 10.

Dubitare an peccatum sit à me commissum est dubium practicum facti; At dubitare an tale peccatum dubium sit confitẽdum, est dubium iuris speculatiuum fundatum in dubio facti practico pag. ead. num. 11.

Dubbium subditi est omninò extrinsecum potestati superioris. pag. 211. num. 4.

Vide subditus. lex; vectigalia, gabella.

Nemini licet disponere de re, de qua dubitat, an sit sua. pag. 211. num. 9.

Qui speculatiuè dubitat an aliquid quod agere intendit sit contra præceptum, tenetur ex præcepto, non ex consilio eligere partem tutiorem. pag. 225. num. 6.

Dubium iuris nullam inducit irregularitatem, & ideò qui tali dubio laborat non est censendus irregularis. pag. 318. num. 6.

In dubio an fœtus sit animatus præsupponitur inanimatus. pag. 320. num. 16.

In dubio homicidij sẽper præsupponitur quis irregularis, dummodò subiectum sit capax mortis, secus quando dubitamus de capacitate mortis subiecti. pag. 320. num. 17.

E

Ebrietas, Ebrius.

EBrio parato se inebriare non licet vinum subministrare, nec carnes parato comedere die Veneris. pag. 22. num. 13.

Ebrij, amentes, & dormientes sunt sub lege in actu primo, & si excusentur à trãsgressione legis, seù ab actu secundo. pag. 237. num. 8.

Ebrij, amentes, & dormientes diuerso modo deobligantur à lege, ac infirmi. pag. 238. num. 9.

Ebrietas in se, ludus, & somnus in se sunt impedimenta legis, non vero causæ excusantes. pag. 239. num. 3. & pag. 264. nu. 4.

Ecclesia.

Fundatores Ecclesiarũ, aut eorum filij si cœperũt egere, alendi sunt ab ijsdem Ecclesijs. pag. 60. num. 14.

Iudæus fundator Ecclesiæ non habet ius patronatus. pag. 60. num. 15.

Potestas Ecclesiæ habet ordinare homines ad finem supernaturalẽ, qui est salus animæ. pag. 77. num. 24.

Potest Ecclesia recognoscere infidelem de delicto commisso contra Ecclesiam ad finem puniendi, non verò potest recognoscere illum in Sacramento Pœnitentiæ ad finem remittendi peccata illi. pag. 115. num. 11.

Qui ingreditur ad Ecclesiã per baptismũ, innocens ingreditur, & vt talis non habet obligationem confitendi. pag. 119. nu. 6.

Qui est extra Ecclesiã non indiget Sacramento Pœnitentiæ. pag. ead. num. 7.

Ecclesia aliquando reseruat peccata ratione circumstantiæ, ne aggrauantis quidem. pag. 176. num. 11.

vide Pauper. Legatum.

Ministri Ecclesiæ præferendi sunt pauperibus. pag. 259. num. 13.

Pauperes tenentur soluere decimas Ecclesiasticas. pag. ead. num. eod.

Ministri Ecclesiæ sunt alendi ex præcepto naturali confirmato à Lege Euangelica. pag. ead. num. 14.

Legatum pro fabrica materiali Ecclesiæ potest impendi pro paramentis, &c. eiusdẽ Ecclesiæ. pag. 260. num. 16.

In ijs quæ præiudicium afferunt Ecclesiæ, non est attendenda consuetudo, nec consẽsus communis regionum. pag. 270. nu. 15.

Ecclesiæ, vel pauperibus sunt restituenda bona acquisita per vsuram, non verò bona bona fide possessa. pag. 281. num. 34.

In Ecclesia possunt sepeliri excommunicati tolerati, & qui ipsos sepeliunt, nullam incurrunt censuram. pag. 286. nu. 43.

Sicut etiã hæretici, non dum denũciati, nec violatur locus sacer per talem sepulturã, pag. ead. num. 44.

Effectus, vide causa.

Licet p se intẽdere effectũ malũ in causa bona, si effectus est malus, quia prohibitus; secus dicendum est si effectus est

Digitized by Google

prohibitus, quia malus, nam primus habet malitiam non in se, sed à causa, secundus verò effectus habet malitiam in se. pag. 236. num. 4.

Effectus formalis est ipsamet forma communicata. pag. 241. num. 3.

Vnus effectus potest pendere in fieri ab una causa efficienti, & in conseruari ab alia, non verò ab una causa formali in fieri, & ab alia in conseruari. pag. 241. num. 3.

Eleemosyna.

Qui vult eleemosynam efficaciter dare, si mittens manum in crumenā pecuniam non inuenit, non habet minus meritum, quàm qui de facto illam tribuit. pag. 179. num. 7.

Filius potest dare patri indigenti eleemosynam à confessario pro satisfactione Sacramentali impositam, vt daret pauperibus, quia inter pauperes includuntur omnes qui tales dicuntur respectu huius filij pœnitentis, & pater respectu huius filij est pauper; idèo enim tenetur filius alimenta præbere. pag. 96. à num. 1.

Cui commissa est distributio eleemosynæ inter pauperes, non tenetur eligere pauperiores. pag. 257. num. 4.

In distribuendo eleemosynam, non tam est attendenda pietas, quam religio. pag. 258. num. 10.

Ordo distribuendi eleemosynam est, quod detur magis indigentibus, melioribus, propinquioribus, benefactoribus, & dantibus spiritualia. pag. 260. num. 18.

Emptio, vide chirographum, & venditio.

In nostro Regno semper sunt paratæ emptiones, sed non semper sunt parati ciues ad emendum. pag. 36. num. 7.

Vide chirographum.

Emptio chirographorū exactionis regiæ, quæ vulgo dicuntur, polise d'arrendamenti di Corte, *in nostro Regno Neapolitano fit tribus modis, nempè, vt vulgo dicitur* con la girata per altri tanti, con la girata per impronto, e con la girata, atteso che ad esso spettano. *Primus, et secūdus modus sunt emptio palliata, & manifesta vsura; tertius modus est vera emptio. pag. 201. num. 1.*

In emptione chirographorum id quod emitur est ius ad debitum, non debitum ipsum. pag. ead. num. 2.

Emptio debiti est mutuum virtuale. pag. ead. num. eod.

Episcopus.

Episcopus qui antecedenter ad actū ordinādi protestatur se nolle ordinare non suos subditos, si accedat non subditus, & Episcopus intendat ordine hunc, & si habitualiter non intendat talem ordinare, est verè ordinatus, cum intentio actualis destruat intentionem habitualem. Henriquez lib. 14. summæ cap. 6. num. 5. pag. 5. num. 19.

Episcopo debentur menses Iunij, & Decembris de iure pro collatione beneficiorum. pag. 12. num. 3.

Episcopus potest prouidere beneficia vacantia mense Iunij, & Decembris, siue residcat, siuè non. pag. 6. num. 4.

Episcopus habet liberam administrationem iurisdictionis post possessionem. pag. 7. n. 8.

Episcopus licet habeat ius impeditum mensibus Iunij, & Decembris ante possessionem sui Episcopatus, post possessionem potest conferre beneficia, alternatiua etiā non obtēta, cum menses illi eius sint de iure communi. pag. 7. num. 10.

Episcopo prohibetur administratio bonorum Ecclesiasticorum vsq; ad expeditionem Bullarum. pag. 7. num. 10.

Episcopus cessante reseruatione potest cōferre omnia beneficia in sua Diœcesi vacantia. pag. 8. num. 12.

Episcopus si confert Parochiam sine concursu, nulla est collatio. pag. 8. num. 18.

Episcopus non potest excommunicare delinquentem non subditum, qui non est intra limites suæ Diœcesis, dummodò non sit citatus intra illam. pag. 10. num. 2.

Episcopus non potest excommunicare subditum ratione domicilij, vel originis, si sit extra limites suæ Diœcesis. pag. 10. nu. 2.

Episcopus potest compellere subditum ratione originis, vel domicilij delinquentem ad residendum ratione beneficij, vel ad interueniendum Synodo. pag. 10. num. 3.

Episcopus non potest citare reum, neque realiter, neque verbaliter, existentem extra Diœce-

Digitized by Google

Diœceſim. pag. 10. *num.* 5.

Epiſcopus poteſt excommunicare exiſtentem extra Diœceſim ſi non reſideat in loco beneficij in quo tenetur reſidere, quia eſt delinquere in propria Diœceſi non reſidendo. pag. 11. *n.* 9.

Epiſcopus qui ordinauit pauperem habentẽ ius petendi alimenta à patre diuite, non tenetur talem ordinatum alere. pag. 97. *num.* 6.

Epiſcopus poterat miſſas reformare, reducere, & moderare, ſed nunc ex Bulla Vrbani VIII. non poteſt. pag. 196. *à num.* 9.

Epiſcopus poteſt coniungere in matrimonium peregrinos tranſeuntes per ſuum Epiſcopatum. pag. 269. *num.* 12.

Eques.

Equites D. Iacobi ſunt Religioſi ſecundum quid. pag. 26. *num.* 9.

Equites Diui Iacobi qui percutit, excommunicatus eſt. pag. 26. *num.* 9.

Eques Diui Iacobi ſi cognoſcit aliam fœminam præter vxorem propriam, ſacrilegium committit. pag. 26. *num.* 9.

Error.

Error communis confert iuriſdictionem, & facit actus validos. pag. 223. *num.* 14.

Euchariſtia.

Ioannes Sanchez putat pueros teneri ad præceptum Euchariſtiæ ſtatim, ac ad vſum rationis peruenerunt. pag. 84. *num.* 1.

Quod pueri non teneantur eſt verior ſentẽtia. pag. 90. *num.* 24.

Inter præceptum Euchariſtiæ, & præceptum confeſſionis adeſt differẽtia inſinuata in cap. omnis vtriuſq; ſexus, quæ eſt quod præceptum communionis obliget cum ordine ad prudens indicium confeſſarij: præceptum verò confeſſionis obligat ſine tali ordine. pag. ead. num. 2. *&* 4.

Qui non eſt in peccato mortali, tenetur ad præceptum Euchariſtiæ in Paſchate. pag. 85. *num.* 4.

Præceptum communionis obligat ad reuerenter ipſam accipiendam. pag. eadem num. 5.

Reuerentia requiſita in Sacramento Euchariſtiæ oritur ab amore erga illud, & quia pueri nõ facile inflammantur erga id quod non vident, eis deneganda eſt Euchariſtia. pag. ead. num. 7.

Præceptum de ſumenda Euchariſtia in Paſchate expreſſum in Concil. Trident. non obligat pueros primo anno diſcretionis, dũ ſe remittit ad præceptum expreſſum in cap. omnis, etc. quod obligat cum ordine ad prudentiam confeſſarij. pag. eadem num. 8.

Ad ſumptionem Euchariſtiæ minor diſcurſus requiritur, quam ad confeſſionem. pag. 86. *num.* 9.

Ad inducendum obligationem præcepti Euchariſtiæ non valet argumentari à maiori diſcurſu requiſito in confeſſione, quia ſic infantes tenerentur etiam ad ieiuniũ. pag. 86. *num.* 11.

Euchariſtia per modum viatici non eſt deneganda Aethiopibus, & ſemifatuis, quia nõ ſperatur maior deuotio. pag. 87. *nu.* 74.

Etſi ſæpè intra annum non ſunt communicandi. pag. 88. *num.* 17.

Reuerentia requiſita ad ſumptionem Euchariſtiæ non ſolum eſt, vt quis accedat ſine culpa mortali, & ieiunus, ſed etiam eſt actus deuotionis erga hoc Sacramentum, aliter enim etiam perpetuò amentes tenerentur ad præceptum Euchariſtiæ. pag. 87. *num.* 15.

Ex ſumptione Euchariſtiæ cum tenui deuotione oritur in infantibus abuſio Sacramenti, & ideò prudens confeſſarius in præcipiendo pueris ſumptionem Euchariſtiæ, non ſolum debet reſpicere bonum præſens puerorum pœnitentium, ſed etiam futurum, & non ſolum puerorum, ſed etiam bonum Sacramenti. pag. 88. *nu.* 16.

Cautum eſt in cap. omnis, &c. quod pueris non eſt danda Euchariſtia ſtatim, ac ad vſum rationis peruenerunt. pag. eadem num. 18.

Vna ſumptio Euchariſtiæ diſponit ad aliam ſi conſideretur ſecundum ſe, at ſi conſideretur cum libertate ſumentis, aliquando ob irreuerentiam potius indiſponit, cùm ſumatur cum abuſione gratiæ. pag. 89. *num.* 19.

Vtilius eſt puero bis Sacramentum Euchariſtiæ ſumere quam ſemel, at non eſt vtilius deuotioni in Sacramento requiſitæ. pag. ead. num. eod.

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum Eucharistiæ per modum viatici non est denegandum puero moribũdo si vsum rationis habeat, & si negãda sit communio in Paschate, quia præceptum viatici est de iure diuino sine vllo ordine, & præceptum communionis in Paschate est de iure Ecclesiastico cum ordine ad prudentiam cõfessarij, nec timetur in puero moribũdo abusio Sacramentorum, nec speratur maior deuotio. pag. ead. num. 20.

Materia proxima Eucharistiæ in fieri est panis determinatus ab intentione consecrantis, in facto esse est corpus Christi, prout sit sensibile per speciem panis. pag. 123. num. 9.

Vinum virtuale, & non formale, & panis virtualis, & non formalis, non sufficiunt pro materia Eucharistiæ. pag. 140. nu. 12.

Qui voluntariè consecrat acetum, & si paruæ quantitatis, vel si voluntariè cõsecrat aquam, & statim vinum accipit, & consecrat, peccat mortaliter. pag. 150. nu. 17. & 18.

Sacerdos qui assumit materiam triticeam cum ordeacea, probabiliter non consecrat. pag. 164. num. 7.

Verba formæ Sacramenti Eucharistiæ sunt demonstratiua, vnde monstrant totum, quod præsens habent, non sic verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ. pag. ead. num. eodem.

Qui Eucharistiam sumit in Paschate principaliter, vt non sit interdictus, & præcepto satisfacit, & nullam committit culpã. pag. 179. num. 6.

Sanguis Christi in Sacramẽto Eucharistiæ ita est pars, vt sit verum Sacramentum secundum essentiam. pag. 184. nu. 17.

Qui semel præcepto cõmunionis satisfecit, si in parte sit vbi Pascha nõ celebratur iuxta Kalendariũ Gregorianũ, vti fit in aliquibus partibus Germaniæ, non tenetur iterũ ad præceptum communionis. pag. 251. num. 1.

Examinatores.

Examinatores synodales, qui aliquid accipiunt ab examinandis, non tenentur beneficia resignare ante sententiam declaratoriam criminis, sicut non examinandi talia munera largientes; & Concil. Trid. quod oppositum expressè videtur dicere, loquitur in foro fori, non verò in foro conscientiæ. pag. 288. num. 52.

Concilium Trid. priuans examinatores simoniam in examine committentes beneficijs quomodocunque ante obtentis intelligitur post sententiam declaratoriam criminis. pag. 289. num. 54.

Excommunicatio, & excommunicatus.

Cũ excõmunicato tolerato licita est omnis communicatio. pag. 23. num. 15.

Excommunicatus toleratus ab extrauagãti Martini V. & Concilio Constantiensi non habet posse communicare cum alijs, sed possunt alij communicare cum ipso. pag. 24. num. 18.

Excommunicatus potest alios admittere ad communicandum cum seipso, nõ è contra. pag. 24. num. 18.

Excommunicatus toleratus ante denunciationẽ non amittit iurisdictionem, sed tantum impeditur, & ea vti potest ad petitionem aliorum. pag. 24. num. 20.

Moniales admittẽtes intra Claustra ad malum finem seculares, sine prætextu licẽtiæ inualidè ab Episcopo obtentæ non sunt excommunicatæ excommunicatione Papæ reseruata. Secus dicendum est si cum tali licentia inualidè, etc. pag. 63. à nu. 1.

Moniales admittentes ad Claustra seculares sine præsumptione, sed vel ex ignorãtia etiam crassa, vel ex inaduertentia, vel per obliuionẽ etiam sub prætextu licẽtiæ ab Episcopo inualidè obtentæ, non incidũnt in excommunicationem Papæ reseruatam. pag. ead. num. eod.

Moniales admittentes intra Claustra pueros ante vsum rationis nõ sũt excõmunicatæ excommunicatione Papæ reseruata. pag. ead. num. 2.

Excommunicationes non sunt ampliandæ à casu ad casum, etiam si in eo casu sit similis, vel vrgentior ratio. pag. 65. num. 4.

Moniales professæ quæ nubent, & accipientes illas in vxores sunt excommunicati. Scut etiã excõmunicati sũt Religiosi professi, vel in sacris constituti matrimoniũ incuntes. At non sunt excommunicatæ mulie-

Digitized by Google

mulieres seculares, si religioso professo nupserint.pag.ead.num.cod.

Qui concurrit ad delictum pro quo delinquens prius non fuit publicè excommunicatus, non participat in crimine criminoso.pag.65. num.5.

Declarationes Sacræ Congregationis, quod ingredientes, vel admittentes ad claustra ad malum finem, sint excommunicati, vel non constant authenticè, vel non comprehendunt admittentes ad malum finem, vel lõquuntur in absoluẽtibus prætextu licentiæ, non verò in absoluentibus ex opinione probabili.pag.66.num.8.

Nulla adest consuetudo, quod Moniales admittentes intra Claustra ad malum finem sint excommunicatæ.pag.67.num.9.

Qui falsò obtinuit licentiam ab Episcopo, & ingreditur, nõ ex prætextu huius licentiæ ad Claustra Monialium ad malum finem etiam si incidat in excommunicationem à Concil.Trid.latam, non tamen incidit in excommunicationem Motus proprij Gregorij XIII.incip.Vbi gratia, etc. pag.ead.num. 10.

Innocens probatus nocens, & vt talis excõmunicatus, non tenetur se abstinere à cõmunione fidelium, si scandalum absit.pag. 75.num.15.

Nõ põt Superior põcipere sub pœna excõmunicationis, vt quis reuelet proprium delictũ occultum, absolutè; & si possit sub disiunctione, aut .s. vt reuelet, aut incidat in excõmunicationem, non quia se non reuelauit, sed quia facinus cõmisit. pag.276. num.20.

Excommunicatio non requirit actionem hominis positiuam, nec negatiuam, & ideò incurritur ante sententiam. pag. 285. num. 40.

Excommunicatus quando priuatur aliqua iurisdictione, non tenetur se abstinere ab exercitio illius, nisi post sententiam excõmunicationis.pag.285.num.41.

Excommunicatus Iudex, sed non per sententiam, potest alios excommunicare, & potest etiam requisitus Sacramenta ministrare sinè vlla necessitate, & celebrare etiam si non sit Parochus, et detur copia ministrorum.pag.ead.num.eod.

Excommunicati ante sententiam possunt sepeliri in Ecclesia, & qui tales sepeliunt nullam incurrunt censuram. pag. 286. num.43.

Resignatio beneficij facta ab excommunicato tolerato valet. Sicut facta ab alio ipsi excommmunicato tolerato. pag. 286. num.45.

Acta iudicis excommunicati tolerati valent. Sicut & Tabellionis.pag.286.n.45. & pag.287. nu. 46.

Iudicẽ excommunicatũ toleratum peccare mortaliter exercendo suam iurisdictionẽ putat Coninch; venialiter tantum, putat Caietanus. pag.ead.num.45.

Tabellio excommunicatus toleratus si rogatus acta conficiat, nullum committit peccatum. pag.287.num.46.

Licitum est communicare cum excommunicato tolerato, ac si excommunicatus non esset, & ideò sine vlla necessitate, & sine maiori vtilitate possumus ab eo Sacramẽta petere.pag.ead.num.eod.

Excommunicatus ob publicam percussionem Clerici non est vitandus vsque ad sententiam declaratoriam iudicis, quod illo nullo remedio iuris excusari possit. pag. 287.num.47.

Vide examinatores. Simoniacus.

Non est excommunicatus ex vi Canonis, Si quis suadente, &c. sed ex cap. quanta de setent. excomm. qui dolo non impedit percussionem Clerici.pag.319.num.11.

F

Fama.

QVi seipsum infamat non peccat contra iustitiam, cum sit Dominus propriæ famæ, nec peccat contra caritatem sui, quia charitas non obligat hominem ad conseruationem bonorum huius vitæ, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia.pag.162.num.6.

Falsum.

Appellare scrupulum, quod est manifestè falsum, est periculosum. pag.137.num. 25.

Fe--

Digitized by Google

Festum, vide dies.

Fictio, vide Peccatum fictionis.

Fictio est simulatio externa, quum quis non gerit in pectore, quod opere externo demõstrat. pag. 117. num. 1.

Fides.

Nemo tenetur reddere de fide certam suam salutem. pag. 228. num. 10.

Sicut est de fide contritionem iustificare impium, ita est de fide Sacramentum conferre gratiam iustificantem. pag. 229. num. 16.

Non est de fide, quod actus à me elicitus sit contritionis, & si sit de fide, quod cõtritio iustificet. pag. ead. num. 17.

In ijs, quæ ad fidem spectant, non est attendenda consuetudo, nec consensus communis regionum. pag. 270. num. 15.

Filius.

Genitus in naturalibus ad hoc, vt dicatur filius, debet procedere similis in natura generantis: at vt dicatur filius in spiritualibus sufficit si procedat similis virtuti causæ instrumentalis generantis. pag. 62. num. 19.

Filius familias, qui matrimonium clandestine contraxit in Regno Hyspaniæ, non tenetur deponere hæreditatem Patris vsque ad sententiam declaratoriam contractionis matrimonij. pag. 4. nu. 14.

Alexander Imperator lumine naturæ ductus prohibuit ne filij ducerent concubinas parentum. pag. 92. num. 6.

Quod filius, & pater ingrediantur ad eandem puellam fornicandi causa, maximũ scelus est, & hoc non ratione incestus, sed ratione scandali. pag. 93. num. 7.

Amor filiorum in patrem naturaliter inclinat vt eos ament & reuereantur eos, qui sunt, quodammodo vnum cum patre. pag. 95. num. 15.

Filius hæretici conscius delicti patris accipere potest hæreditatem siue ex testamento, siue ab intestato. pag. 280. num. 31.

Filius qui habuit pro pœnitentia à confessario, vt tribuat elecmosynam pauperi, potest illam dare patri indigenti, cui ipse filius tenetur alimenta præstare. pag. 96. num. 1.

Filius tenetur alimẽta præstare patri ex virtute pietatis. pag. ead. num. 2.

Filius non tenetur præstare alimenta patri, quando hic habet, vnde viuat. pag. eadem num. 3.

Ratio formalis obligans filium ad alimenta præstanda patri, est paupertas in patre. pag. ead. num. eod.

Filius tenetur præstare alimenta patri ex debito legali, sed ratione paupertatis patris. pag. 98. num. 10.

Finis.

Media sapiunt naturam finis. pag. 37. num. 10.

Quando finis legis cessat priuatiuè tantum in aliquo casu speciali, non cessat obligatio legis. pag. 70. num. 4.

Finis legis à fine operantis differt, nam potest operans per actionem peccaminosam legi satisfacere. pag. 72. num. 9.

Forensis.

Forenses qui deducunt vxores pregnantes Neapelim ad pariendum, vt filij nascituri gaudeant priuilegijs Neapolitanorum, non peccant. pag. 272. num. 20.

Forma.

Forma in moralibus dicitur id quod determinat, quod verò determinatur dicitur materia. pag. 147. num. 3.

Noua forma facit nouum compositum. pag. ead. num. 4.

Fornicatio.

Malitia fornicationis est damnum prolis. pag. 172. num. 17.

Malitia simplicis fornicationis differt specie à malitia tactus libidinosi non ordinati ad simplicem fornicationem. pag. ead. num. 18.

Forum.

Forum fori respicit physicum peccati, forum conscientiæ respicit voluntatem in peccando. pag. 232. num. 4.

Fraus.

Supponere contractum pro contractu est cõmittere fraudem. pag. 207. num. 20.

Fraus manifesta est vis, & metus. pag. ead. num. 21.

Digitized by Google

Fraudem committit emptor chirographorum exactionis Regiæ, quoties pactum emittit cum gabellario, vt facilius exigat . pag. ead.num.22.

Fructus.

Fructus perceptos è beneficio obtẽto per simoniam non potest simoniacus retinere.pag. 33.num.17.

Fundator

Fũdatori Ecclesiarũ, qui cæpit egere, debẽtur alimenta ab ijsdem Ecclesij.pag.60.n.14.

Iudæus fundator Ecclesiæ non habet ius patronatus.pag.ead.num.15.

Fur. Furtum.

Si sit lata excõmunicatio cõtra furantẽ, & fur venit in excõmunicãtis ditionẽ ad furandum sciens excommunicationem ipso facto incurrendam, verè est excommunicatus, licet non sit subditus.pag.11.nu.12.

Qui furatur villico panem diurnum, & si valoris dimidij caroleni, peccat mortaliter. pag.81.num.9.

Qui furatur mille aureos eiusdem domini vnico furto, vnum tantum peccatum committit, quia vnum est inuolũtarium. pag. 169.num.9.

Furtum & rapina differunt specie, quia inuoluntarium rapinæ, quæ fit per violentiã, differt specie ab inuoluntario furti, quod fit occultè, & per astutiam.pag.170.n.12.

Fur qui furtum commisit notabilis quantitatis si confitetur se commisisse furtum de decem carolenis, non confitetur furtum à se commissum, & ideò nullam facit confessionem.pag.176.num.12.

Qui furtum non impedit, non dicitur fur. ita & qui homicidium non impedit, non dicitur homicida.pag.319.num.11.

G

Gabella, vide vectigalia.

Quando ratio impositionis gabellæ sunt duæ æquales necessitates si cessat vna necessitas, cessat obligatio gabellæ pro medietate.pag.72.num.10.

Gabellas opinabiliter iustas nemo tenetur soluere, quia sunt etiã opinabiliter iniustæ, & cuique licitum est sequi opinionem probabilem.pag.229.num.1.

Gabellas dubiè iustas nemo tenetur soluere, quia sunt regulariter iniustæ, & ideò si eius iustitia non constet, non tenemur soluere.pag.ead.num.3.

Vide Impositiones, Clericus.

Gabellarius.

Gabellarius, seù publicanus est procurator Regis quatenus exigit datia à subditis, quamuis se obligauit dare Fisco certam mercedem, vt ipse incerta datia exigat. Dicitur verò mãdatarius quatenus habet in commissis, vt pecuniam exactam distribuat inter assignatarios.pag.201. num.3.

Gabellarijs Regis in Regno Neapolitano præcipitur per litteras Regis, vt exactum, seù ab ipsis debitum diuidatur ad proportionẽ, seù per æs, & libram.pag. 202.num.4.

Gabellarius in nostro Regno Neapol. habet in commissis à Rege, vt mandato Proregis, quod soluat vni extra mandatum, & non ad æqualitatem, replicet, & recurrat ad commissarium sui arrendimenti, & post secundam ordinationem obediat, sed commissarius tenetur de hoc certiorare Regẽ. pag.205.num.13.

Assignatarij arrendimentorum, ideò vendunt chirographa in hoc nostro Regno Neapol. quia timent iniustam, & totalem exclusionem à deposito per gabellarium. pag.207.num.21.

Quoties emptor chirographorum pactum emittit cum gabellario, vt facilius exigat, fraudem committit.pag.ead.num.22.

Quoties gabellarij chirographa exactionis Regis emunt, vis interuenit in tali venditione. pag.ead.num.23.

Gabellarij, emendo chirographa exactionis Regis causant vilitatem, & difficilem exactionem horum chirographorum. pag. ead.num.eod.

Gabellarius tenetur soluere ad ratam debiti, totum exactum nomine regis omnibus assignatarijs, etiam si de hoc litteræ regiæ nũ extarẽt. & aliter faciendo operatur contra iustitiam.pag.208.num.26.

Emptor chirographorũ, inducẽdo Gabellariũ ad soluẽdũ integrũ debitũ contẽtũ in chirographo, facit cõtra iustitiã, & ideò tenẽtur insolidũ ad restitutionẽ.pa.ead.n.eod.

Generatio, generans, genitus.

In generatione humana q generat est principalis agẽs, in generatione spirituali qui

Digitized by Google

regenerat est instrumentalis agens. pag. 60. num. 11.

Cum nō sit absurdū, vt qui sine vita spirituali est, generet spiritualiter, neque erit absurdum, vt dicatur Pater spiritualis. pag. 62. num. 18.

Genitus in naturalibus, vt dicatur filius debet procedere similis in natura generanti; at vt dicatur filius in spiritualibus sufficit si procedat similis virtuti causæ instrumentalis generantis. pag. 62 num. 19.

Gratia.

Et si deperdatur gratia baptismalis, nō tamē deletur character à baptismo impressus. pag. 58. num. 2. & 7.

Obex gratiæ cōsistit in carētia actus odij, quo quis auertitur à peccatis. pag. 118. nu. 4.

Absurdum est dicere falsitatem per se significare, & producere gratiam Sacramentalem. pag. 133. num. 9.

Faciēti q in se est p diuinā gratiā, Deus nō denegat gratiā, nō verò facienti q in se est viribus naturæ. pag. 136. num. 21.

Gratia suscipit maiorē, et minorē intensionē. pag. 158. num. 20.

H

Hæres, Hæreditas.

Hæres qui non confecit inuentarium, in conscientia non tenetur de proprio vltra vires hæreditatis. pag. 75. nu. 15.

Hæres extraneus institutus in testamento minus solemni si hæreditatem adeat, nullo modo est tutus in conscientia. pag. 76. num. 18.

Hæredi extraneo instituto in testamento minus solemni lex ciuilis positiuè resistit. pag. ead. num. 19.

Si hæres extraneus institutus in testamento confecto sine solemnitatibus esset tutus in conscientia, non posset Iudex spoliare hunc hæredem hæreditate taliter relicta, & illā tribuere hæredibus venientibus ab intestato. pag. ead. num. eod.

Hæres, qui habet testes deponētes volūtatem testatoris si faciat oppositū, dici non potest, quod sit in bona fide. pag. 77. num. 20.

Vide Inuentarium.

Hæres tenetur renunciare hæreditati nō ferēti onus missarū, vel ad Pontificē recurrere pro reformatione, seù moderatione. pag. 199. num. 16.

Hæres hæretici pōt accipere hereditatē, etiāsi cōscius sit delicti testatoris. pa. 280. n. 31.

Hæreticus.

Magis dicitur mortuus hæreticus, quā gentilis, qa ille fuit aliquāda viuēs; hic verò nunquam. pag. 59. num. 10.

Hæreticus ante sentētiā declararoriā criminis, nullū ius amittit in propriis bonis, & ideò pōt de illis disponere, ac si bona confiscata non essent. pag. 280. n. 29. & si de bonis cōfiscatis disponit, nō peccat. pag. 280. num. 30. & 33.

Hæretici filius pōt accipere hæreditatē patris siuè ex testamento, siuè ab intestato, etiā si cōscius sit delicti patris. pag. 280. nu. 31.

Hæreticorum Germaniæ, & aliorum locorum bona sunt à die cōmissi criminis confiscata. pag. 281. num. 32.

Hæretici notorij, non dū denunciati possunt sepeliri in Ecclesia, nec locus sacer violatur per talē sepulturam. pag. 286. nu. 44.

Homicida.

Qui vnico ictu duos homines occidit, duo committit peccata ambo confitenda. pag. 168. num. 4. & pag. 169. num. 9.

Nec potest dici, quod sit vnicum peccatum, quia hæc vnitas non potest prouenire ab vnitate actus voluntatis, nec ab vnitate temporis, quia hæ vnitates sufficiunt ad multiplicationem specificam, ergo à fortiori ad numericam; Si enim iste haberet voluntatem illo vnico ictu, & simul tempore occidendi clericum, & secularem, duo faceret peccata specie diuersa. pag. 169. num. 8.

Qui habet animum occidendi totam familiam, vnum tantum peccatum committit, tùm quia vt vna, & sub vnica ratione formali apprehenditur, tùm quia peccatum in proximum habet malitiam ex deordinatione voluntatis, & ex detrimento, quod alteri infertur. Quando quis desiderat tantum occidere, habet primam quæ vnica est, & non secundam, quæ multiplicatur ad multiplicationem obiectorum pag. 170. num. 10.

Qui vult occidere totam familiam, vult occidere indiuidua determinata, et finita. pag. cad. num. 11.

Qui sumit arma, exit domo, & equitat ad finē occidēdi, & si facit tres actiones, vnū tan-

Digitized by Google

tantum peccatum committit, nam hæ actiones nullam propriam malitiam sumunt ab vnico obiecto. pag.171.num.14.

Homo.

Homo liber habet ius suprà proprios actus liberos, quos videt esse honestos, magis quã dominus præsumptus suprà bona à se possessa. pag.42.num.7.

Libertas hominis est à natura. pag.ead.nu. eodem.

Homo, qui seipsum occidit, facit contra Deũ, contra seipsum, & contra rempublicam. pag.43.num.8.

Homo, qui tuetur propriam vitam, satisfacit religioni, iustitiæ, & pietati. pag.ead. num.9.

Homo habet liberam dispositionem de actibus humanis à lege nõ prohibitis. pag.44. num.14.

Homo non vt ciuis, sed vt indiuiduum habet nonnullos actus ad sui dispositionem, in quibus potest se submittere voluntati alterius, & se debitorem constituere, & in his alteri ius præbere. pag.226.num.8.

Horæ Canonicę.

Beneficiatus qui non recitat horas canonicas si habet alia onera spiritualia, non tenetur ad restitutionem de omnibus fructibus, sed potest sibi retinere iuxta onerũ proportionem. Imò secundum Henriquez etiam simplex beneficiatus potest sibi retinere de fructibus beneficij, sed minus quã Parochus, & Canonicus. pag.284.nu.38. Grossam acquisitam, etiã si horas Canonicas non recitet, non tenetur Canonicus restituere. pag.284. num.39.

Hypotheca.

Actio hypothecaria anteponitur actioni personali. pag.35. num.2. & 8. & 11.

Actio hypothecaria sequitur rem ipsam, personalis vero sequitur personam, & ex pẽrsona rem. pag.ead.num.eod.

In bonis hypothecatis semper cõpetit actio creditori hypothecario anteriori, si sint alienata siuè bona, siuè mala fide. pag.44. num.16.

I

Ieiunium.

Laborantes sunt excusati à præcepto ieiunij etiam diebus festiuis non solum ob defatigationem præcedentis diei, sed ob necessitatem ad laborandum die sequenti. pag.254.num.2.

Nõ eximit à ieiunio volũtas obtinendi priuilegium, vel existendi in loco priuilegiato. pag.ead.num.eod.

Et ideò existens in loco vbi ieiunatur etiã si certò sciat se discessurum ab illo loco eodẽ die, & peruenturũ ad locum vbi non ieiunatur; non potest mane ex professo comedere. pag.253.num.1. & 254. num.3. & pag.256.nu.8.

Quando præceptum ieiunij potest sibi vendicare integrum diem, tũc vrget. pag.ead. num.4.

Qui mutat locum vbi præceptum ieiunij vrget, nõ tenetur ad ieiunium, eo quod præceptum ieiunij non vrget in loco acquisito, nõ verò quia præceptũ ieiunij nõ vendicat sibi integrum diem. pag.ead. num. eodem.

Præceptum ieiunij dicit duo, nempè abstinentia à carnibus, & à pluribus comestionibus. pag.255.num.6. Et ideò qui absoluitur ab vnica comestione, non absoluitur adæquatè à præcepto ieiunij. pag. ead.num.7. Sicut nec qui absoluctur in futurum ab vnica comistione, absoluitur nunc de præsenti à præcepto ieiunij. pag. ead.num.eod.

Qui ieiunat ob vanam gloriam, præcepto ieiunij satisfacit. pag.72.num.9.

Qui defatigatur, vel cibum venenosum sumit, vt non ieiunet, non peccat contra præceptum ieiunij, quia quærit fugam seù exemptionem à præcepto, non fractionẽ præcepti. pag.235.num.1.

Qui aliò pergit ad finem non ieiunandi die quo ieiunatur, non facit contra ieiunium. pag.235.num.3.

Etiam si ieiunium conduceret ad salutem infirmi, non tenetur ad præceptum ieiunij, quia exemptatur in actu primo à lege. pag.236.num.5.

Digitized by Google

Qui eadem die ieiunij pharmacum sumit, vel defatigatur, vt non ieiunet, nõ peccat contra præceptum ieiunij . pag. 239. num. 1.

Licitum est die ieiunij exigere opus seruile ab illo, qui ratione talis operis non ieiunat. pag. 247. num. 8.

Qui mane fuit in loco à ieiunio exempto, si perueniat ad locum domicilij, vbi ieiunium seruatur, & sit ieiunus, tenetur seruare ieiunij reliqua parte diei. pag. 248. num. 1.

Ignorans mane diem ieiunij, si cũ tali ignorantia ieiunium fregit, amplius non tenetur ad ieiunium illius dici, quia est iam impossibilitata materia. pag. 249. num. 2.

Materia ieiunij est indiuidua, vnde si frangatur partialiter, redditur impossibilis ad obseruandum. pag. ead. num. 3.

Sicut qui est in loco exempto à ieiunio potest licitè ieiunium frangere, ita & qui ignorat diem ieiunij: & sicut qui in loco exempto ieiunium fregit, non tenetur ieiunare, ita & qui ignoranter comedit. pag. ead. num. 4.

Præceptum ieiunij est negatiuum secũdum Ioannem Sanchez, & ideò diuisionem admittit. pag. ead. num. 5.

Qui fuit in loco exempto à præcepto ieiunij, & nunc non est, potuit tunc ieiunium frãgere, sed nunc non potest. pag. 250. num. 6.

Præceptum ieiunij obligat ad totum diem in ordine ad locum quem per se primo afficit. pag. 250. num. 7. & 10.

Qui mane ignoranter ieiunium fregit, amplius non tenetur ieiunare. pag. eadem num. 8.

Qui die ieiunij voluntariè semel cibum sumit, vnum peccatum committit, etiam si pluries eodem die cibum sumat. pag. ead. num. 9.

Ieiunij præceptum obligat per se primo communitatem, & in ordine ad communitatẽ assumit sibi totum integrum diem pro mẽsura abstinentiæ à se iniunctæ. pag. ead. num. 10.

Ciuis tenetur ad ieiunij præceptum, vt pars communitatis obligatæ ad tale præceptũ, non vt indiuiduum, & independens à Ciuitate. pag. ead. num. eod. & pag. 251. nu. 1. & pag. 253. num. 6.

Qui præcepto ieiunij semel in vno loco satisfecit, tenetur altera die iterum ieiunare, si in locum discessit vbi ieiunatur ob eandem causam. pag. 251. nu. 1.

Potest quis in vigilia S. Bartholomæi licitè non ieiunare, si quando celebratur Beneuenti, Neapolim petat, & quando celebratur Neapoli, Beneuentum proficiscatur. pag. 252. num. 2.

Præceptum ieiunij obligat Ciuitates semel in anno; at ciues, vt personas indiuiduas nec semel, nec vnquam. pag. ead. nu. 5.

Præceptum ieiunij & si à iure communi tamen obligat in ordine ad cõsuetudinem loci, vnde per se afficit locum, & non personas. pag. 253. num. 6.

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis dicitur quis laborare, quando facta morali diligentia remanet dubius, licet veritas non innotescat. pag. 15. num. 5.

Ignorantia inuincibilis dicitur illa, quæ nulla diligentia vinci potest. pag. 15. num. 5. & pag. 32. num. 12.

Ignorantia inducit inuoluntarium. pag. 236. num. 5.

Ignorantia inuincibili concomitans, & antecedens excusat à culpa. pag. 317. nu. 1.

Datur ignorantia inuincibilis de præcepto naturali vestito aliqua circumstantia. pag. ead. num. 2.

Dicitur quis laborare ignorantia inuincibili, quãdo nec notitiam, nec dubietatem, nec scrupulum habet de aliqua re. pag. ead. num. 3.

Ignorantem inuincibiliter non obligat iustitia ad suos actus. pag. ead. num. 4.

Agere ignoranter idem est, ac agere bona fide. pag. ead. num. eod.

Impositiones.

Impositiones, quæ non apparent concessæ ab Imperatore, vel Rege, vel Lateranẽsi Concilio, vel Consuetudine sunt dãnatæ de iure Canonico. Exactiones verò damnatæ de iure ciuili sũt, quæ imponuntur sine auctoritate Principis. pag. 303. n. 22.

Incestuosus, incestus.

Incestuosus secundum Simancam in foro con-

Digitized by Google

conſcientiæ non amittit ius petendi debitum, niſi poſt ſententiam. pag. 277. nu. 21.

Amittere ius petendi ratione inceſtus non eſt pœna, ſed conſurgit à reuerentia debita illi, cum qua quis factus eſt vna caro. pag. ead. num. 22.

Inceſtuoſus ſi non ſeminat in vaſe naturali, non amittit ius petendi. pag. eadem num. 23.

Qui inceſtum ſpiritualem committit non amittit ius petendi. pag. ead. num. eodem.

Non tam oritur ex inceſtu, quàm ex affinitate ab inceſtu orta impedimentum petendi debitum. pag. ead. num. eod.

Qui inceſtum ignoranter, vel per vim cõmittit, non amittit ius petendi debitum ex indulgentia iuris, & ſi affinitatem contrahat. pag. 278. num. 24.

Sic etiam qui filium baptizat, ſiuè malitiosè, ſiuè ignoranter hoc agat. pag. eadem num. 25.

Infans, vide Puer.

Infantes non habentes vſum rationis comparantur furioſis, & dormientibus, non verò ſi vſum rationis habent. pag. 261. num. 1.

Infantes excipiuntur ab irregularitate in Clement. ſi furioſus, non reſpectu ætatis, ſed ratione diſcurſus, ſcilicet vſus rationis. pag. ead. num. 3. Et ideò hæc exemptio non teneritudini ætatis, ſed carentiæ rationis conceſſa eſt. pag. 262. num. 5.

Infans ſecundum ætatem, & non ſecundum diſcurſus, dicitur materialiter infans, & formaliter impubes. pag. 161. num. 3.

Infidelis.

Infidelis qui baptizat filium fidelis contrahit affinitatem ſpiritualem, & non poteſt contrahere matrimonium, cum matre infantis à ſe baptizati. pag. 57. num. 1.

Infidelis ſuſceptor non contrahit affinitatem ſpiritualem. pag. 58. num. 2.

Infidelis ſi baptizat, regenerat ad gratiam, et imprimit characterem in anima baptizati, & hæc regeneratio perſeuerat etiam poſtquam infidelis venit ad fidem. pag. 58. num. 7.

Infidelis qui cognouit Bertam Chriſtianam per copulam illicitam, ſi ad fidem peruenit non poteſt contrahere matrimoniũ cum ſorore Bertæ in primo, & ſecundo gradu. pag. 59. num. 8.

Fidelis baptizans filium mulieris infidelis non poteſt contrahere matrimonium cum hac, ſi ad fidem peruenit. pag. num. 59. num. 9.

Infidelis baptizans, & ſi regeneret ad Chriſtum, tamen non habet iuriſdictionem ſpiritualem in baptizatum. pag. eadem num. eod.

Infidelis non eſt incapax cognationis ſpiritualis, cum hæc conſiſtat in aliquo phyſico, & ſi ſit incapax iuriſdictionis ſpiritualis, quæ in aliquo morali conſiſtit. Nec poteſt dominari in Eccleſia. Nec poteſt habere ſeruum chriſtianum. Nec poteſt eſſe tutor pupilli chriſtiani, nec habet ius patriæ poteſtatis in filium, ſi filius ſit chriſtianus. Nec habet ius in vxorem chriſtianam. pag. 61. num. 15.

Infidelis fundator Eccleſiæ non habet ius patronatus, & ſi teneatur ipſam Eccleſiã dotare. pag. 60. num. 15.

Quando infidelis baptizat, tunc habetur fundamentum impedimenti cognationis ſpiritualis: at impedimentum ipſum habetur poſtquam infidelis ad baptiſmum peruenit. pag. ead. num. 17.

Infidelis poſtquam venit ad fidem, etiam ſi velit, non poteſt iudicari de peccatis cõmiſſis tempore infidelitatis in Sacramento Pœnitentiæ. pag. 109. num. 5.

Actus contritionis elicitus ab infideli tempore infidelitatis dicit implicitè Sacramẽtum baptiſmi, & non Sacramentum Pœnitentiæ. pag. 114. num. 6.

Infidelis recognoſcitur ab Eccleſia de delicto cõmiſſo contra Eccleſiã ipſam ad finẽ puniendi, & ſi ipſum recognoſcere non poſſit in Sacramento Pœnitentiæ ad finem remittendi peccatum illud. pag. 115. nu. 11. & 12.

Licitum eſt præcipere opera ſeruilia infidelibus diebus feſtiuis. pag. 246. num. 1.

Quia opus ſeruile prout pendet ab infideli, non eſt peccaminoſum. pag. ead. num. 2.

Qui trepidat ſeruis infidelibus die feſto opera ſeruilia præcipere, trepidat timore vbi non eſt timor. pag. 248. num. 12.

Dum opus ſeruile præceptũ ſeruo infideli die

Digitized by Google

die festiuo tribuitur domino precipienti, quod non est peccatum tribuitur. pag. ead. num. 11.

Tam comestio carnium infideli precepta tribuitur præcipienti, quàm opus seruile. pag. 247. num. 10.

Licitum est infideli præcipere die ieiunij, vt carnes comedat. pag. ead. num. 9.

Infirmitas. Infirmus.

Infirmus qui amittit vocem post primum peccatum, non tenetur ad integritatem confessionis. pag. 166. num. 5.

Infirmi non excusantur à transgressione legis, sed exemptantur à lege in actu primo, & ideò etiam si inedia conduceret ad eorum salutem, non tenentur ad præceptum ieiunij. pag. 236. num. 5. Excusantur enim sicut infideles à legibus Ecclesiasticis, & pueri ab onere legis ante vsum rationis. pag. 237. num. 7.

Infirmitas sicut debilitas sunt causæ excusantes à lege, & non impedimenta legis. pag. 239. num. 2. & pag. 264. num. 4.

Instaallatio.

Installatio seù possessio non est de essentia iurisdictionis. pag. 7. num. 7.

Installatio est de solemnitate iurisdictionis. pag. ead. num. eod.

Installatio dicitur exequutio sententiæ definitiuæ. pag. ead. num. eod.

Intentio.

Intentio dicitur adfuisse, quando sumus certi de actione, & dubitamus de intentione. pag. 15. num. 3.

Intentionis signa sunt verba, cum nemo præsupponatur dicere, quod in corde non habet. pag. 15. num. 3.

Interesse.

Interesse debentur creditori ex mora, cum certa die, si mora est huic causa damni, secus si mora nullum dānum infert. pag. 35. num. 1. 5. & 6.

Interesse ex mora non consurgit à natura mutui, sed à noua actione. pag. ead. num. eodem.

Interesse idem est, ac quantum mea interest, seù quantum mihi abest de meo patrimonio. pag. ead. num. 1. & 3.

Interesse non conuentū, quod debetur ratione morę in mutuo, debetur à die petitionis, sicut in alijs cōtractibus stricti iuris. pag. 36. num. 5.

Interesse in mutuo si sit cōuentum habet anterioritatem capitalis, secus verò dicendum est, si conuentum non sit. pag. 37. num. 9.

Inuentarium.

Hæres, qui non confecit inuentarium in conscientia, non tenetur de proprio vltrà vires hæreditatis. pag. 75. num. 15.

Mala obuenientia hæreditati aditæ cum beneficio legis, & inuentarij, hæreditati, et non hæredi obueniunt. pag. 196. num. 5.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij, neque lucrum, neque damnum reportare debet ex tali hæreditate. pag. ead. num. eod.

Inuentarium iura hæredis, & testatoris separat, & non confundit. pag. ead. nu. 6.

Inuentarium constituit hæredem quoad dānum euitandum, ac si nunquā hæres fuisset. pag. ead. num. eod.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij reputatur vt purus administrator, seù executor. pag. ead. num. 7.

Hæreditas adita cum beneficio legis, & inuentarij dicitur iacens. pag. eadem num. 8.

Irregularitas.

Irregularitas ex homicidio est inhabilitas ad ordines; vel in pœnam delicti; vel est firma, & indubitata responsio iuris, quæ sententia dicitur. pag. 15. num. 2.

Irregularitas nūquam præsupponitur, nisi sit expressa in iure. pag. 15. num. 2.

Quando per verba illa apposita in cōcessione Teque à quibusuis, &c. *Pontifex non intelligit dispensare irregularitatibus, sēper suam explicat voluntatem. pag. 16. num. 10.*

Irregularitas est pœna, vel sententia impediens, & ligans ne exerceantur officia Ecclesiastica. pag. 17. nu. 12.

Irregularitas soluitur per verbum Dispenso, et verbū Absoluo tā irregularitati, quam censuris adaptatur. pag. 17. num. eod.

Irregularitas venit nomine pœnæ, vel sententiæ. pag. 77. num. eod.

Irregularitati ex homicidio nūquā intelligitur dispēsatū, nisi exprimatur, q de cogni-

ta

Digitized by Google

ta à supplicante intelligitur, & hic est stylus Curiæ.pag.17.num.13.

Irregularitas non expressa, quia non cognita fingitur à Pontifice esse expressa ad finem conualidandi ordinem susceptum.pag.17. num.13.

Irregularitas nullam habet in iure formam dispensationis, & sic sufficit tantum signũ externum significans voluntatem dispensantis.pag.17.num.14.

Si quis dispensationem in irregularitate ad cautelam petit, si postea aduertit contraxisse irregularitatem, non indiget noua dispensatione.pag.17.num.16.

Qui dubitat de irregularitate post factam diligentiam cum consilio viri docti potest practicè deponere dubium, & se gerere vti non irregularem.pag.18.num.20.

Habens opinionem se non esse irregularem etiam si sit opinio probabilis opposita, potest suam seqni opinionem.pag.18.num.21.

Irregularitas, quæ non oritur ex delicto non est pœna, sed inhabilitas.pag.220.nu.7.

Irregularitatẽ cõtrahit puer cui acceleratus est vsus rationis, si homicidium committat.pag.261.num.1.

Sufficit si in iure explicetur delictum, per quod incurritur irregularitas, ætas verò, &c. non est necesse, vt exprimantur. pag.ead.num.2.

Vide Ius.

Dubium iuris nullam inducit irregularitatem, & ideò qui hoc dubio laborat non est censendus irregularis.pag.318.nu.6.

Irregularitas oritur à iure tanquam à causa efficiente.pag.ead.num.eod.

Pœna irregularitatis est infligenda ab ipso irregulari sibimet, vnde irregularis est reus, & executor pœnæ.pag.ead.n.eod.

Pater naturalis non est irregularis si abortum nõ impedit, dum inuincibiliter ignorat, se teneri impedire.pag.ead.nu.7.

Qui omittit actum debitum ex iustitia, si ex tali omissione sequitur homicidium, fit irregularis.pag.318.num.8.

In dubio homicidij semper supponitur irregularitas, quando subiectũ est capax mortis. Secus dicendum est, quando dubitamus de capacitate mortis subiecti. pag. 320.num.17.

Irregularitas ex homicidio semper supponit peccatum lætale.pag.ead.num.19.

Irregularitas ex defectu lenitatis non datur, nisi homicidium sit per se volitum. pag. ead.num.eod.

Desiderium homicidij non inducit irregularitatem.pag.321.nuu.20.

Iudæus.

Iudæus baptizans verè baptizat. pag. 59. num.19.

Iudæus fundator Ecclesiæ non habet iuspatronatus, & si teneatur ipsam Ecclesiam dotare.pag.60.num.15.

Iudæus tenetur dotare filiam christianam. pag.ead.num.eod.

Iudæus baptizans, & si verè regeneret ad Christum, tamen non habet iurisdictionẽ spiritualem in baptizatum. pag.eadem num.eod.

Iudæus non est incapax cognationis spiritualis, cum hæc cõsistat in aliquo physico, & si sit incapax iurisdictionis spiritualis, quæ in aliquo morali consistit. Nec potest dominari in Ecclesia. Nec potest habere seruum christianum. Nec potest esse tutor pupilli christiani. Nec habet ius patriæ potestatis in filium, si filius sit christianus. Nec habet ius in vxorem christianam.pag.61.nu.15.

Iudicium.

Iudicium est nullum latum contra absentem iure diuino, & humano.pag.10.num.7.

Iudicium humanum non requirit dolorẽ in reo, sicut iudicium sacramẽtale.pag.137. num.24.

Nec sententia iudicij humani informat confessionem rei, sicut informat sententia sacramentalis.pag.ead.nu.eod.

Iudicium humanum est ad punitionem tantum, iudicium sacramentale est etiam ad reconciliationem. pag.eadem num.eod.

Iudex.

Reus non tenetur respondere Iudici interroganti ad finem puniendi, etiam si delictũ sit semiplene probatum.pag.10.num.4.

Iudex non potest condemnare reum inauditũ. pag.10.num.5.

Iudex non dicitur habere potestatem imbecillem

Digitized by Google

eillem, si nõ potest punire reum ob fugam; sed diceretur potestas imbecillis, quando esset reus in loco suæ iurisdictionis, & illũ punire non posset. pag. 12. num. 13.

Iudex tenetur interrogare reum de socijs, quando delictum non potest committi sine socijs, vel est contra bonum publicum. pag. 38. num. 1.

Assassinus conuictus, & à Iudice interrogatus non potest excusare complices. pag. 39. num. 5.

Nec Iudex, nec carnifex tenentur ad restitutionem qui delinquentem occidunt, quia faciunt, quod debẽt. pag. 43. num. 9.

Prauа intentio Iudicis non vitiat sententiam iustam. pag. 70. num. 2.

Iudices seculares dati sunt ad finiendas lites, & ad publicam vindictam. pag. 112. num. 16.

Post factam à Iudice diligentiam, reus in foro fori recipit verã absolutionem. pag. 136. num. 23.

Qui recurrit ad Iudicem, quãdo potest aliquid propria auctoritate facere, si Iudex executionem impedit, illud amplius facere non potest. pag. 198. num. 12.

Iudex non potest punire reum sequentem opinionem probabilem contra opinionem ipsiusmet iudicis. pag. 219. num. 1.

Iudex potest punire culpam, & non opinionẽ probabilem. pag. ead. num. 2.

Iudex huius ditionis non potest punire peregrinos delinquentes in alia ditione. pag. 272. num. 21.

Iudici interroganti de delicto omnino occulto, reus non tenetur respondere. pag. 276. num. 15.

Interrogatio Iudicis de delicto omninò occulto est interrogatio omninò iniusta, & sic punitio eiusdem delicti. pag. ead. num. 16.

Iudex excõmunicatus toleratus potest alios excommunicare. pag. 285. num. 40.

Iudicis acta excommunicati tolerati valent. pag. 286. num. 45.

Iurisdictio.

Iurisdictio est facultas alicuius habentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem. pag. 226. num. 10.

Ius.

Ius capiendi feras retinentes propriam libertatem est à iure gentium. pag. 305. num. 2.

Ius apparens, vel simile non potest inducere irregularitatem. pag. 318. num. 6.

Vide irregularitas.

Ius & debitum sunt correlatiua, & simul natura, & resultant ex iusto titulo. pag. 226. num. 6.

Ius quod emit conductor locorum piscium, vel ferarum retinentium suam libertatem consistit tantum in hoc, quod possit venari, vel piscari in tali loco impunè. pag. 305. num. 2. Et conductor horum locorum nullum habet ius ad animalia retinentia propriam libertatem. pag. ead. num. eodem.

Qui vtitur iure suo, dolo malo non videtur agere. pag. 37. n. 10. Etiam si ex tali vsu sequatur damnum alteri. pag. 51. n. 19.

Iustitia.

Qui credit auferre bona aliena, & aufert sua, facit formaliter contra iustitiam, & si ad nullam teneatur restitutionem ex defectu materiæ. pag. 44. num. 12.

Qui coacte debitum soluit, iustitiæ non satisfacit, & ad nullam aliam restitutionẽ tenetur ex defectu materiæ. pag. eadem num. eod.

In peccatis oppositis iustitiæ ratio malitiæ prouenit ab inuoluntario domini iustè possidentis rem ablatam, etc. pag. 169. nu. 9.

Deordinatio voluntatis in peccatis contra proximum, non est contra iustitiam. pag. 170. num. 10.

Iustitia dubia in lege ex parte subditi obligat subditum ad obseruantiam legis, si subditus sit certus de potestate legislatoris. pag. 110. num. 2.

Iustitia probabilis in lege non sufficit ad simpliciter obligandum subditos. pag. 212. num. 13.

Iustitia probabilis admittit secum iniustitiã probabilem, & ideò potest quis spoliare possessorem re probabiliter iustè possessa. pag. 213. num. 17.

Iustitia in materia damni illati non obligat ad suos actus ignorantem inuincibiliter. pag. 317. n. 4.

Digitized by Google

INDEX.

L

Legatum.

Legatum Ecclesiæ relictum cum onere missarum dicitur relictum ad pias causas. pag. 30. num. 3.

Legatum relictum respectu alicuius personæ, & ad finem permutandi cum aliquo beneficio ante mortem legantis non dicitur pium. pag. 30. num. 4.

Legatum pium ante mortem legantis non est in bonis, nec de bonis Ecclesiæ, sed legantis. pag. 30. num. 5.

Ob legatum non competit actio legatario, nisi post mortem legantis. pag. 30. num. 5.

Legatum factum ad finem permutandi cum aliquo beneficio Ecclesiastico non dicitur pium, nisi post permutationem, quia tunc fit de bonis Ecclesiæ. pag. 31. num. 6.

Ad legatum conditionatum non habet ius legatarius, nisi post adimpletam conditionem: quod est etiam verum respectu legati conditionati ad pias causas quādo sumus certi de voluntate legantis, secus quando non sumus certi. pag. 31. eod. nu. & pag. 33. num. 19.

Legatum conditionatum per mortem legatarij ante mortem legantis, omninò expirat. pag. 33. num. 18.

Legatum factum incertis indiuiduis de certa specie, est validum. Quia non committitur voluntati alterius substantia legati, sed qualitas. pag. 195. num. 1.

Legatū accipit de manu testatoris, & nō heredis legatarius signatus in specie à testatore, & ab hærede electus in indiuiduo. pag. 195. num. 2.

Filia electa in indiuiduo à patre hærede testatoris, et à testatore nominata in specie præter legatum debet habere dotem ab ipso patre. pag. eod. num. 3.

Legatum relictum pauperibus potest expendi in fabrica Ecclesiæ pauperis. pa. 258. n. 6.

Quando legatū est factū ad vsū pium potest dari pauperibus. pag. ead. num. eod.

Si magna fames ingruit, non pōt legatū factū pauperibus expendi pro reparatione fabricæ Ecclesiæ. pag. ead. n. 7. et pag. 259. n. 11.

Legatū p fabrica materiali Ecclesiæ pōt impendi pro paramentis, &c. eiusdem Ecclesiæ. pag. 260. num. 16.

Legatū piū relictū ad certū vsum potest conuerti in alium piū vsum meliorē, quia qui melius facit, non aliud, sed idem facit. pag. ead. num. 17.

Si à Rege legaretur Ciuitas alicui, in hoc legato non includerentur peregrini illius Ciuitatis, quia hi per accidens sunt in Ciuitate illa. pag. 270. num. 14.

Lex Legislator.

Qualibet syllaba & dictio legis non debet esse sine aliquo effectu. pag. 14. num. 3

In lege pœnali, & si sit ratio expressa, et procedat in alium casum, non per hoc pœna ipsa extenditur ad talem casum. pag. 67. num. 11.

Lex fauorabilis extendenda est ad casum similem, non verò ad diuersum. pag. ead. num. 12.

In lege necessariò requiritur bonum commune, vt finis cui, non verò finis cuius. pag. 70. num. 1.

Lex est coordinatio rationis in ordine ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. pag. cad. n. eod.

Bonum commune in lege requisitum non expectatur à Legislatore, nec à subdito, sed in ipsa entitate legis contineri debet. pag. ead. num. 2.

Intētio Legislatoris bona, vel mala est aliquid personale, & ideo legi non officit, si lex habeat alia requisita. pag. ead. nu. cod.

Legislator fert legem tanquā persona publica, & caput comitiorum. pag. ead. nu. eod.

Materia legis est res referibilis in bonum commune, et si actu non referatur à Legislatore. pag. 70. num. 3.

Quādo finis legis cessat in aliquo casu priuatiue, non cessat obligatio legis. pag. 70. num. 4.

Quando cessat ratio adæquata legis in generali, cessat obligatio legis etiam in generali; at non cessat obligatio legis, quando cessat ratio legis in speciali, non ab entitate præcepta in se, sed prout est a tali operante. pag. 71. num. 7.

Lex seu materia legis siue consideretur in casu particulari, siue in casu vniuersali semper habet bonum commune pro suo vltimo fine. pag. ead. n. eod.

Digitized by Google

Lex præcipit materiam, quæ est ab individuo, sed non prout ab individuo. pag. 72. num. 8.

Finis legis differt à fine operantis, nã potest operãs per actionem peccaminosã legi satisfacere, vt qui ieiunat ob vanam gloriã præcepto ieiunij satisfacit. pag. ead. nu. 9.

Quando finis legis est diuisibilis, & cessat secundum vnam partem, obligatio legis cessat secundũ vnũ partem. pag. ead. n. 10.

Ad leges communitatis tenentur Ciues, nõ vt singuli, sed vt partes componentes vnũ corpus, & sic ad hoc vt cesset obligatio legis in individuo, debet cessare finis legis in tali, non prout individuo, sed vt pars communitatis est. pag. 73. num. 11.

Obligatio legis tunc cessat, quando cessat præsũptio iuris, & de iure; secus dicendũ est, quando cessat præsumptio iuris tãtum. pag. 74. à nu. 12.

Quando lex habet pro subiecto præsumptionem, vnde fundata in tali præsumptione aliquid statuit, & quod præsumit, verum putat, etiam in casu particulari, & individuo, tunc dicitur præsumptio iuris, & de iure. pag. ead. num. 13.

Lex fundata in psũptione iuris, & de iure non obligat in cõscientia. pag. ead. nu. 14.

Quãdo lex non præsumit fraudẽ, aut aliud incõmodũ in vno quoq; casu particulari, sed videt fraudẽ possibilẽ, ad quã euitandã aliquid statuit, tunc dicitur præsũptio iuris tantum. pag. 75. num. 56.

Lex præcipiens solemnitates in contractibus, vel testamentis, annullat contractus, & testamenta, etiam si præsumptio iuris cesset: & hoc testamentum erit nullum etiã in foro conscientiæ. pag. 76. num. 17.

Quãdo lex positiua prohibet aliquod malũ, quod primo mouet legislatorẽ, est periculũ mali, quod ex tali actione põt suqui; ratio verò proxima mouens est dirigere communitatẽ in euitationẽ illius mali. p. 80. n. 2.

Prohibitio facta à lege nõ solũ cadit suprà casũ, in quo hic & nũc est periculũ mali prohibiti, sed etiã supra omnes casus particulares, à quibus tale periculum abest. pag. ead. num. eod.

Obligatio legis pendet à voluntate legislatoris, & ita obligat, sicut legislator intẽdit obligare. pag. 86. num. 10.

Quando dubitamus an lex obliget, tunc nõ tenemur ad legẽ, quia tũc lex non est sufficienter promulgata. pag. 174. num. 3.

Lex continere debet iustitiam legalem, commutatiuam, & distributiuã: & etiã habere debet iustitiam in materia, in forma, in fine, & in agente. pag. 210. num. 1.

Lex quæ non continet iniustitiã in forma, seù distributione, vel in materia seù æqualitate ad onus, non est nulla, & si non obliget secundum excessum. pag. ead. nu. eod.

In lege iustitia dubia ex parte subditi obligat subditũ ad obseruantiã legis, si subditus sit certus de potestate legislatoris. pag. ead. num. 2.

In lege iustitia probabilis nõ sufficit ad simpliciter obligandũ subditos. pa. 212. n. 13.

In lege incertitudo oritur, vel à dubietate, vel ab opinione. Si oritur à dubietate, non põt subditus huic legi non obedire, si verò oritur ab opinione, potest non obedire. pag. 212. num. 14.

Lex quæ aliquid præcipit, præcipit quoq; tollere impedimenta, sed non præcipit nõ admittere causas excusantes, seù exemptantes à tali lege. pag. 239. num. 2.

Non excusat à transgressione legis somnus inceptus, & terminatus tẽpore quo lex vrget. pag. 240. num. 5.

Ratio reducens hominẽ sub legẽ est exigẽtia rationis in actu primo. pag. 241. nu. 2.

Ratio reducit hominẽ sub legẽ per modũ causæ formalis. pag. ead. num. 3.

Cõseruat hominẽ sub lege exigẽtia rationis in actu primo, in actu verò secundo actualis ratio ipsũ hominẽ reducit sub legem. pag. 241. n. 4. Exigẽtia rationis conseruat hominẽ sub lege per communicationẽ sui ipsius. pag. ead. nu. 5. A trãsgressione legis excusatio supponit subiectũ capax obligationis legis. At nõ obligari legi supponit subiectũ incapax, seù ineptũ ad obligationẽ legis. Et primũ est p modũ priuationis, secũdũ per modũ negationis. pa. 242. n. 7.

Lex humana adaptatur ad hominẽ pfectè discurrẽtẽ, nõ verò ad modũ recipiẽdi hãc potentiam discursiuam. pag. 244. nu. 2.

Non exẽptat hominẽ à lege rarus modus recipiendi discursum. pag. ead. num. 3.

Digitized by Google

Si sub lege reducit hominem exigentia rationis, magis ipsum reducere debet actualis discussus. pag. ead. num. 4.

Lex diuina est duplex, positiua, & naturalis. pag. 248. num. 4.

Legis beneficium sine damno tertij amplè est interpretandum. pag. 262. num. 4.

Licitum est quærere causam excusantem, seù exemptantem à lege, non verò impedimentum ponere ad legem. Causæ excusantes sunt priuilegium, infirmitas, discessio ad ciuitatem exemptam, &c. huiusmodi. Impedimenta legis sunt, ignorantia, obliuio, amentia, ebrietas, somnus, &c. huiusmodi. pag. 264. num. 3.

Leges non obligant, nisi sint in ordine ad bonum commune. pag. 267. num. 6.

Conuenientissimum est Reipublicæ, vt omnes qui simul commorantur, se conformēt legibus, & Consuetudinibus loci in quo commorantur. pag. ead. num. 8.

Quando verba legis tendunt potius ad actū quam ad personam, tunc, & si actus sit nullus, non tamen peccat qui contrafacit. pag. 281. num. 32.

Leges pœnales quę priuant ipso facto voce actiua, & passiua non obligant, nisi post sententiam. pag. 288. num. 51.

In lege pœnali, quando sunt apposita illa verba, ipso facto, *&* abq; alia declaratione, *subintelligitur vsq; ad declarationē pœnæ, non verò culpæ, cum culpa semper sit à Iudice declaranda. pag. 290. nu. 61.*

Verba apposita in lege pœnali, absque alia declaratione *apponuntur ad maiorem declarationem verborum antecedentium, nempè* ipso facto. *pag. 292. nu. 65.*

In lege superfluitas semper est vitanda, & ideo non solum verbum, sed etiam dictio, & qualibet syllaba stare non debet sine aliquo effectu. pag. 292. num. 65.

Lex positiua humana pendet à lege naturali, vel per modum consequentiæ, vel per modum determinationis. Obligatio legis humanæ primi modi habet vim obligandi ab ipsomet iure naturali independenter ab humano præcepto. Obligatio legis positiuæ secundi modi non oritur integrè à lege naturali, nisi accedente præcepto Principis. Vide materia legis primi modi ideò prohibita, quia mala, secundi modi ideò mala, quia prohibita. pag. 294. num. 1.

Legis positiuæ materia est à lege naturali per modum determinationis, tanquam particulare in suo communi, non tanquam species sub genere. pag. ead. num. 2.

Legis positiuæ humanæ vis est à lege naturali per modū determinationis. pag. 295. nu. 3.

Lex positiua, quæ pendet à lege naturali per modum determinationis, & si non differat à lege positiua dependente per modum cōsequentiæ quaod vim, & entitatem præceptam, tamen differt quoad obligationē, seù quoad modum obligandi, cum præceptum Principis ingrediatur essentialiter ad obligationem per modum determinationis, at non ingreditur ad obligationem legis per modū consequentiæ. pa. ead. n. 4.

Vide Clericus.

Legislator constituendo legem, opus præceptū non constituit sub certa specie virtutis, sed illud præsupponit sub certa specie virtutis. pag. 310. num. 6.

Vide Princeps.

Leges positiuæ habent vim obligandi in conscientia à lege aterna à qua deriuantur mediante lege naturali. pag. 311. num. 8.

In lege humana positiua duplex est vis, coactiua s. & directiua; prima pœnas imponit, secunda obligat in conscientia. pag. ead. num. 9. & tam coactiua quam directiua fundātur in potestate Principis, tamen vis coactiua exire non potest in actū secundum sinè potestate Principis, non sic uis directiua. pag. 212. num. 10.

Qui nō pōt esse obediens, non includitur sub lege, put dicit coactionē, nō verò put dicit directionem. pag. 313. num. 14.

Faciēdo cōtra proprias leges Legislator peccat mortaliter, si materia grauis sit. pag. 315. num. 20.

Lex quoad culpam obligat vltra voluntatem legislatoris. Secus verò quoad pœnā. pag. 314. num. 18.

Actus dicitur conformis, vel difformis legi, velit nolit legislator. pag. ead. nu. eod.

Qui ad legem tenetur indirectè, simpliciter tenetur. pag. 315. num. 19.

Vis coactiua legis pſupponit vim directiuā, & coactiua præsupponit culpā in suo esse constitutam. pag. 315. nu. 21.

Digitized by Google

Vis coactiua nihil operatur ad formalē constitutiuum peccati. pag. eadem, num. eodem.

Lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata. pag. 318. num. 9.

Libertas.

Libertas hominis est à natura. pag. 42. n. 7.

Libertas est dominium, & potestas sui actus ad opposita. pag. ead. num. eod.

Libertas ligata .i. qua quis vti non potest licitè, libertas dici non potest . pag. 226. num. 9.

Litteræ.

In Regno Neapolitano adsunt litteræ Regis, quatenus p̄cipitur gabellariis, vt exactū seù debitum ab ipsis diuidatur inter assignatorios. pag. 202. num. 4.

Litteræ Regis facientis pactum non indigēt acceptatione, nisi contrahentium, seù interessatorum; qui in arrendimentis sunt assignatarij. pag. 204. num. 6.

Litteræ Regis priuatæ arctant scientes sine publicatione. pag. ead. num. 7.

Ludus. vide Ebrietas.

Ludus, somnus, ebrietas in se sunt impedimēta legis, non vero causæ excusantes. pag. 239. num. 3.

Qui emisit votum non ludendi potest alteri pecuniam dare ad ludendum nomine suo. pag. 247. num. 7.

M

Mandans, & mandatarius.

Mandans, & mandatarius in materia assassinij sunt eadem pœna puniendi. pag. 38. num. 4.

Mandans non dicitur assassinus, sed mandatarius ex vulgi interpretatione. pag. ead. num. eod.

Mandatarius tenetur exequi, & seruare formam mandati, etiam in minima qualitate. pag. 207. num. 3.

Mandatarius dicitur agere virtute mandātis, quatenus opus tribuitur mandāti, non quia virtus mandantis influat in opus. pag. 246. num. 2.

Æquè vel magis influit ad peccatum mādatarij consulens, quam mandans, quia opus mandatarij non dicitur mandantis, si hic reuocauit mandatum, non sic consulentis. pag. 247. num. 6.

Mandatum.

Mandatum superioris in dubio præsupponitur iustum. pag. 110. nu. 2. Quod verum est si dubito de iustitia ex parte modi, nēpè, quando Rex habet iustam causam ferēdi legem, & dubito an præcipiat ex iniquitate vel est intelligendū de iniquitate materiali concomitante; vel de materia dubia ex parte subditi, & non superioris. pag. 211. num. 10.

Mandatum dubium præsupponit absolutam possessionem in mandante . pag. 110. num. 3.

Qui seruat formam mandati per æquipollens, mandato satisfacit. pag. 260. num. 17.

Materia.

Quādo parua materia trahit secū totam rationem malitiæ prohibitæ, tunc parua non dicitur in ordine ad peccatum. pag. 81. num. 9.

Materia præcepta à confessario debet esse libera, non secundum entitatem, sed secūdum respectum quem dicit . pag. 97. num. 8.

Qui producit materiam cum vltimis dispositionibus, dicitur producere compositū saltem partialiter. pag. 123. num. 8.

In moralibus materia dicitur id quod determinatur, quod determinat verò dicitur forma. pag. 147. num. 3.

Materia remota ex qua sacramentorum habentium materiam perseuerantem, potest iterum, & iterum assumi pro alijs sacramentis. pag. 148. num. 5.

In moralibus potest vna, & eadem materia recipere plures formas, maximè si materia illa sit partialis. pag. ead. num. 6.

Matrimonium.

Qui certò scit se ad matrimonium contrahendum nullum habere impedimentum, non potest licitè matrimonium contrahere sine denunciationibus . pag. 79. nu. 1. & 5.

Denunciationes præceptæ in matrimonio con-

Digitized by Google

contrahendo sunt denunciationes, quæ possunt detegere impedimenta, non quæ actu detegant.pag.ead.num.eod.

Et si cessat finis in publicationibus prout sũt à tali individuo cõtrahente matrimoniũ, cum certò sciat talis contrahens se nullum habere impedimentum, tamen non cessat obligatio illas præmittendi. pag. ead.num.2.

Quod matrimonium contrahatur sine impedimento, debet constare non solum contrahentibus, sed etiam Ecclesiæ. pag.80. num.4.

Qui sine licentia Episcopi matrimonium contrahit sine denunciationibus, peccat mortaliter, etiam si certò sciat se nullum habere impedimentum.pag.ead.nu.5.

Præceptum de præmittendo denunciationes ante matrimonium est de materia graui. pag.ead.num.6.

Matrimonium sine denunciationibus cõtractum dicitur clandestinum, quia eadem pœna dantur pro matrimonio clandestino, ac pro matrimonio sine denũciationibus: et eadem incommoda, & mala retinent matrimonia sine denũciationibus, ac clandestina.pag.ead.nu.eod.

Qui matrimonium contrahit sine denunciationibus si postea aduertat habuisse aliquod impedimentum dirimens, desperat de dispensatione.pag.81.num.7.

Thomas Sanchez, & alij putant, quod qui relinquit vnam tãtum publicationẽ peccat tantum venialiter: at alij, & probabilius dicunt, quod peccet mortaliter.pag. ead.num.8.

Matrimonium inter consanguineos est nullũ ratione reuerentiæ debitæ illis. pag. 92. num.3.

Aliud est dicere, quod matrimonium sit abominabile, aliud quod sit nullum. pag.94. num.11.

In Sacramento matrimonij non distinguitur minister ab ijs, qui Sacramentum recipiunt.pag.123.num.6. Quia est simul à contrahentibus, & ab ipsismet sibi ministratur.pag.ead.num.7.

Qui matrimonium contrahit sine intentione contrahendi, quod primo, & per se reddit nullum est contractũ, & quia nullus est contractus, ideò nullum est sacramentum.pag.151.num.19.

Qui matrimonium cõtrahit principaliter ad honorem, vel ad diuitias obtinendas, si verè habet animum contrahendi, nullam committit culpam.pag.179.num.6.

Qui petit partes Vltramontanas ad finem clandestinè contrahendi matrimonium, ibi valide contrahit.pag.235.num.2. & 271.num.19.

Qui per breue tempus habitat in aliqua Parochia, potest corã Parocho huius Parochiæ matrimoniũ contrahere.pa.266.n.3.

Tenentur contrahere matrimonium coram parocho loci relegationis, relegati; qui ad certum locum pro tempore ad arbitrium Iudicis sunt relegati.pag.267.num.2.

Potest in matrimonium coniungere peregrinos Episcopus loci quà ipsi peregrini transeunt.pag.269.num.12.

Non potest adulter contrahere matrimoniũ cũ adultera, cui promisit matrimoniũ viuente viro, vel si occiderunt coniugem ad finem contrahendi.pag.274.num.2.

Inhabilitas ad contrahendum matrimoniũ ratione criminis, & si sit à crimine, sicut ab errore, &c. tamen non est in pœnam criminis. pag. 274. num. 4.

Impedimenta matrimonium dirimentia sunt apposita ob bonum publicum, sicut solemnitates contractuum pag.274.nu.5. Et non sunt pœnæ statutæ, sed leges latæ circa contractum.pag.ead.num.eod.

Vide Adulter, & adultera.

Partus semper præsupponitur ex matrimonio natus.pag.319.num.12.

Mendacium, mentiri.

Mendacium non est contra bonum publicum, sicut est hæresis. Nam illud quærit decipere particularem, hæc verò religionem in communi. pag.39.num.7.

Mendacium in re graui, vel ex quo resultat infamia alteri, peccatum mortale est.pag. 54 nunu.1.

Reus qui super patibulo mentitur, absolui non potest sub cappa.pag.ead.nu.2.

Mendacium, cum sit conuersio ad creaturã, & auersio à Deo, non potest significare internum actum contritionis.pag.54.nu.3.

Man-

Digitized by Google

Mendacium in confessione prolatum de re veniali, vel de mortali confessa, & absoluta, non vitiat Sacramentum Pœnitentia, si alia materia præbeatur pro confessionis sacramento. pag. 163. à num. 1.

Secus dicendum est de mendacio mortali. pag. ead. num. eod. Et ratio est, quia mendacium leue non offendit sacramentum, si adsit alia materia. pag. 164. num. 5.

Qui in vno mendacium dixit, in omnibus mendax præsumitur. pag. 320. nu. 15.

Medium.

Media sapiunt naturam finis. pag. 37. num. 10.

Miles.

Miles siuè sit subditus, siuè non, si scit suum Principem non dubitare de iustitia belli, tenetur obedire. Secus dicendum est, si sciat suum Principem dubitare, tunc enim non potest militare, quia operaretur, cum dubio practico. pag. 214. num. 1. & 2.

Militis, & Principis iustitia vna, & eadem est in bellando. pag. ead. num. 4.

Miles subditus si scit suum Principem dubitare de iustitia belli, scit suum Principem habere præceptum naturale de non bellãdo ante depositionem dubij. pag. 215. num. 5.

Et ideò si talis miles militat cũ tali dubio, peccat contra iustitiam, sicus Princeps. pag. ead. num. 7.

Miles qui habet opinionem, quod possit militare, potest sed non tenetur militare. pag. 215. num. 8.

Miles qui militauit cum opinione probabili, & damnum intulit, si postea aduertit bellum fuisse iniustum, ad nullam tenetur restitutionem. pag. 216. nu. 9.

Miles non tenetur restituere bona acquisita in bello opinabiliter iusto, si aduertat postea bellum fuisse iniustum, dummodò non extent, nec factus sit ditior. pag. eadem num. eod.

Missa.

Missam Sacerdotis excommunicati tolerati licitum est audire etiam sine vlla necessitate. pag. 21. num. 3.

Qui missam vidit in peccato mortali, præcepto Ecclesiastico de vidẽdo missã satisfacit. pag. 185. num. 4.

Missas alicui Ecclisiæ, vel Hospitali relictas non possunt administratores illius loci Pij moderare, reducere, seù reformare, vel minuere; sed de iure spectat ad Episcopũ; At ex vi decreti. Vrbani VIII. spectat ad Summum Pontificem. pag. 196. num. 9. Et ad ordinarios, & non ad beneficiatos antiquitus spectabat. pag. 197. num. 10.

Gratia concessa à Pontifice de restrictione Missarum circa numerum, non intelligitur circa pretium, seù pitantiam. pa. 198. num. 11.

Diminutis bonis relictis cum onere missarũ, vel alterius pia causa, est minuendum onus à superiore, si diminutio bonorum sit perpetua: secus verò si sit temporalis, etiã si duret per aliquot annos, maximè si reditus sint multò maiores, & ampliores oneribus. pag. ead. num. 13.

Hæres tenetur renunciare hereditati non ferenti onus missarum, vel ad Pontificem recurrere pro reformatione. pa. 199. n. 16. Quod verum etiam est in capellanijs collatiuis. pag. ead. num. 17.

Qui ante quam missa finiantur in loco vbi festum celebratur, aliò pergit ad finem non videndi Missam, non frangit præceptum de videndo missam. pag. 235. nu. 3.

Obligatio videndi missam in aliquo loco ob diem festiuum, & si contrahatur mane, tamen non mane tenemur ad satisfactionẽ, sed vsquè ad meridiem, si isto medio tempore non habeamus causam excusantem à tali præcepto. pag. 263. num. 2.

Vide Dies Festiuus.

Obligatio videndi Missam contrahitur à compartibus loci, in quo festum celebratur, vnde quando quis nõ est amplius pars illius loci, amplius non tenetur ad præceptum. pag. ead. num. 3.

Moneta.

In moneta tria considerãtur, nempè massa, pretium massæ, & æstimatio extrinseca, seù valor impositiuus. pag. 46. num. 2.

Moneta secundum massam, non dicitur moneta, sed merx. pag. ead. num. eod.

Pretium massæ moneta vt merx, est pretium na-

Digitized by Google

naturale ipsius monetæ, quod potest recipere magis, & minus. pag. ead. num. eod.
Valor monetæ prout est merx, est extrinsecus prout moneta est. pag. ead. num. eod.
Valor imposititius monetæ est pretium publicum, & inuariabile, quo appretiantur, & æstimantur omnes res ; & dicitur hic valor extrinsecus monetæ, prout massa est, intrinsecus monetæ, prout moneta est. pag. 47. num. 3.
Pretium imposititium monetæ prouenit à voluntate principis, vel à populo, annuente principe; & ideò monetę in massa diminutæ potest esse idem pretium imposititium ac massę iusti ponderis. pag. 47. numer. 4.
Moneta diminuta currit cum consensu populi, non cum consensu Principis tantum. pag. ead. num. eod.
Vsus monetæ debet esse publica commoditas. pag. ead. num. eod.
Mutatio monetæ infert populo maximum damnum, & ideò est facienda cum consensu populi. pag. ead. num. 5.
Princeps potest mutare monetam sine consensu populi vrgente aliqua necessitate, sed cessante necessitate tenetur compensare damnum illatum ciuibus. pag. eadem num. eod.
Solutio facta de moneta reprobata non extinguit debitum. pag. 48. num. 8.
Moneta debet habere æstimationem publicã .i. communi consensu omnium gentium constitutam, & perpetuam. pag. 49. nu. 14.
Publica æstimatio requisita in moneta desumitur non ex quantitate ponderis, sed ex quantitate discreta, seù ex numero monetarum. pag. 50. num. 15.
In moneta est de iure gentium, quod sit pretium omnium rerum, valutatio verò moneta non est à iure gentium, sed à iure positiuo, seù Regni. pag. 51. num. 17.

Moniales.

Moniales admittentes seculares intra claustra ad malum finem non sunt excommunicatæ excommunicatione Papæ reseruata. pag. 63. num. 1.
Meniales admittẽtes seculares ingrediẽtes sub ptextu licẽtiæ ab Episcopo inualidè obtenta sunt excõmunicatæ excmunicatione Papæ reseruata. pag. 64. num. eod.
Moniales admittentes sine præsumptione, sed vel ex ignorantia etiam crassa, vel ex inaduertentia, vel per oblitionem seculares etiam sub prętextu licentiæ ab Episcopo inualidè obtenta non incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam, & expressã in Motu proprio Gregorij XIII. incipiente, Vbi gratia, & indulta, &c. pag. ead. num. eod.
Moniales admittentes pueros ante vsum rationis ad clausuram non incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam. pag. 64. num. 2.
Gregorius XIII. excõmunicat personas subditas ingredientes, & moniales subditas admittentes ad clausuram. pag. ead. num. eodem.
Declationes Pij V. & Gregorij XIII. quod comprehendantur Moniales admittentes seculares ad clausuram etiam sine prętextu licenta, &c. vel non extant, vel non constant authenticè. pag. ead. num. 3.
Moniales professa, quæ nubunt, & accipientes illas in vxores sunt excommunicati : pag. 65. num. 4.
Falsum est adesse Consuetudinem, quod Moniales admittentes intra claustra ad malum finem sint excommunicatæ. pag. 67. num. 9.
Qui falsè obtinuit licentiam ab Episcopo, & ingreditur non ex prætextu huius licẽtiæ ad claustra Monialium ad malum finem, & si incidat in excommunicationẽ à Concil. Trid. fulminatam, non tamen incidit in excommunicationem latam in Motu proprio Gregorij XIII. incipiente, Vbi gratia, &c. pag. 67. num. 10.
Qui ingreditur ad claustra Monialium ex prætextu licentiæ, audacius ingreditur quàm qui sine licentia. pag. ead. num. 11.
Est interdicta ab Episcopo loquutio cum Monialibus, quæ habilis sit ad disturbandum Moniales, non verò quæ actu disturbet. pag. 72. num. 10.
In dando licentiam Monialibus, vt exeant è claustro, interdictum est Prouincialibus Franciscanorum, sequi opinionem Nauarri dicentis, quod etiam pro infirmitate

tate periculosa,& insanabili in clausura possint habere licentiam prædictam. pag. 228.num.3.
Abbatissę, & Prioriss.æ monialiũ concedentes facultatem egrediẽdi è clausura alijs Monialibus, & si per Motum proprium Pij V. sint ipso facto inhabilitatæ ad dignitates, administrationes, & officia, tamen debent expectare sententiam declaratoriã culp.æ, & postea se abstinere . pag. 290. num.60.

Mora.

Mora si damnum infert in mutuo,obligat ad restitutionem.pag.35.num.1.
Interesse non conuentum, debitum ratione morę in mutuo, à die petitionis debetur, seù à litis contestatione, sicut in alijs contractibus stricti iuris. pag.36.num.5.
Ratione morę usurę debentur, si mutuans erat paratus emere tempore morę, & emptores,qui emerunt, tunc temporis lucrati sunt.pag.ead.num.7.
Mora temporis,nec auget,nec minuit peccatum.pag.167.num.7.

Moribundus.

Moribundus est absoluendus sub conditione quando sumus in dubio, an signum externum ab ipso datum sit ex dolore naturali, vel supernaturali.pag.55.num.4.
In nonnullis concilijs præcipitur dari absolutionem moribundo.pag.159.num.3.

Mulier.

Mulieri dicenti se concepisse ex aliquo credere non tenemur.pag.319.num.12.
Quod verum est, & si constet de adulterio. pag.ead.num.eod.
Mulieri alleganti propriam turpitudinem non est credendum.pag.ead.nu.13.

Mutuum, Mutuator, & Mutuatarius.

Mutuatio non est actio mala,& correspondet petitioni ad mutuum.pag.22.num.7.
Mutuatarius dum promittit, & soluit usuras,correspondet petitioni usurarij, non è contra.pag.ead.num.eod.
Interesse non potest consurgere ex natura mutui, sed si consurgit, consurgit ex nouà actione. Nam mutuum ex natura sua petit,vt quantum acceptum est,taũtundẽ restituatur, cum eadem natura,& quantitate. pag.35.num.1.& 3.
Mutuum est contractus stricti iuris,& non bonæfidei.pag.ead.num.eod.
Quando soluitur aliquid pro mutuo,nũquã soluitur ratione mutui.si solutio sit licita, sed ex noua actione.pag.ead.num.3.
Interesse non conuentum, quod debetur ratione morę in mutuo,debetur à die petitionis, seù litis contestatæ, sicut & in alijs contractibus.pag.36.num.5.
In mutuo dies, & pœna adiecta interpellat pro homine.pag.ead.num.eod.
Mutuans potest recipere usuras à mutuatario.si hic sit in mora ad restituendum, & tempore morę ipse mutuans erat paratus ad emendum, & emptores illo medio tempore lucrati sunt.pag.ead.num.7.
Mutuatarius tenetur restituere mutuum de moneta currente tempore solutionis,nõ tempore mutui.pag.46.num.1.
Mutuans qui scit pragmaticam fore promulgandã de monetarum mutatione in melius.si mutuat mutuò petenti, & ignoranti talem pragmaticam, potest recipere monetam in melius redactam in tuta cõscientia.pag.ead.num.eod.
In mutuo reddenda est res secundum eandẽ naturam, & qualitatem.pag.47.num.6.
Mutuum consistit in ijs rebus,quæ numero, pondere,& mensura constant . pag. 48. num.6.
Mutuum differt à permutatione,quia in permutatione traditur res diuersæ naturæ, et qualitatis, differt à venditione, quia in vẽditione traditur pecunia pro re; differt à commodato, quia in commodato traditur eadem res indiuidualiter gratis; differt à locato, quia in locato traditur eadẽ res indiuidualiter , non gratis; differt à depositо,quia in depositо traditur etiam res indiuidualiter , at in mutuo traditur eadem res non indiuidualiter , sed secundum eãdem naturam,et qualitatem . pag. 48.num.6.
In mutuo restituere res secundum eandem naturam,idem est, ac secundum eande

Digitized by Google

ſpeciem pag.ead.num.eod.

Qui mutuo accepit vinum, & tempore ſolutionis vinum non habet, tenetur ad pretium vini currens tempore ſolutionis, non tempore acceptionis mutui . pag. 48. num.9.

Qui mutuo accepit vinum, reſtituere tenetur vinum, etiam ſi vinum tempore reſtitutionis ſit melioratum.pag.49.nu.10.

Nec mutuo ſatisfacit, qui accepit vinum vetus, ſi nouum reſtituit . pag. ead. num.11.

Quando mutuãtur nummi, nõ mutuantur prout ſunt merx, ſed prout ſunt pretium mercis.pag.49.nu.12.

Res mutuata creſcit, & decreſcit mutuatario.pag.ead.nu.14.

Mutuãs qui non manifeſtauit futuram mutationem monetarum in melius conciuibus, vel mutuatario, non tenetur ad damnum illatum illis, apud quos poſtea inuenitur moneta diminuata; quia iſtis ille damnum non infert, ſed Rex, & populus monetam mutantes.pag.52.n.21.

Vitium monetæ diminutæ eſt vitium patens, & ideo mutuans non tenetur manifeſtare.pag.52.nu.22.

Si mutuans conſtringeret mutuatariũ ad non reſtituendam monetam uſque ad publicationẽ pragmaticæ de mutatione monetarũ in melius, reciperet aliquid ultra ſortem, & ſic uſuram committeret . pag. 53.nu.24.

Damnum, quod ſentit mutuatarius ob mutationem monetæ infertur potius à propria negligentia, quam à mutuante . pag. 53.nu.25.

N

Neceſſitas.

Neceſſitas poſtulandi aliquid illicitum tunc excuſat, quando tota malitia refunditur ad prauam intentionem operantis.pag.23.nu.24.

Nobilitas.

Nobilitas oſtenditur probata ex habitu Diui Iacobi pag.25.num.2. & dicti milites fuerunt inſtituti, vt militarent contra Saracenos.pag.ead.nu.2. & 6. Et poſſunt recipere mercedem ex ſua militia, etſi ex voto militent.pag.cad.num.3.

Declaratio propriæ nobilitatis poteſt emi, quum ſit aliquid temporale, vt eſt aſcriptio inter milites D. Iacobi, quæ habet nobilitatem probatam.p.26.nu.8.

Nouum.

Quod quandoque ſeruatum fuit ſi poſtea renouetur non dicitur nouum . pag.259. num.15.

Nummus.

Quando mutuantur nummi, non mutuãtur, vt merx, ſed vt pretium mercis. pag.49. num.12.

Vide moneta.

O

Obedientia, vide ſubditus.

Habitus obedientiæ inclinat ad obediendum ſupremo ſuperiori, ſicut & infimo.pag.217.nu.2.

Ab habitu obedientiæ prouenit quod ſubditus examinet præceptum infimi ſuperioris an ſit contra præceptum ſupremi ſuperioris.pag.ead.nu.eod.

Obedientia cæca eſt ſe remittere ſuperiori docto, & prudenti in præcipiendo, quando dubito de materia præcepti an ſit contra præceptum ſupremi ſuperioris . pag.ead. num.eod.

Odium.

Odia non oriuntur per ſe à copula illicita, ſed per accidens, nempe ratione dedecoris coniuncti cum tali copula.pag.94. nu.12.

Omiſſio.

Omiſſionis peccatum conſiſtit formaliter in ſola negatione actus debiti, & per hanc opponitur præcepto negatiuo . pag. 104. num.1.

Peccatum omiſſionis, & commiſſionis non differunt formaliter.pag.ead.nu.eod.

Omiſſiones ſunt in duplici differentia: aliæ ſunt de præcepto, aliæ de conſilio; hæ non ſunt confitendæ, nec poteſt quis per ſe confiteri,

Digitized by Google

fiteri, illæ verò, nempe omissiones de præcepto, sunt necessariò per se confitendæ. pag. 105. nu. 3.

Deus examinabit operationes hominum circa omissiones ad iustificandum causæ suam. pag. 105. nu. 7.

Omissio cõsiliorũ potest esse aliquando actus virtuosus, si ideo e. g. quis non pareat internæ inspirationi, quia videt ad id non teneri, vnde obediret, si Deus ad id ipsum obligaret, & hic est actus religionis: vel si non pareat, quia vult vti propria libertate à Deo ipsi concessa circa consilia, & hic dicitur actus propriæ charitatis, siue amicitiæ naturalis. pag. 107. nu. 10.

Contritio omissionis consiliorum non est contritio sufficiens pro Sacramento pœnitentiæ. pag. ead. nu. 12.

Omissiones consiliorum possunt esse per accidens materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, nempe ratione voti, vel si non adimpleãtur ob contemptum, vel ob indignationem contra Deum. pag. ead. nu. 13.

Opinio.

Vnusquisque in agendo potest sequi opinionem probabilem. pag. 100. n. 4.

Opus præstitum secundum opinionem probabilem potest considerari signatè, & est probabiliter nocens; exercitè verò est simpliciter innocens. pag. 219. nu. 5.

Actio regulata secundum opinionem probabilem, non est peccaminosa simpliciter secundum opinionem oppositam. pag. 220. num. 6.

Qui sequitur opinionem probabilem non committit nouam culpam. pag. 222. num. 20.

Superior potest præcipere subditis ne sequantur opinionem probabilem, sed oppositam etiam probabilem. pag. 228. n. 3.

Cuique licitum est sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori. pag. 258. num. 5.

Ordo.

Ordinatus bona fide cum dispensatione subreptitia si postea recordetur se esse irregularem, dicitur vere ordinatus, & sicut ordo eius non est dissoluendus, ita nec est suspendendus, quia idem ius debet esse de parte ac de toto. pag. 16. n. 11.

Si ordo conferatur illegitimo ignoranti inuincibiliter esse illegitimum, si postea recordetur se esse talem, non indiget dispensatione ad hoc vt ministret. pag. 17. num. 14.

Ordinis susceptio est actus irretractabilis. pag. 19. num. 24.

Oscula.

Oscula, & tactus sunt actiones indifferentes. pag. 171. nu. 14.

Oscula, & tactus non ad finem fornicandi, & si deinde sequatur fornicatio sunt confitenda, vt peccata distincta, secus vero si fuerunt ordinata ad fornicationem. pag. ead. nu. eod.

Delectatio, quæ consurgit ab osculis, & tactibus, est prohibita ab ipsa natura, ne homines obliuiscãtur procreationis prolis. pag. ead. nu. eod.

Tactus, & oscula subsequentia copulam sunt necessariò in confessione explicanda. pag. 172. nu. 16.

Malitia oscula, & tactus libidinosi non ordinati ad fornicationem, differt specie à malitia simplicis fornicationis. pag. ead. nu. 18.

P

Pactum.

Pactum nudum vestitur coherentia contractus vestiti prius initi. pag. 104. num. 5.

Parochus.

Parochus leprosus priuatur administratione, & officio, non in pœnam, sed ratione inhabilitatis. pag. 220. nu. 7.

Qui per momentum temporis habitat in aliqua parochia, si illo momento habeat necessitatem Sacramentorum, sunt administranda à parocho illius loci in quo tunc inuenitur. Quod verum est etiam de Sacramento matrimonij. pag. 266. nu. 3.

Parochus excommunicatus potest matrimonio assistere, & si sit denunciatus, & matrimonium est validum, & hic parochus non peccat mortaliter. pag. 286. n. 42.

Pater

Digitized by Google

INDEX

Pater.

Pater naturalis, qui abortum non impedit si inuincibiliter ignorat teneri impedire, nō est irregularis. pag.318.num.7.

Pater naturalis non tenetur alimēta præstare filio illegitimo, nisi post tertium annum. pag.319.num.9.

Pater ex cētētia Lessij nō tenetur defendere vitam filij ex vi iustitiæ. pag. ead. nu.10.

Si pater non impedit abortum filij naturalis, dubitamus an ius statuens irregularitatem se extendat ad hunc casum. pag. 320.num.18.

D. Paulus.

D. Paulus ad Tessal. 4. dum dicit, Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, &c. *loquitur de fraude thori, ideſt, de adultorio, non de fraude auaritiæ. pag.51. num.18.*

Pauper, Paupertas.

Ab excusato à præcepto Ecclesiastico ratione paupertatis, vel necessitatis, licitum est opus seruile exigere. pag.247. num.5.

Paupertas, quando est fundamentum intenti alicuius, puta admissionis ad legatum factum pauperibus, non præsumitur, sed est probanda. pag.157.num.1.

Bonum spirituale pauperum præferendum est bono temporali ipsorum pauperum. pag.ead.num.2.

Cui commissa est distributio eleemosynæ inter pauperes, non tenetur eligere pauperiores. pag.ead.nu.4. Et potest præferre vnum pauperem alteri. pag.ead.num.eod.

Vide Legatum.

Nomine pauperis venit Ecclesia, & qui pauperibus seruiunt. pag.158. nu.8.

Concurrente paupere auxilio humano destituto, & fame perituro, cum necessitate reparationis Ecclesiæ, pauper est præferēdus. pag.259.num.11.

Peccatum, Peccator.

Qui vult peccare vsq; ad extremum vitæ, signum dat se nō habere contritionem. pag. 55.num.5.

Peccati grauitas, vel leuitas non desumitur à materia præcepta, sed à fine, ad quē materia ordinatur. pag.81. num.11.

Quando materia vnius peccati venialis nō continuatur saltem moraliter cū materia alterius peccati venialis, vel quotiès effectus relictus ab vno peccato veniali non potest continuari cum altero effectu relicto ab altero peccato veniali, multiplicatio transgressionum venialium nunquam cōstituit peccatum mortale. pag.82. n.12.

Qui dubitat an peccatū sit à se cōmissū, vel an peccatū cōmissū sit mortale, vel veniale, non tenetur confiteri, quia ab Ecclesia exigitur ex Concil. Trid. vt vnusquisque confiteatur illa peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit. pag.99. nnm.1. & 2.

Qui peccatum dubium cognoscit habere, & est in articulo mortis, tenetur procurare media, vt se certò ponat in gratia. pag. ead.num.eod.

Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, non sunt confitenda. pag.100. nu.2.

Peccata mortalia pœnitenti occulta non tenetur confiteri, & quia dubitans post factā diligētiā dicitur ignorās, idcò peccata dubia non sunt confitenda. pag.100.nu.3.

Nullum habemus præceptum diuinum, vt peccatum semel commissum his confiteamur. pag.101.num.6.

Qui confitetur peccatum dubiū, quādo scit certò commisisse tale peccatum, secundum probabilem opinionem, tenetur iterum confiteri peccatum illud. pag.ead. nu.eod.

Ex nulla lege, vel præcepto tenemur peccata dubia confiteri. pag.101.num.8.

Peccata dubia, sicut & ignorata, etiam si nō confiteamur, remittūtur indirectè, seù per accidens. pag.ead.num.eod.

Qui cōfitetur peccata dubia cū certis, gaudet beneficio sacramenti pœnitentiæ, & si non teneatur illa confiteri. pag.102.n.14.

Etsi verū sit, quod nullum peccatū certū cōmissū post baptismum remittatur sine Sacramēto pœnitētiæ saltē in voto, si de illo habeatur memoria, tamē hoc verū non est de peccato dubio, quia de hoc nullum habemus præceptum. pag.103.num.16.

Qui nō cōfitetur peccata dubia, ad nullum periculū se exponit, cū peccata dubia habeantur pro oblitis post factā diligentiam. pag.ead. num.17.

Peccatum omissionis cōsistit formaliter in sola negatione actus debiti, et per hāc negationem opponitur præcepto negatiuo. pag. 104.num.1.

Digitized by Google

Peccatum omissionis non differt formaliter à peccato commissionis. pag. ead. num. eod.

Quilibet potest peccata semel confessa, & absoluta iterum confiteri, & de illis absolutionem accipere, etsi non teneatur ea iterum confiteri. pag. 109. num. 1. Quod non sint necessariò confitenda est iam definitum in corpore iuris. pag. ead. num. eod.

Quod sufficiant pro materia in Sacramẽto pœnitentiæ probatur tantum ex auctoritate Scholasticorum, & ex vsu Ecclesiæ. pag. 110. num. 11. Non igitur probatur ex subiectione ad Ecclesiã, nã innocens Christianus, vel materialiter peccans, etiam si velit, nõ potest iudicari in Sacramẽto pœnitentiæ, etsi sit Ecclesiæ subiectus. Et qui semel est absolutus in Sacramẽto pœnitentiæ est formaliter innocens secundũ nunc. Nec infidelis factus Christianus potest etiã si velit iudicari in Sacramẽto pœnitentiæ de peccatis in infidelitate cõmissis, et sicut fit innocens per baptismum, infidelis, ita fidelis per pœnitentiam. pag. 109. num. 4.

Nec probatur ex eo, quia potest hic pœnitens iterum elicere actum contritionis, quia non omnis actus contritionis est materia Sacramenti pœnitentiæ. pag. ead. nu. 5.

Peccatum remissum per contritionem potest iterum remitti per Sacramentum pœnitentiæ, quia per contritionem remittitur peccatori cum obligatione præsentandi se ad Ecclesiã, non sic per Sacramentum pœnitentiæ. pag. 110. num. 8.

Verba D. Ioannis, Quorũ remiseritis peccata, &c. loquũtur de peccato remissibili, non de remisso. pag. 110. num. 9.

Si quis posset confiteri peccata semel confessa, & absoluta ex eo quia se redderet tutiorem, teneretur iterum confiteri, quia tenetur se reddere tutiorem de sua salute. pag. ead. num. 10.

Qui scit per diuinam reuelationem peccata semel confessa esse iam condonata, potest illa iterum confiteri, & de illis absolutionem recipere. pag. ead. num. eod.

Peccatũ originale remittitur per gratiã Sacramenti nõ iterabilis: peccatũ actuale remittitur per gratiam sacramenti iterabilis, pag. 111. num. 12.

Quia peccata ritè confessa sunt absoluta in Sacramento pœnitentiæ non immediatè, sed mediante gratia, ideò peccata semel in Sacramento absoluta non possunt iterum absolui formaliter, & in actu secundo, etsi possint iterum absolui virtualiter, & in actu primo. pag. ead. num. 13.

Nomine peccati in fauorabilibus intelligitur tàm veniale, quàm mortale; tàm remissum, quàm non remissum; in odiosis verò intelligitur mortale tantum non remissum. pag. 112. num. 17.

Quando quis confitetur iterum peccata confessa, & remissa in Sacramento pœnitentiæ, recipit remissionem pœnæ temporalis debitæ illi peccato remisso, iuxtà mensuram eius dispositionis, at si pœnam læẽdam non habet, redditur dignior ad recipiendam gratiam. pag. ead. num. 18.

Peccata commissa ante baptismum delentur per baptismum ipsum sine alia obligatione. pag. 114. num. 5.

Peccata commissa ante baptismum, etiam si de illis habeatur contritio post baptismũ, non sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 115. num. 9.

Peccatum habituale duo dicit, maculam s. & habitualem voluntatem, qua peccatum commissum tandiù censetur esse in peccatore habitualiter voluntarium, quandiù per verum actum odij saltem virtualis ab eo non auertitur. pag. 118. num. 4.

Peccator qui non integrè sine causa, vel sine dolore confitetur peccata sua, sacrilegium committit. pag. 125. num. 12.

Qui excludit omnem voluntatem peccandi, excludit etiam omne peccatum futurum. pag. 133. num. 6.

Narratio peccatorum per modum accusationis significat dolorem, vel præsentem, vel futurum. pag. 143. num. 7.

Peccata semel confessa, & absoluta si iterum quis confiteatur, non indiget nouo dolore, sed sufficit prior, si non sit ratractatus. pag. 147. num. 1.

De peccatis venialibus tenetur, qui illa tantum confitetur, habere dolorem supernaturalem, aliàs peccat mortaliter. pag. ead. num. eod.

Pec-

Digitized by Google

INDEX

Peccata mortalia possunt remitti per dolorẽ virtualem in essendo extra Sacramẽtum, non verò in Sacramento: sic etiam venialia possunt remitti sine dolore extra Sacramentum, non verò in Sacramento Pœnitentia. pag. 148. num. 13.

Aliquando peccata venialia remittuntur directè per absolutionẽ Sacramentalem, & si ad eorũ remissionẽ requiratur dolor, qui delet ipsa. pag. 150. num. 14.

Qui confitetur peccata venialia sine debito dolore, peccat mortaliter. pag. eadem num. 15. Quia irritat Sacramentum Pœnitentiæ, sicut qui confitetur mortalia sine dolore. pag. ead. num. 16.

Dolor de peccatis venialibus requiritur in Sacramento pœnitentiæ non ex vi remissionis, sed ex vi Sacramenti; & idcò qui confitetur venialia sine contritione, committit sacrilegium non ratione iacturæ remissionis peccati, sed ratione frustrationis Sacramenti. pag. 150. num. 18.

Peccatum habituale interrumpitur per propositum amplius non peccandi. pag. 156. num. 13. Non verò per sumptionem Eucharistiæ, vel aliorum Sacramentorum, & idcò alia Sacramenta dantur informia, non verò Sacramentum Pœnitentiæ. pag. 157. num. 17.

Propositum requisitum in Sacramento Pœnitentiæ de peccatis venialibus non est universale. pag. 158. num. 20.

Ad peccatum duo concurrunt, actus voluntatis, & deordinatio à recta ratione; primus cõparatur per se ad peccantem, secunda per accidens. pag. 168. num. 2.

Moles physica, seù materialis peccati impertinenter se habet ad rationem peccati, quod consistit in difformatione à recta ratione. pag. 176. num. 10.

Peccatum veniale non impedit gratiam Sacramentalem. pag. 178. num. 5.

Peccatum non opponitur satisfactioni, sed gratiæ. pag. 187. num. 10.

Peccatum impedit effectum partium essentialium sacramenti, non verò integraliũ. pag. ead. num. 14.

Qui habet peccata venialia non tenetur necessariò uti Sacramento Pœnitentiæ, sed potest uti alio medio pro illorum remissione. pag. 189. num. 4.

Obligatio iterum confitendi peccatum mortale semel commissum est obligatio gravis. pag. 222. num. 10.

Physicum peccati est materiale peccati. pag. 232. num. 7.

Peccatum formaliter gratiam destruit. pag. 234. num. 11.

Peccatum in esse formali constituitur à volũtario. pag. ead. num. 12.

Peccatorum diuersitas specifica, numerica, & circumstantiæ notabiliter aggrauantes.

Diuersitas specifica peccatorum desumitur ab obiecto per se volito à peccante. pag. 167. num. 1.

Diuersitas numerica in peccatis externis desumitur ab obiectis numero diuersis, vel ab actionibus peccaminosis successiuè factis. In peccatis verò internis sumitur diuersitas numerica ab interruptione physica, vel morali. pag. ead. num. eod. & pag. 168. num. 4. & pag. 171. num. 14.

Actus voluntatis virtualiter multiplex sufficit ad diuersificationem specificam peccatorum, & consequenter ad numericam. pag. 169. num. 9.

Sacrilegia differunt specie, si sanctitates obiectorum differunt specie: differunt numero, si sanctitates differunt numero. pag. 170. num. 10. & 13.

Actio quæ ordinatur ad aliam actionem peccaminosam, si non habet propriam malitiã, non constituit nouũ peccatũ numero diuersũ à peccato ad quod ordinatur: hinc est quod qui quærit arma, exit domo, & equitat ad finem occidendi inimicum, & si faciat tres actiones, vnum tantum peccatum committit pag. 171. num. 14.

Oscula, & tactus non ad finem fornicandi, & si deinde sequatur fornicatio, sunt cõfitenda, vt peccata diuersa. pag. 171. n. 14.

Actio peccaminosa ordinata ad aliam actionem peccaminosam constituit peccatum distinctum, & necessariò confitẽdum. pag. 172. num. 19.

Peccata interna multiplicãtur numero quoties actus prauus voluntatis interrumpitur per actum formalem, vel virtualem oppositum, & probabiliter etiam quando in-

Digitized by Google

interrumpitur per actũ indifferentẽ. pag. ead. n. 20. & pag. 173. nu. 21. Sufficit tamen si deindè peccator confiteatur tẽpus tantum quo duravit peccatum illud per actionem indifferentem interruptum. pag. 173. num. 22.

Circumstantiæ peccatorum notabiliter aggrauantes probabiliter non sunt confitendæ. pag. ead. num. 1.

Ex Concilio Trid. sunt confitenda peccata mortalia necessariò, & circumstãtiæ, quæ mutant speciem peccati. pag. 174. num. 2.

Patres Concilij Trid. non manifestè deduxerunt, ex verbis Christi, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ circumstantias peccatorum notabiliter aggrauantes esse confitendas. pag. 174. num. 3.

Peccata sunt confitenda secundum speciem, & numerum pag. ead. num. 4.

Qui non confitetur peccatorũ circumstantias mutãtes speciem, relinquit quod spectat ad essentiam peccati. qui verò non explicat circumstantias notabiliter aggrauantes, cessat explicare aliquid, quod est extra essentiam peccati. pag. 175. n. 7.

Qui non explicat numerum peccatorum, sub dubio confitetur quod certò commisit. pag. ead. num. 8.

Qui non explicat circumstantias notabiliter aggrauantes, nullum certũ peccatum inexplicatum relinquit. pag. eadem num. 9.

Peccatum fictionis.

Peccatum fictionis potest committi, vel circa substantiam, vel circa rem seù gratiam Sacramenti baptismatis: primum dicitur fictio intentionis, & vitiat Sacramentum ipsum; secundum dicitur fictio dispositionis, & potest esse, vel negatiua, & supponit ignorantiam in baptizato; vel contraria: quæ est duplex, vel formalis, & directè volita, vt obiectum; vel materialis, & indirectè volita, non vt obiectum, sed vt circumstantia obiecti. pag. 117. num. 1, & 2.

Peccatum fictionis ex defectu dispositionis contrariæ, prout antecedit, est materia Sacramenti baptismi. pag. 117. num. 2.

Prout cõcomitatur, si habeat esse completum ante vltimum instans completiuum baptismi, est etiã materia baptismatis, & non pœnitentiæ. pag. 118. num. 5. Si verò consummatur in eodem instanti quo baptismus completur. probabiliter est materia Sacramenti pœnitentiæ. pag. 119. num. 8.

Peccatum fictionis ex defectu dispositionis, affectiuè antecedit baptismum. pag. 119. nu. 9.

Peccatum originale.

Peccatũ originale nõ est materia Sacramẽti pœnitentiæ, sed baptismi. pag. 113, n. 1.

Peccatum originale est peccatum naturæ, & non voluntatis pag. ead. num. eod.

Ad tollendum peccatum originale per se est institutum Sacramẽtum baptismi. pag. ead. num. 2.

Et si peccatum originale sit impedimentum ad gloriam, quia non est impedimentum à reo positum, idcò talis peccati originalis pœnitere nos non potest. pag. ead. nu. eod. pag. 118. num. 4.

Peccatum originale remittitur per gratiam Sacramenti non iterabilis. pag. 111. num. 12.

Pœna.

Pœna magis latè patet quam censura, cum omnis censura sit pœna, & non è contra. pag. 16. num. 7.

Pœna imposita à confessario non inhabilitat pœnitentem ad ordines suscipiendos. pag. 16. num. 8.

Pœna aliquę, quas imponunt Canones non indigent dispensatione, cum recesserint ab auia. pag. 16. num. 9.

Dies, & pœna, non verò dies tantum interpellat pro homine in mutuo. pag. 36. nu. 6.

Ad pœnam conuentionalem nemo tenetur in conscientia, nisi post sententiam. pag. ead. num. eod.

Pœna in materia assassinij magis debetur mandatario, quàm mandanti. pag. 38. num. 4.

In lege pœnali, etsi sit ratio expressa, & procedat in alium casum, non per hoc pœna ipsa

Digitized by Google

ipsa extenditur ad talẽ casũ.pag.67.n.11.

Pœna est mensura culpæ.pag.219.n.2.

Pœna debetur actioni peccaminosæ exercitè considerata,& non signatè pag.ead.n.5.

Qui excusatur à pœna, præsupponitur commisisse culpam pag.23.nu.6.

Pœnam quæ nullam habet executionem, tenetur reus soluere secundum Vasquez ante sententiam,& oppositum dicere existimatur improbabile.pag.274.nu.1.

Pœna.vide Sacramentum pœnitentiæ.

Pœna est infligenda in vindictam legis, & nemo contra se ipsum tenetur vindicare sicut neq; prodere propriam culpam. pag.278.num.10.

Pœna est delicti seu delictorum satisfactio,quæ à lege, vel à ministro legis imponitur.pag.278.nu.12.

Ad pœnam priuatiuam non tenetur reus ante sententiam iudicis. pag. ead.nu.14. & pag.298.nu.10.

Ad pœnam positiuam ideo nemo tenetur ante sententiam, quia nemo tenetur sibi ipsi inferre damnum, quæ ratio procedit etiam in pœna negatiua.pag.ead.nu.19.

Ratio pœnæ petit, vt delinquẽs priuetur re acquisita, vnde si quis priuetur re acquirẽda per gratiã, priuatur rõne cõditionis nõ adimpletæ,nõ verò in pœnã. p.28.n.36.

Quãdo in lege pœnali apponuntur illa verba,ipsa facto,& absque alia declaratione subintelligitur absque declaratione pœnę non verò culpæ,cum culpa semper sit à iudice declaranda.pag,290.n.61.

Executioni pœnæ debet semper præcedere declaratio culpæ, & de hac declaratione potest dari appellatio.pag.391.n.62.

Pœna ipso facto, & pœna infligenda differunt, primo quia prima pœna non debet expectare sententiam condemnatoriam, sed declaratoriam, at secunda pœna debet expectare condemnatoriã. Secunda differentia est,quia prima pœna facit actus, & si validos, tamen irritandos, secunda vero non. Tertia differentia est, quia hæres criminosi pœnæ ipso facto, requisitus tenetur ad pœnam realem, secus verò hæres criminosi pœnæ ferendæ. pag.291.nu.63.

Priuatus in pœnam ipso facto voce actiua, & passiua, si suffragatur suffragium valet ex dispẽsatione legis,& si teneatur restituere munuscula pro tali suffragio accepta post sententiam. At qui est priuatus per sententiam ferendam,& suffragatur, suffragium valet natura sua,nec tenetur restituere munuscula pro tali suffragio accepta.pag.ead.nu.64.

Pœna imposita contra Doctores malè promotos in Collegio Neapolitano est priuatio aduocationis, & officij. pag. 3. num. 7. Et ideo potest talis malè promotus suffragia dare alijs doctorandis, & ab illis munuscula recipere.pag.ead.nu.eod.

Pœnitens Pœnitentia.

Pœnitens qui confitetur peccata mortalia aliàs ritè confessa,& absoluta, si dolorem primæ confessionis non retractauit, non tenetur elicere nouum actum doloris supernaturalis in secundo Sacramento cõfessionis.pag.147.nu.1.

Pœnitens qui habuit dolorem generalem de omnibus peccatis, si vnius obliuiscatur, quando hoc vnum oblitum confitetur, non tenetur elicere nouum actum contritionis, si prior dolor non fuit retractatus. pag.ead.nu.eod.

Pœnitens qui confitetur peccata venialia tenetur de illis habere dolorem supernaturalem,alias peccat mortaliter pag.ead. num.eod.

Pœnitentis actus sunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ prout sunt à pœnitente.pag.121.n.1.& pag.148.nu.5.

Pœnitens qui confitetur plura peccata venialia tantum, si dolorem habet de aliquibus,& nõ de omnibus,non peccat mortaliter.pag.151.nu.20.

Pœnitens qui decederet ex hac vita cum Sacramento valido,& informi,damnaretur sine noua sua culpa Theologica. pag ead.nu.8.

Pœnitens qui cum attritione confitetur peccata sua seculari putato sacerdoti,non saluatur, quia nullum recipit Sacramentum.pag.ead.nu.9.

Pœnitens qui dolet de peccatis ob speciale motiuum, debet habere propositum vniuersale amplius non peccandi.pag. 156. num.10.

Digitized by Google

Pœnitens qui dolet de peccatis ob speciale motiuum, dicitur dispositus ad Sacramẽtum, & ad gratiam. pag. ead. nu. 11.

Quod pœnitens sit auersus à Deo habitualiter, & conuersus actualiter implicat. pag. 156. nu. 13.

Pœnitens qui habet propositum amplius nõ peccandi, debet se abstinere à peccato materiali, & formali. pag. ead. nu. 14.

Pœnitens qui ex legitima causa nõ cõfitetur peccatũ, dũ alia peccata cõfitetur tenetur de illo habere dolorem. pag. ead. nu. cod.

Pœnitens qui aduertit se habere speciale motiuum de vno tantum peccato, & dubitat de securitate Sacramenti, peccat nisi eliciat actum vniuersalem doloris. pag. 157. nu. 15.

Pœnitens qui mentitur in confessione circa res confessas, vel quas confiteri nõ tenetur, nõ vitiat Sacramentalẽ cõfessionem. pag. 163. num. 1. Quia nec damnum alteri infert, nec lædit ius iudicis interrogantis, cum non teneatur confiteri. pag. ead. num. 2.

Pœnitens si in confessione neget confessario consuetudinem peccandi cum restrictione mentali, vel si neget occasionem proximam ineuitabilem, vel simulat se aliũ commutando vestem, vel vocem &c. aquiuocãdo, facit validam confessionem. pag. ead. nu. 3.

Pœnitens qui in confessione sibi imputat aliquod veniale, vel negat confessario veniale, quod re vera commisit, si præbeat aliam materiam specie diuersam, facit validam confessionem. pag. 164. nu. 4.

Pœnitens qui confitetur peccata mortalia, & venialia simul, & de venialibus nullũ habet dolorem, non facit iniuriam Sacramento. pag. ead. nu. cod.

Pœnitens qui inuincibiliter ignorat se habere præceptum de integritate confessionis, si integre non confitetur, facit Sacramentum validum. pag. 166. nu. 4.

Pœnitens tenetur confiteri peccata secundũ speciem, & numerum. pag. 174. n. 4.

Si pœnitens teneretur confiteri circumstantias notabiliter aggrauantes, teneretur etiam confiteri circumstantias notabiliter minuentes. pag. ead. num. 5. & etiam teneretur confiteri circumstantias durationis, intensionis &c. huiusmodi, cum hæ correspondere possint pluribus peccatis mortalibus. pag. ead. nu. 6.

Pœnitens confitendo circumstantias peccati mutantes speciem, explicat essentiam peccati. At si non confitetur circumstantias aggrauantes, non explicat aliquid extra essentiam peccati. pag. 175. nu. 7.

Pœnitens qui non explicat numerum peccatorum, confitetur sub dubio quod certò commisit, quia furtum vt sic importat vnum, vel duo furta sub dubio; Qui vero non explicat circumstantias aggrauantes, nullum peccatum inexplicatum relinquit, nec sub dubio dicit quod certè cõmisit. pag. ead. nu. 8. & 9.

Pœnitens qui commisit furtum quantitatis notabilis, & dicit confessario se commisisse furtum de decem carolenis, facit nullã confessionem. pag. 176. nu. 12.

Pœnitens qui confitetur ob vnam gloriam non excludit positiuè à sua confessione finem principalem ipsiusmet confessionis. pag. 179. num. 6.

Pœnitens qui pœnitentiam facit in peccato mortali, adequatè satisfacit. pag. 185. à num. 1. vnde si moritur peracta pœnitentia, non erit puniendus pro pœna illa debita ex peccato remisso per absolutionẽ. pag. 187. nu. 9.

Pœnitens non tenetur acceptare pœnitentiã à confessario iniunctam. pag. 189. nu. 1.

Pœnitens non habet præceptum satisfaciendi in Sacramento pœnitentiæ tantum pro pœna temporali debita culpæ remissæ. pag. ead. nu. 3.

Pœnitens qui non vult acceptare pœnitentiã grauem, sed leuem; est absoluendus. pag. 190. num. 9.

Pœnitens qui non vult acceptare pœnitentiã grauem facit, vt Sacramentum pœnitentiæ non remittat totam pœnam temporalẽ peccato in tali Sacramẽto remisso debitã. pag. ead. nu. 10.

Pœnitens potest pœnitentiam acceptatam non facere, & loco illius lucrari indulgẽtiam. pag. ead. nu. 11.

In cap. omnis vtriusque sexus &c. præcipitur tantum confessio semel in anno

non

Digitized by Google

non vero pœnitentiam à confessario iniũctam acceptare.pag.ead.n.12.
Pœnitens qui pœnitentiam iniunctam à confessario facit, liberè satisfacit præcepto iniuncto à confessario.pag.191.n.14.
Si pœnitens pœnitentiam non acceptet, semper iudicium Sacramentale est cum coercitione.pag.192.n.15.
Pœnitens cum pœnitentiam à confessario impositam non acceptat, non est iudex in causa propria, sed sequitur iudicium supremi iudicis.pag.ead.n.16.
Pœnitens qui ita intendit confiteri Petro, vt nolit confiteri alteri, si confessarius non est Petrus, nec confessio, nec absolutio est valida.pag.193.n.18.
Pœnitens qui non vult acceptare pœnitentiam à confessario impositam, sed satisfacere pro peccatis in purgatorio, maximam contritionem indicat.pag.194.n.20.
Pœnitens non tenetur sequi opinionem probabilẽ confessarij: & hoc ideo quia cuilibet subdito licitum est sequi opinionem propriam probabilem contra opinionem sui superioris.pag.221.n.1.
Pœnitens dicitur bene dispositus ad sacramentum pœnitentiæ, quando sequitur opinionem probabilem.pag.ead.nu.4.
Sicut pœnitens tenetur obedire confessario rectà ꝑcipiẽti. sic cõfessarius tenetur absolvere pœnitẽtẽ rectè dispositũ.p.ead.n.5.
Pœnitens qui emisit votum simplex obediẽdi confessario tenetur obedire in materia præcepta sed dubie licita si cognoscit confessariũ doctum, & prudẽtem.p.224.n.1.
Pœnitens qui operatur secundum opinionem confessarii prudentis, est certum, quod nõ peccat.pag.ead.n.2.
Pœnitens qui non obedit confessario cui per votum promisit obedire, facit contra religionem, & contra fidelitatẽ.pag.225.n.6.
Pœnitens si obedit confessario prudenti &c. cui promisit per votum obedire, ad nullum perĩculum se exponit.pag.226.n.10.
Pœnitens qui emisit votum simplex obedientia confessario, huic obedire tenetur si præcipiat ei materiam probabiliter licitam. Nam quod potest pœnitens hic licitè facere, accedente voluntate huius confessarij, tenetur facere.pag.227.n.1.& 2.
Res quæ est sub opinione respectu pœnitentis, qui vouit obedientiam, statim est determinata in ordine ad voluntatem cõfessarij, si præcipiatur, & sic amplius à pœnitente eligibilis res illa non est. pag. 229.nu.6.
Desiderium virtuale, vel actuale pœnitentiæ non est pœnitentia actualis, neque virtualis.pag.155.n.7.
Implicat pœnitentia vera cum actu voluntatis inefficacis.pag.232.nu.2.
Pœnitentia vera debet destruere morale, & non physicum peccati.pag.ead.n.6.

Pensio.

Canonici seu beneficiati tenentur soluere pensionem de moneta currente tempore quo fuit imposita pensio, non de moneta currente tempore solutionis pẽsionis.pag. 49.nu.13.
Pensio bonorum Ecclesiasticorum respicit reditum ipsorum bonorum, & ideo crescit, & decrestit, si bona crescunt, vel decrescunt; quod verum est si non industria pensionarij crescunt.pag.49.nu.14.
Pensio cedit in causam alimentorum. pag. 199.nu.14.
Pensionarij beneficiorum non possunt allegare temporis sterilitatem, & incursus hostium ad finem diminuendi pensionem, si habuerunt reditus vberiores præcedentibus annis.pag.ead.n.15.

Peregrinus.

Peregrini tenentur legibus loci quà transeunt.pag.266.n.1.
Peregrinus dicitur compars etsi non dicatur ciuis loci quà transit.pag.ead.n.eod.
Peregrinus qui habet animum permanendi per maiorem partem anni in aliqua ciuitate, tenetur ad leges illius ciuitatis, non ratione animi, sed ratione communicationis visibilis.pag.ead.n.2.
Peregrinos delinquentes contra leges municipales potest princeps punire.p. 267.n.5.
Peregrini tenentur ad leges loci quà transeunt, maximè si leges illæ vigent in propria patria.pag.ead.nu.7.
Peregrinus qui deliquit contra ius naturale potest puniri à iudice loci in quo deliquit. pag.268.num.9.
Episcopus in votis peregrinorũ nõ trãseuntium per suum Episcopatum potest dispẽsare, & illos in matrimonium cõiungere. p.269.n.12.

Digitized by Google

Peregrinus Græcus tenetur consecrare in fermentato, etiam in Ecclesia latina, & peregrinus latinus in azimis, etiam in Ecclesia græca; quia etsi peregrinantur à patria, nō tamē peregrinātur a ritu, & traditione propria Ecclesiæ. p. ead. n. 12. et 13.

Quia peregrini sunt per accidēs in ciuitate, ideo si à Rege legaretur ciuitas illa, non intelligerentur legati peregrini. pag. 270. nu. 14.

Peregrini possunt absolui à casibus in propria patria reseruatis. si in loco quà transeunt reseruati non sint. pag. ead. n. 16.

Quod verum est etsi in fraudē peregrinati sunt, nempe ad hoc vt absoluerētur. p. 271. nu. 17.

Peregrini vltramontani. si matrimonium cōtrahunt in partibus vbi Concil. Trid. est acceptatum, tenentur contrahere coram parocho, & testibus: citramontani verò in partibus vltramontanis possunt clandestine contrahere. pag. 271. nu. 18.

Quod verum est etiam si in fraudem peregrinarentur. pag. ead. n. 19.

Non potest peregrinos punire iudex loci quà ipsi transeunt, si deliquerunt in alia ditione. pag. 272. n. 20.

Permutatio, seu Permutare.

In permutatione beneficij, rei cum qua permutatur est exprimenda qualitas. p. 23. num. 10.

Temporale cum spirituali permutari non potest. pag. ead. nu. eod.

Permutatio beneficij facta cum ignorantia Pontificis est simoniaca. pag. ead. n. 12.

Pharmacum.

Qui eodem die ieiunij pharcum sumit vt non ieiunet, non peccat contra præceptum ieiunij. pag. 239. nu. 1.

Perpetuum.

Perpetuum dicitur quod durat per totam vitam, vel quod durat per spatium triginta, vel quadraginta annorum, vel quod sine temporis præfinitione est. pag. 51. nu. 17.

Pietas.

Ex virtute pietatis filius tenetur præstare alimenta patri. pag. 95. nu. 2.

Obiectū, Quod, virtutis pietatis est cultus, & obsequiū externum: qui cultus partim consistit in honore deferendo parentibus, & hoc per se; partim in necessarijs vitæ subsidijs, quando ea aliunde non habent, quod est per accidens. pag. ead. n. eod.

Per vnicam actionem potest quis satisfacere pietati, & pœnitentiæ à confessario iniunctæ; quia pietas intendit tantum subleuationem patris à miseria; pœnitentia iniuncta à confessario intendit tantū solutionem eleemosynæ, etiam si subleuatio miseri non sequatur. pag. 97. n. 7.

Magis pia dicitur actio qua satisfit pietati, & religioni, quam actio qua satisfit pietati tantum. pag. 258. nu. 9.

Pietas postponenda est religioni. p. 259. n. 12.

Piscari, Piscator, Pisces.

Vide Venari Venator.

Pisces seu animalia retinentia naturalem libertatem dicuntur res nullius, & ideo fiunt occupantis pag. 305. n. 4.

Qui totam piscationem subtrahit à locis locatis, ladit per accidens ius piscandi, & ideo tenetur ad restitutionem, non pisciū, sed damni illati. pag. ead. nu. eod.

Pisces capti in locis locatis non sunt partes piscationis conductæ. pag. 306. n. 5.

Piscari cum magno detrimento, est piscari venenando aquas. pag. ead. nu. eod.

Piscari non iuridice, & tanquam potestatē habēdo, non est iuridicè piscari. & ideo nō est pretio æstimabile. pag. 307. n. 7.

Qui venatur in locis à principe prohibitis, peccat tantum venialiter præciso damno. pag. ead. nu. 8.

Materia prohibitionis piscationis ex genere suo est parua. pag. ead. nu. eod.

Pontifex.

Pontifex potest auferre equitibus D. Iacobi potestatem testandi. p. 26. n. 9.

Ad pontificem spectat reformare, reducere seu moderare missas in aliquo pio legato relictas. pag. 196. nu. 9.

Possessio, Possidens.

Possessio est necessaria post sententiam definitiuam. pag. 7. nu. 7.

Possessio requiritur ad liberum exercitum iurisdictionis. p. 7. n. 7.

Possidens bona fide rem alienam, quàndo venit in malam fidem tenetur ad restitutionem ratione iniustæ retentionis, non ratione acceptionis. pag. 43. nu. 11.

Non

Digitized by Google

Non potest quis expoliare possidentem sua possione, etiam si ignoret titulum possessionis. pag. 210. nu. 2.

Potestas.

Potestas imperandi, & necessitas obediendi sunt relatiuæ secundum rem, & secundũ modum: & sic potestati imperandi absolutæ correspondet necessitas obediendi absolutè; potestati conditionatæ, & independenter seu ex suppositione correspondet necessitas obediendi ex suppositione. pag. 191. nu. 14.

Præceptum.

Quando concurrunt duo præcepta inenitabilia, fortius seruandum est. pag. 43. nu. 9. Et est faciendum quod est minus peccatũ. pag. 218. nu. 7.

Bonitas in re præcepta non ponitur à præcipiente, sed supponitur. pag. 70. nu. 2.

Præceptum correctionis est affirmatiuum cõtinens obligationem nõ coarctatã ad hoc tempus. pag. 71. nu. 6.

Excusatio præcepti obligationem præcepti supponit, seu præceptum obligare. pag. 90. num. 23.

Quod præcepto fit, pœnale dicitur. pag. 98. nu. 11.

In lege euangelica habemus præcepta, & consilia; hæc important voluntatem, illa necessitatem: consilia dantur de ijs per quæ melius, & expeditius homo potest consequi beatitudinem; præcepta vero dantur de ijs, quæ simpliciter sunt necessaria ad beatitudinem. pag. 104. nu. 2.

Commissio contra præceptum est materia necessaria quantum est de natura sua, & si posset esse voluntaria per accidens, nempe rõne paruitatis materiæ, vel imperfectę deliberationis. pag. 105. nu. 4.

Secundum Suarez nullum præceptum potest obligare hominem, vt se de occultis publicè infamet; pag. 168. nu. 7.

Implicat perseuerantia propositi seruandi omnia præcepta cum omissione obseruãtię illorum. pag. 178. nu. 3.

Præceptum iustum, & sanctum in materia graui obligat sub mortali si est præceptum absolutum, & independens; At si est præceptum modificatiuum alterius præcepti supremi superioris obligat vel ad præceptum modificans, vel ad modificatum. pag. 191. nu. 13.

Cum præcepto potest stare libertas. pag. ead. nu. 14.

Præceptum certum præferẽdum est præcepto dubio. pag. 211. nu. 7.

Præceptum dubium superioris præsupponitur iustum, quando dubium est ex parte modi, vel dubium ex parte materiæ, vel ex parte subditi tantum, non verò præsupponitur iustum quando superior dubitat de sua potestate. pag. 211. nu. 10.

Qui speculatiuè dubitat an aliquid sit cõtra præceptum, tenetur eligere partem tutiorem ex præcepto, non ex consilio. pag. 225. nu. 6.

Præceptum dubium ex parte subditi tantum præsupponitur iustũ simpliciter, & sic connotat certam possessionem in præcipiente. At præceptum opinabiliter iustum connotat probabilem possessionem in mandante; & ideo primo præcepto obediendum est, secundo verò potest non obediri. pag. 229. num. 2.

Præcepto dubio in materia vectigalium subditus non tenetur obedire, quia hæc sunt regulariter iniusta. pag. 231. nu. 9.

Fractio præcepti differt à fuga à præcepto. pag. 235. nu. 1.

Impedimentum præcepti inceptum tempore permisso, & terminatum tempore prohibito non excusat à præcepto. pag. 239. n. 4.

Vide Ieiunium, Confessio, Eucharistia.

Præceptum ieiunij afficit personas, vt partes communitatis, præceptum vero confessionis, & communionis afficit personas vt indiuiduas, pag. 251. nu. 1.

Potest quis per accidens, idest in ordine ad locum, teneri bis seruare vnicum præceptum. pag. 253. nu. 6.

Per præceptum principis determinatur seu articulatur quod est sub præcepto naturali confuso modo. pag. 296. nu. 6.

Vide princeps.

Presbyter, vide Sacerdos.

Præsumptio.

Præsumptio cessat præsente veritate. pag. 33. nu. 19. & pag. 74. nu. 14.

Digitized by Google

Quando cessat præsumptio iuris, & de iure, tunc cessat obligatio legis. pag. 74. à numer. 12.

Præsumptio iuris, & de iure dicitur quando lex habet pro subiecto præsumptionem, vnde fundata in tali præsumptione aliquid statuit, & quod præsumit, verum putat etiam in casu particulari, & indiuiduo. pag. 74. nu. 13.

Lex in præsumptione iuris, & de iure fundata non obligat in conscientia. pag. ead. num. 14.

Præsumptio iuris tantum est quando lex nõ præsumit fraudem aut aliud incommodum in vnoquoque casu particulari, sed videt fraudem possibilem, ad quam euitandam aliquid statuit pag. 75. n. 19.

In his quæ pendent ab animo alterius standum est dicto eius, dummodo contra eum non adsit præsumptio iuris. pag. 319. num. 14.

Pretium.

Pretium naturale monetæ potest recipere magis, & minus, & est pretium massæ vt merx est. pag. 46. n. 2.

Pretium imposititicium monetæ est pretium publicum, & inuariabile, quo appretiantur, & æstimãtur omnes res; & est extrinsecum monetæ prout massa est, & intrinsecum monetæ prout moneta est. pag. ead. num. eod.

Pretium imposititicium moneta prouenit à principe, vel à populo annuente principe. pag. 47. nu. 4.

Idem pretium imposititicium potest esse cum massa monetæ diminuta, & cum massa monetæ iusti ponderis. pag. ead. num. eod.

Iustitia pretij in contractu emptionis est à iure naturali, non à voluntate principis. pag. 298. nu. 11.

Princeps.

Cum consensu principis tantum non currit moneta diminuta, sed requiritur consensus populi, quia hic damnum sentit. pag. 47. nu. 4.

Princeps potest mutare monetam sine consensu populi vrgente aliqua necessitate, sed cessante necessitate tenetur compensare damnum illatum ciuibus. pag. 47. num. 5.

Voluntas principis, & si quid intrinsecum sit monetæ in ratione monetæ, tam vitium moneta non est, & ideo mutuans nõ tenetur eam manifestare. pag. 83. num. 23.

Voluntas principis præsupponitur talis qualis est intentio iuris. pag. 31. nu. 9.

Princeps potest punire peregrinum delinquentem in leges municipales. pag. 267. num. 5.

Voluntas principis est principium obligandi potius in tali materia quam in alia in lege. pag. 297. nu. 8.

Est præceptum latum principibus potestatem habentibus, quod impij sint puniendi. pag. 297. nu. 9.

Princeps tenetur seruare suas leges quoad vim directiuam, idest tenetur ad entitatem legis, non verò ad pœnas, nec quatenus hæc lex est ab ipsomet principe legislatore. pag. 308. n. 1.

Princeps tenetur per se, & non per accidens ad suas leges. pag. ead. nu. 2.

Si princeps non posset obseruare suam legẽ ex affectu obedientiæ, neque venialiter peccaret non abseruando propriam legẽ. pag. 301. nu. 4.

Princeps tenetur obseruare suas leges, sed non ex illo principio Quod tibi non vis, alteri ne statuas. pag. ead. nu. 3.

Princeps tenetur ad proprias leges, sed non quia caput, & vt tale teneatur vniformari cæteris membris. pag. 311. n. 7.

Mon proucnit à volũtate principis & actus humani sint conformes, vel difformes legi positiuæ, & consequenter quod sint boni, vel mali, sed prouenit à lege ipsa naturali diuina, & à natura actus qui si sit conformis legi stabilitæ dicitur bonus, si difformis dicitur malus. pag. ead. n. 10.

Ad principem non extenditur vis coactiua legis, quia vis coactiua indiget auctoritate principis. pag. 212. nu. 11.

A voluntate principis pendet vis directiua legis tanquam à determinante, sed à lege æterna tanquam à causa efficiente: sicut ad põtificẽ spectat determinare hãc propositionem esse de fide, sed quod de fide credatur habetur à reuelatione diuina. pag. ead. num. eod.

Quia

Digitized by Google

Quia princeps tenetur ad legem æternam, & vis legis positiuæ prouenit à lege æterna, ideo princeps tenetur ad propriam legem. pag. 313. nu. 12.

Princeps est pars communitatis per se, & tenetur per se, & non per accidens sequi bonum, & vitare malum. 313. n. 13.

Princeps non tetetur ad vim legis coactiuã, quia non potest sibi ipsi esse inuitus. pag. ead. nu. 15.

Posita determinatione legis à principe, etiam si velit, non potest sibi non esse imposita obligatio à lege naturali. pag. 114. num. 16.

Principem faciendo contra proprias leges peccare venialiter putat Bonacina. pag. ead. nu. 17.

At secundum veriorem sententiam peccat princeps mortaliter faciendo contra proprias leges, si materia præcepta sit grauis. pag. 315. nu. 19.

Princeps in tantum tenetur se vniformare moribus ciuium in quantum mores sunt conformes legi. pag. ead. nu. 22.

Princeps tenetur per se ad legem etsi mediate. pag. cad. nu. eod.

Priuilegium.

Verba omnia in priuilegio apposita debent aliquid operari. pag. 14. nu. 1.

Priuilegium dicitur priuata lex. pag. ead. & nu. eod.

In priuilegijs, & decretis superfluitas est euitanda. p. ead. & n. eod.

Qui officium diuinum hodie non recitat, quia expectat hodie priuilegium, si de facto priuilegium veniat, nullam committit culpam. pag. 264. n. 5.

Prodigalitas, Prodigus.

Prodigus non dicitur, qui non acquirit bona, ad quæ acquirenda nullum habet ius. p. 106. nu. 8.

Prodigus ex prodigalitate tantum non peccat mortaliter, quia hæc ex genere suo peccatum mortale non est. pag. 162. nu. 6. & pag. 276. nu. 13.

Prodigus sub curatore constitutus inhabilis est ad contrahendum. pag. 276. n. 3.

Prodigis dantur curatores ad beneficium ipsorum, quia dantur, vt saluentur patrimonium, corpus, salus, & mores. pag. 275. nu. 11.

Prorex.

Prorex non est supra ius gentium, & ideo nõ potest præcipere, vt quod vni debetur ratione contractus alteri tribuatur. pag. 105. nu. 12.

Proregis mandato in hoc nostro Regno Neapolitano quod soluat vni ex assignatarijs nõ per depositum, nec per ps, & libram gabellarius tenetur replicare, & recurrere ad commissarium sui arrendimenti, & post secundam ordinationem gabellarius tenetur obedire. pag. ead. nu. 13.

Puer.

Pueri non tenentur ad præceptum communionis statim ac ad vsum rationis peruenerunt. pag. 84. à num. 1. per totam resolut.

Puer nouem annorum arguit, hostiam non esse consecratam. pag. 86. n. 12.

Puero moribundo non est deneganda eucharistia per modum viatici, quia præceptum hoc est diuinum, & non speratur à tali puero maior deuotio. pag. 89. n. 20.

Puer obligatus ad præceptum confessionis nõ indiget prorogatione confessarij, vt excusetur à præcepto communionis, sed indicio confessarij ad hoc vt obligari incipiat; nam excusatio à præcepto obligationem præcepti supponit, seu præceptum obligare. pag. 90. n. 22. & 23.

Pueri, & amentes non æquiparantur quo ad obligationẽ legis, quia excluditur obligatio legis ab infantibus p modũ negationis, ab amentibus vero per modũ priuationis, postq ad vsũ rõnis peruenerũt. p. 241. n. 6.

Puer is ante vsum rationis denegatur Eucharistia ex Concil. Trid. quia gratiam baptismalem non amiserunt. pag. 242. nu. n. 82.

Pueri quibus acceleratus est vsus rationis ante septennium tenentur leges humanas seruare. pag. 244. n. 1.

Puer cui accelerata est potentia perfecta discurrendi, naturaliter discurrit, & sic modus tantum recipiendi potentiam perfectam discurrendi est innaturalis. pag. cad. nu. 2.

Puer, cui acceleratus est vsus rationis, tenetur ad annuam confessionem, & communionem secundum Ioannem Sanchez. pag. ead. nu. 5.

Digitized by Google

In puero cui accceleratus est vsus rõnis, accelaratio tantum est per accidens, at discursus per se.pag.245.n.8.

Pueris ante vsum rationis licitum est imponere opera seruilia diebus festiuis. Quia opus seruile prout pendet ab infante non est peccaminosum.pag.246.n.1.& 15.

Licitum est præcipere puero ante vsum rationis, vt carnes comedat die ab Ecclesia interdicta.pag.247.nu.9.

Consulens opus seruile puero ante septennium non peccat.pag.cad.nu.6.

Puero cui acceleratus est vsus rationis, si homicidium committit fit irregularis. pag.261.nu.1.

Vide Infans.

Q

Quadragesima.

QVi singulis diebus quadragesimæ modicum cibum sumit non peccat mortaliter: secus dicendum est si eodem die quadragesimæ pluries parum cibi sumit, tunc enim peccat mortaliter quia effectus,& materia moraliter continuantur.pag.82.nu.12.

R

Relegatus.

RElegatus ad certũ locũ pro tempore ad arbitriũ iudicis, si voluerit cõtrahere matrimonium tenetur contrahere coram parocho relegationis.pag.267.n.4.

Religio, Religiosus, vide Superior.

Emere aditum ad religionem, quæ militia est, licet; non verò ad religionem quatenus religio est.pag.27.n.10.

Religiosi tenentur exequi consilia per accidens, nempe ratione voti. pag. 107. num. 11.

Religiosus infirmus tenetur obedire superiori docto, & non dubitãti si præcipiat ei, vt officium diuinum non persoluat : secus vero dicendum est si sciat superiorem dubitare, vel si sciat ipsum indoctum,& imprudentem.pag.218.nu.3.

Religiosus, qui dubitat de sua sufficientia ad confessiones percipiendas, tenetur obedire superiori docto, & non dubitanti de sua sufficientia si præcipiat, vt confessiones audiat ; Secus vero dicendum est, si superior dubitet, vel sit indoctus, vel imprudens, tunc .n. tenetur non obedire, sed examinare suam sufficientiam, & exire de dubio.pag.ead.num.4.

Qui triduo habitum religionis induit, quasi non induisse dicitur post spoliationem, non vero dum habitum gestat. pag. 268.nu.11.

Superiores religiosorum possunt præcipere subditis, vt non sequantur opinionem probabilem in aliqua re.pag.228.n.3.

Materia voti Religiosorum sunt actus etiã liberi, si ad ipsos actus accedit præceptum superioris.pag.ead.n.eod.

Remissio.

Remissio pœnæ non est ablatio culpæ, nec gratia habitualis, sed est quoddam complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ.pag.183.nu.13.

Remissio culpæ necessario secum affert remissionem pœnæ æternæ, & ideo fit necessario per infusionem gratiæ . pag. 185. num.2.

Res.

Res referibilis in bonum commune est materia legis etsi actu non referatur à legislatore.pag.70.nu.3.

Res dicitur communis, quia communitas habet ius disponendi : & dicitur communis, quia in ea nemo ius habet. In rem communem primo modo potest communitas ius alteri præbere ; at in rem communem secundo modo non potest. pag.305. num.4.

Res nullius dicuntur animalia retinenti naturalem libertatem, & ideo fiunt occupantis.pag.cad.nu.eod.

Reseruatio.

Reseruatio recipit interpretationem à iure. p.6.nu.5.

In reseruatione beneficij quando est annexus terminus transacto termino omnia reducũtur ad ius cõmune: quod militat in omni casu reseruationis . pag. 7. num.6.

Residentia.

Qui non residet dicitur delinquere vbi nõ residet, & sic potest excommunicari ab Episcopo loci in quo non residet.pag. 11. num.71.

Resti-

Digitized by Google

Restitutio, Restituere.

Restitio ex damno illato non debetur nisi damnificatio sit peccatum mortale, prout est à tali damnificante. pag. 42. nu. 3. & 15.

Qui tenetur ad restitutionem ex dãno illato, ideo tenetur, quia consumpsit iniustè bona proximi. pag. ead. nu. 4.

Non obligat ad restitutionem consumptio rei alienæ bona fide inuito domino, nisi ad id in quo consumptor factus est ditior. pag. ead. n. 5.

Qui ad tuendam propriam vitam fugiendo conculcat segetes alienas, ad nullam tenetur restitutionem. pag. 43. n. 8.

Nulla culpa obligat ad restitutionem, nisi sit contra iustitiam formaliter. pag. ead. nu. 10.

Qui credit auferre rem alienam, & aufert sua etsi faciat formaliter contra iustitiã, ad nullam tenetur restituionem ex defectu materia. pag. 44. n. 12.

Qui dormiendo, vel coactè debitum soluit, & si iustitiæ non satisfaciat, ad nullam aliam restitutionem tenetur ex defectu materia. pag. ead. n. eod.

Qui bona aliena consumpsit per actionem iustam secundum suam æstimationem etsi in se iniustam, & peccaminosam ad nullam tenetur restitutionem. pag. 44. num. 13.

Qui mutuo accepit vinum, & tempore solutionis mutui vinum non habet, tenetur restituere pretium vini tempore solutionis mutui, non tempore acceptionis. pag. 48. nu. 9.

Qui mutuo accepit vinum, tenetur vinum restituere tempore solutionis, etiam si vinum tunc sit melioratum. pag. 49. n. 10.

Si restituat vinum nouum, qui mutuo accepit vinum vetus, mutuo non satisfacit. pag. 49. nu. 11.

Dubitans an damnũ sit illatũ à se, ad nullam tenetur restitutionem. pag. 36. n. 5.

Reus.

Reus qui mentitur super patibulo non potest à confessario absolui sub cappa. pag. 54. nu. 2.

Reus secundum Vasquez tenetur luere pœnam qua nullam habet executionem ante sententiam, & oppositum dicere existimatur improbabile ab eodem auctore. pag. 274. nu. 1.

Verum opposita sententia omnino probatur. pag. 274. per totam resolutionem.

Reus non tenetur respondere iudici interroganti de delicto prorsus occulto, maximè si interrogatio tendat ad pœnam. pag. 276. nu. 15.

Reus non tenetur prodere se ipsum. pag. ead. num. 17. & ideo puniri non potest pro delicto super quo non laborat infamia. pag. ead. nu. 18.

Rex.

Vide Litteræ.

Si Rex legaret ciuitatem alicui, in hoc legato non includerentur peregrini illius ciuitatis, quia hi per accidens sunt in ciuitate illa. pag. 270. n. 14.

S

Sacerdos.

Sacerdos qui commisit delictum in sua ciuitate, & deinde ante citationem aufugit extra diœcesim, si dum est extra diœcesim citetur, & ex vi huius citationis excommunicetur, excommunicatio est nulla, & potest hic sacerdos celebrare sine nota irregularitatis. pag. 9. nu. 1.

Sacerdos excommunicatus toleratus potest celebrare ad petiorem amicorum sine vlla necessitate, & ex vi huius celebrationis non peccat, nec est irregularis. pag. 285. n. 40.

Qui sacerdotem, cui non est licitum celebrare, inducit ad celebrandum, peccat mortaliter. pag. 21. nu. 4.

A sacerdote excommunicato tolerato licitum est sacramenta sumere ex vi extrauag. Martini V. pag. 22. nu. 12. Ex qua extrauag. excommunicatus Sacerdos non recipit fauorem celebrando ad petitionem aliorum, sed onus. pag. 24. nu. 17.

Sacerdos excommunicatus toleratus si celebrat ex propria voluntate, & non ad petitionem aliorum, peccat, & fit irregularis. pag. 24. nu. 18.

Qui interest sacro celebrato à sacerdote excommunicato celebrãte ex propria voluntate, & non ad petitionẽ aliorum, non pec-

Digitized by Google

peccat.pag.24.num.19.
Sacerdos qui nunquam celebrat, non peccat mortaliter per se; potest tamen peccare per accidens, nempe ratione scandali, vel si de hac celebratione habeat præceptum, vel si ex consuetudine reputentur improbi, & Rei Sacerdotes nunquam celebrantes.pag.106.nu.9.
Sacerdos qui principaliter celebrat pro stipendio si debitè celebrat, non peccat.pag. 179.nu.6.
Sacerdos qui breuiariũ proiecit in mare prima die lõgæ nauigationis si se cõterat, vel confiteatur peccatum proiectionis, non tenetur confiteri omissiones recitationis sequentium dierum.pag. 232. num. 1.

Sacramentum.

Quidquid est essentialiter sacramentum, significat, & significando producit gratiã. pag.122.nu.4.
Minister sacramentorum non semper debet esse distinctus ab eo, cui sacramentum ministratur. Quia in sacramento matrimonij non distinguitur minister ab ijs, qui sacramentum recipiunt.pag.123.n.6.
Licitè, & cum fructu possum accedere ad sacramentum, accedendo cum intentione recipiendi eum fructum ad quem producendum tale sacramentum est institutum.pag.226.n.2.
Ad iustificationem extra sacramentum requiritur contritio, & consequenter perfecta conuersio; at ad iustificationem in sacramento sufficit attritio, quia attritus est iam dispositus ad sacramentum. pag. 227.nu.8.
Nec acetum putatum vinum, nec panis putatus triticeus, nec aqua putata, & non vera possunt esse materia sacramentorum.pag.134.nu.10.
In materia sacramentorũ bona fides excusat suscipientem, & ministrum à culpa, nõ vero reddit materiam ineptam aptam pro sacramento.pag.ead.nu.11.
Christus Dominus in institutione sacramẽtorum nullam habuit coactionem. pag. 135.nu.9.
Defectus commissus circa essentiam sacramenti semper reddit sacramentum nullum; siue sit commissus cum culpa, siue sine.pag.136.num.22.
In materia sacramentorum voluntas facti non reputatur pro facto apud Deum. pag.139.n.8.
Sacramentum est compositum morale, & cõsequenter ad hoc vt sit, sufficit si eius partes sint moraliter.pag.140.n.14.
Materia virtualis non sufficit in sacramentis.pag.ead.n.12.
Actiones sacramentales, quæ fiunt à ministro sacramenti debent fieri ex intentione sacramenti, non vero quæ fiunt à non ministro.pag.ead.nu.14.
Quia per sacramentum vnusquisque consecratur Deo, & nemo debet consecrari inuitus, ideo sacramenta non sunt danda inuito.pag.145.nu.15.
Qui sacramenta recipit, non agit, sed recipit.pag.ead.nu.eod.
Materia remota, ex qua sacramentorum habentium materiam perseuerantem põt iterũ, & iterũ assumi pro alijs sacramentis.pag.148.n.5.
Sacramentum validum, & informe est sacramentum cum suis partibus essentialibus sine effectu, qui est gratia sacramenti. Vnde qui hoc sacramentum recipit, tenetur tantum remouere impedimentum gratiæ, non tamen iterum recipere sacramentum illud.pag.153.n.1.
In sacramentis forma debet proportionari materiæ, non quoad omnia, sed tantum quoad certitudinem.pag.160.n.5.
Pars sacramenti, sicut & sacramentum ipsum, non potest producere effectum ad quẽ significandum non est institutum. pag. 183.nu.12.
In materia sacramentorum qui licitè potest, tenetur succurrere indigenti. pag. 221.nu.3.

Vide Excommunicatus, & Excommunicatio.

Sacramentum est signum sensibile &c. & ideo costare debet ex materia, & forma sensibili.pag.54.n.3.
Materia dubia sacramenti potest quis vti vrgẽte necessitate, at nõ tenetur ex vi sacramenti, sed ex vi charitatis erga salutem proximi.pag.100.nu.5.
Vsus Ecclesiæ non potest instituere materiã sacramentorum.p.102.n.13.

Digitized by Google

In sacramento pœnitentiæ iudicari nõ põteſt, etſi velit Chriſtianus innocẽs, vel peccans materialiter, nec infidelis poſtquam venit ad fidem, de peccatis commiſſis tẽpore infidelitatis. p. 109. n. 4.

Sacramentum pœnitentiæ in tantum infundit gratiam, in quantum remittit peccata, vel formaliter vel virtualiter, & ſic dicitur ſacramentum mortuorum. pag. 112. num. 15.

Sacramentum pœnitẽtiæ eſt inſtitutũ per ſe ad reconciliandum hominem cum Deo, & ad acquirendam amicitiam diuinam; quæ poteſt magis, & magis augeri. pag. ead. nu. 16.

Non eſt materia ſacramenti pœnitentiæ peccatũ originale, nec actuale cõmiſſum ante baptiſmum. p. 113. n. 1.

Vbi non eſt materia proxima ſacramenti pœnitentiæ, ibi forma eſſe non poteſt. pag. ead. nu. 2.

Sacramentum pœnitentiæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, quia illa indigent peccãtes poſt baptiſmum. p. 114. nu. 5.

Non ſunt materia ſufficiens ſacramẽti pœnitentiæ peccata commiſſa ante baptiſmum, & ſi de ijs habeatur contritio. pag. 115. nu. 9.

Gratia producta à ſacramento pœnitentiæ eſt per ſe primò, & directe deſtructiua ſaltem in actu primo peccati in tali ſacramento expoſiti, & quia non poteſt per ſe primò, & directe deſtruere peccatum commiſſum ante baptiſmum, ideo neq; poteſt per ſe ſecundò. p. 115. n. 10.

Sacramentum pœnitentiæ dicitur iudicium voluntarium, quatenus voluntariè peccator confitetur peccata ſua. At dicitur iudicium neceſſarium quoad electionem iudicis competentis ſeu medij conuenientis. pag. 115. nu. 13.

Iniuria facta vni individuo ſacramento pœnitentiæ remittitur nõ per idem ſacramentum pœnitentiæ, ſed per aliud individuum ſacramentum pœnitentiæ. pag. 119. nu.

Actus pœnitentis prout ſunt à pœnitẽte ſũt materia remota, et non proxima ſacramẽti pœnitentiæ. p. 125. n. 1.

Miniſter ſacramenti pœnitentiæ eſt tantũ ſacerdos. p. ead. n. 3.

Pœnitens non poteſt ſibi ipſi miniſtrare ſacramentum pœnitentiæ. pag. 122. n. 5.

Verba abſolutionis ſacramentalis iocosè prolata à ſacerdote nullam vim habent. pag. 124. n. 10.

Verba miniſtri abſoluentis prolata cum intentione abſoluendi, etiam ſi non præceſſit dolorosa confeſſio, ẽper dicuntur prolata ex delegatione, & nomine Xpi. p. 125. n. 11.

Attritio cognita, vt attritio ſufficit pro materia ſacramenti pœnitentiæ. p. 126. n. 1.

Sacramentum pœnitentiæ eſt per ſe inſtitutum ad remittenda peccata commiſſa poſt baptiſmum. pag. ead. n. 2.

In ſacramento pœnitentiæ correſpondẽtia, quæ debet eſſe inter dolorem, & confeſſionem, conſiſtit in habendo dolorem eorum, quæ ore quis confitetur. p. 127. n. 7.

Quod cum ſacramento pœnitentiæ teneatur quis in articulo mortis elicere actum contritionis, nullibi eſt expreſſum præceptum. p. 128. nu. 12.

Dolor qui ſufficit in ſacramento pœnitẽtię, eſt dolor qui excludit omnem volũtatem peccandi pag. 132. n. 4.

Qui accedit ad ſacramentum pœnitentiæ cũ dolore naturali cognito, peccat mortaliter, quia intendit irritare finem ſacramenti. p. 133. n. 9.

Iudicium ſacramentale pœnitẽtiæ, etſi videatur humanum, tamen eſt diuinũ, quia in eo homo ſe gerit, vt inſtrumentum, & miniſter Dei. p. ead. n. 12.

Dolor naturalis quãtumuis putatus ſuper naturalis non ſufficit pro materia ſacramenti pœnitẽtiæ. p. 132. n. 3. & p. 138. n. 5.

Dolor de peccatis eatenus eſt materia, & pars ſacramenti pœnitentię, quatenus regitur ad remiſſionẽ peccati. p. 135. n. 17.

Si pro materia ſacramenti pœnitentiæ ſufficeret dolor naturalis, deberet dici q; hic dolor eleuetur ad producendam gratiam, quia aliæ materiæ naturales aliorum ſacramentorum eleuantur ad gratiæ productionem. p. ead. n. 18.

Sacramẽtũ pœnitẽtiæ eſt iudiciũ nõ tãtũ punitionis quãtũ recõciliationis. p. 136. n. 20

Dolor de non habẽdo dolorem non ſufficit pro materia ſacramẽti pœnitẽtiæ, tũ quia talis dolor cõſumatur in deſiderio dolẽdi, tũ qa talis dolor nõ conuertit hominẽ ad Deũ, ſed ad dolorẽ. p. 139. n. 6. 7. & 8.

Digitized by Google

Dilectio Dei super omnia non sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ. pag. ead. nu. 9.

Voluntas confitendi, & recipiendi absolutionẽ nõ sufficit pro materia sacramenti pœnitentiæ. pag. 340. nu. 12.

Dolor perseverans virtualiter sufficit pro materia sacramenti pœnitentiæ. pag. 140. nu. 13.

Dolor habitualis est sufficiens materia sacramenti pœnitentiæ. pag. 140. n. 15.

Dolor quantumuis intensissimus, & de recenti factus, nisi sit sensibilis, non sufficit pro materia sacramenti pœnitentiæ. pag. ead. nu. 16.

Vide in verbo Dolor, Confessio.

Narratio peccatorum non facta per viam accusationis, & in ordine ad absolutionẽ, non sufficeret pro materia in sacramento pœnitentiæ. pag. 143. n. 7.

Sacramentum pœnitentiæ potest considerari, vel vt iudicium, vel vt cõdonatio offensæ, in vtraque consideratione connaturalius est confessionem oriri ex dolore, quam è contra. pag. 144. nu. 12.

Qui recipit absolutionem in sacramento pœnitentiæ debet habere voluntatem recipiendi illam, quia per talem absolutionem Deo consecratur; At dum dolet de peccatis, non debet necessario habere intentionem confitẽdi, sed sufficit si habeat intentionem dolendi. p. 145. n. 15.

Sacramentum pœnitentiæ est per modum iudicij, & dicitur iudicium voluntarium quando fit de peccatis mortalibus confessis, & absolutis. p. 149. n. 9.

Non datur sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, ex defectu extensionis, & intensionis doloris. p. 154. n. 4.

Sacramentum pœnitentiæ validum, et informe ob defectũ doloris, potest prouenire ex entitate doloris, & est quando quis credit habere dolorem supernaturalem, & habet dolorem naturalem tantum. Secundo ex intensione doloris, & est quando quis habet dolorem, sed non ita intensum, vt requiritur ad recipiendam gratiam. Tertio potest prouenire ab extensione doloris, & hoc dupliciter, primò si pœnitẽs doleat de peccatis specie diuersis sub motiuo specifico, seu particulari cuiusque peccati, si obliuiscatur confiteri vnum peccatum, facit sacramentum validum, & informe; secundo si pœnitens habeat memoriam plurimorum peccatorum; et de illis doleat & confiteatur, si re vera habeat alia peccata quorũ non se pœnituit, nec confitetur facit etiam sacramentum validum, & informe. pag. 153. n. 2.

Dolor requisitus ad essentiam sacramenti pœnitentiæ debet efficaciter tendere ad obtinendum reconciliationem peccatoris cum Deo, & ideo virtualiter includit efficacem voluntatem se reconciliandi cũ Deo. p. 153, n. 3.

Desiderium virtuale, vel actuale pœnitentiæ non est pœnitentia actualis seu virtualis. pag. 155. nu. 7.

Quia per propositum amplius non peccandi interrumpitur peccatum habituale, non vero per alia sacramenta, ideo alia sacramenta dantur informia, non vero sacramentum pœnitentiæ. p. 157. n. 17.

In sacramento pœnitentiæ est dolor sufficiens, si conuertit pœnitentem ad Deũ, & auertit à creatura. pag. 156. n. 12.

Casus effictus à Suarez de sacramento valido, & informi, existimatur impossibilis à Fagundez. p. 158. nu. 18.

Sacramentum validum, & informe ratione intensionis doloris opponitur doctrinæ Cõcilij Trid. p. ead. n. 20.

Propositum requisitum in sacramento pœnitentiæ de venialibus non est vniuersale. eag. ead. n. eod.

Ad sacramentum pœnitentiæ admittũtur muti. p. 159. nu. 3.

Confessio per signa voluntariè facta sufficit in sacramento pœnitentiæ, nec peccat qui taliter confitetur, etsi possit voce confiteri. p. 159. à nu. 1.

Oris confessio in sacramento pœnitẽtiæ requisita, accipitur pro omni signo q̃ explicat statũ seu peccata pœnitẽtis. p. ea. n. 4.

Minister sacramenti pœnitentiæ qui absoluit cum alijs verbis, & non cum cõsuetis nempe Ego te absoluo &c. nõ peccat mortaliter, si sine scandolo faciat. p. 160. n. 9.

Vide in verbo Confessio.

Forma sacramenti pœnitentiæ fertur circa pœnitentem, quem significat absolutum. pag. 164. nu. 6.

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum pœnitentiæ in tantum debet conferre gratiam, in quantum delet culpam mortalem, quæ lege ordinaria nõ remittitur sine gratia. p.183.n.9.

Sicut sacramentum pœnitentiæ, ita & pars ipsius, q̃ significat, q̃ducit. p.ead.n.10.

Desiderium virtuale, vel actuale pœnitentiæ non est pœnitentia actualis, vel virtualis. pag.155.n.7.

Finis principalis sacramenti pœnitentię est remissio culpę, et pœnę. p.189.n.6

De essentia sacramenti pœnitentiæ habemus præceptum, non vero de satisfactione sacramentali. pag.190.n.8.

Tam essentia quam integritas sacramenti pœnitentiæ est à Christo Domino instituta, sed hæc sub disiunctione, non vt simpliciter necessaria, essentia vero vt simpliciter necessaria. pag. 192.nu.17.

Sacramentum Pœnitentiæ.

Signum externum, quod est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, debet esse à contritione, seu ab interno dolore tanquam à causa secundum aliquos Doctores. pag.55.n.4.

Opposita sententia est probabilior, quam sequor. pag.141.à nu.1.

Actus externi indifferentes debent esse effectus pœnitentiæ interna, vt ipsam significare possint secundum Coninch. pag.55.nu.4. oppositum tamen vt probabilius sequor. p.142.à nu.2.

Signum externum ad hoc vt sufficiat sacramento pœnitentiæ pro materia necesse est, vt reus non possit aliter explicare statum suum secundum communiorem opinionem. p.55.n.6.

Concilium Tridentinum requirit à pœnitente confessionem secundum hic, & nunc possibilem. p.ead.n.cod.

Sacramentum pœnitentiæ est per modum Iudicij. p.57.n.7.

Signum sensibile externum sufficit pro materia, & est à confessario admittendum in sacramento pœnitentiæ, non quia signum hoc explicat statum pœnitentis, sed quia pœnitens non potest aliter explicare statum suum. p.56.n.8.

Confessio per signa cũ possit voce explicare pœnitens statum suũ, nõ est admitẽda secundũ opinionẽ multorũ. p.ead.n.eo. et si opposita sententia sit probabilissima, & ego eam sequor. p.159.à n.1.

Signũ insufficiens pro materia sacramenti pœnitentiæ non fit sufficiens ratione bonæ fidei. p.56.n.9.

Qui cognoscit se indigere absolutione sacramentali, cognoscit se esse in peccato. p. ead.nu.10.

Non violat præceptum confessionis seu pœnitentiæ, qui non confitetur in fine anni consilio confessarij. p.84.n.3.

Qui non est in peccato mortali, non tenetur ad præceptũ confessionis annuæ. p.85.n.4.

Cap. omnis vtriusq; sexus præcipiendo annuam confessionem intendit determinare tempus post peccatum mortale commissum. pag.ead.nu.6.

Maior discursus requiritur ad confessionẽ quam ad communionem. pag.86.n.9.

Poterat Christus Dominus instituere pro materia sacramenti pœnitentiæ peccata dubia, sed de facto nõ instituit. p.102.n.12.

Vsus Ecclesiæ non potest instituere materiã sacramenti pœnitentiæ. Nec indicauit, peccata dubia esse materiam necessariã vel voluntariam sacramenti pœnitentiæ. pag.ead.nu.13.

Fauori animarum cõducit, vt materia sacramenti pœnitentiæ extendatur; non vero quod extendatur obligatio confitendi, quia hoc est odiosum. p.ead.n.14.

Non omnis contritio est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, sed contritio de peccatis commissis post baptismum, & ideo contritio de omissione consiliorum nõ est contritio sufficiens pro sacramento pœnitentiæ. pag.107.nu.12. & p.109.n.5.

Omissiones consiliorum possunt esse per accidens materia sacramenti pœnitentiæ. p. ead.nu.13.

Peccata confessa, & absoluta possunt esse materia sacramenti pœnitẽtiæ. p.110.n.1.

Sacrilegium.

Sacrilegia differũt specie si sanctitates obiectorũ differũt specie; differunt numero si sanctitates differunt numero. p.17. n.13.

Sacrum.

Vide Missa.

Satisfactio sacramentalis.

Pœnitens confessus, & absolutus potest

Digitized by Google

dare patri indigenti eleemosynam à confessario pro satisfactione sacramentali impositam, vt det pauperibus; quia inter pauperes includũtur omnes qui tales dicũtur respectu pœnitẽtis, et pater cui tenetur filius alimenta præstare, & si non dicatur pauper respectu aliorum, dicitur tamen pauper respectu huius pœnitẽtis. pag. 96. à nu. 1.

Per vnicam solutionem potest quis satisfacere pœnitentiæ à confessario iniunctæ, & pietati. pag. 97. n. 7.

Satisfactio præcepta à confessario in sacramento pœnitentiæ suscipit quod sit libera secundum respectum quem dicit, etsi secundum entitatem ipsam libera non sit. Sic pœnitens eleemosynam sibi à confessario iniunctam pro pœnitentia sacramentali potest tribuere extremè indigenti. pag. 97. n. 8.

Eleemosyna tributa patri indigenti secundum quod dicit sublevationem patris à miseria, est actus pietatis, & non est præcepta à confessario sed à pietate: secundũ quod dicit solutionem, vt sic, non est præcepta à pietate, sed à pœnitẽtia per cõfessarium iniuncta. pag. ead. nu. 9.

Non implicat aliquem reportare commodũ ex satisfactione sacramentali à confessario iniuncta. pag. 98. nu. 11.

Potest à confessario iniungi pro pœnitentia sacramentali opus debitum, vel ex præcepto Ecclesiæ, vel ex præcepto iustitiæ, quia quod ex præcepto fit, pœnale dicitur. pag. 98. nu. 12.

Satisfactio potest significare reparationem in bonis, vel in fama; reparationem maiestatis læsæ, & amicitiæ læsæ. pag. 181. num. 1.

Satisfactio amicitiæ læsæ & maiestatis læsæ differunt, nam illa requirit actum liberũ offensoris, satisfactio maiestatis læsæ potest esse cum actu libero & sine; et si sine actu libero dicatur satispassio. pag. ead. nu. 2.

Vnico actu læditur amicitia, & auctoritas superioris, non tamen vnico actu satisfit vtrique. pag. ead. nu. 3.

Pro læsione amicitiæ non potest homo Deo satisfacere; tamen restituta amicitia Dei, potest ipse ad æqualitatem satisfacere pro iustitia læsa. pag. ead. n. 4.

Satisfactio sacramentalis est recompensatio ex opere operato pœnæ temporalis Deo debitæ, ratione offensæ præteritæ iudicio confessarij taxata. pag. 182. nu. 5.

Satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ integralis, non tamen causat gratiam iustificantem ex opere operato. pag. eadem. num. 6.

Satisfactio deseruit in sacramento pœnitentiæ ad remittendam pœnam temporalem proucnientem ex culpa. pag. ead. n. 7.

Si satisfactio causaret aliquod augmentũ gratiæ iustificantis, posset etiam iustificare impium attritum. pag. 183. nu. 11.

Satisfactio tollit reatum pœnæ debitæ ex culpa, & ideo est pars sacramenti pœnitẽtiæ. pag. ead. nu. 13.

Si satisfactio adæquata præcedat sacramentum pœnitentiæ, sacramentum producit maiorem effectum gratiæ, non quia satisfactio præcessit, vt pars sacramenti, sed quia præcessit, vt dispositio ad sacramentum. pag. 184. n. 14.

Satisfactio sacramentalis habet remittere pœnam temporalem ex opere operato; mederi verò, & curare habet ex opere operantis: sic ieiunium curat luxuriam, eleemosyna auaritiam &c. pag. 184. n. 15.

Satisfactio sacramentalis remittit ex opere operato pœnam temporalem debitã peccato remisso etiam si in peccato fiat. pag. 185. nu. 1.

Satisfactio sacramentalis significat pœnam in purgatorio luendam. pag. ead. n. 3.

Satisfactio imposita, vt talis à sacerdate, est præceptum humanum, & ideo non obligat ad modum. pag. ead. nu. 4.

Satisfactio remittit pœnam temporalem ex opere operato, ex eo quia est pars sacramenti pœnitentiæ; & est pars quando est punitio voluntaria à iudice imposita &c. pag. 186. nu. 5.

Satisfactio sacramentalis facta in peccato mortali statim habet effectum suum, remittendi scilicet pœnam temporalem debitam peccato remisso per absolutionem. pag. 186. nu. 6.

Satisfactio sacramentalis secundum pœnã tempo-

Digitized by Google

temporalem spectat ad iustitiam commutatiuam, cum spectet ad maiestatem læsam, non ad amicitiam læsam. pag. ead. nu. eod.

Satisfactio sacramentalis operatur non ex dignitate operantis, sed Christi. pag. ead. num. 7.

Qui satisfactionem sacramentalem in peccato mortali peregit, si moritur, non erit iterum puniendus pro illa pœna. pag. 187. num. 9.

Satisfactio remittit pœnam temporalem debitam peccato remisso per absolutionem non ex vi satisfactionis vt talis, sed ex virtute partium essentialium sacramenti pœnitentiæ. pag. ead. nu. 11.

Satisfactio remouet impedimentum ad gloriam quantum est ex parte sua, etiam si in peccato fiat. pag. ead. n. 13.

Satisfactio est imposita ob bonũ pœnitentis, cum deseruiat loco pœnæ temporalis debitæ in purgatorio. pag. 189. n. 5.

De satisfactione sacramentali non habemus præceptum diuinum, quia si quis antequam sacramentum pœnitentiæ recipiat, adæquate maiestati læsæ satisfaciat, non tenetur in sacramento satisfacere. pag. 190. nu. 8.

Potest quis pœnitentiam sacramentalem acceptatam non facere, & loco illius lucrari indulgentias. pag. ead. n. 11.

Scandalum.

Si scandalum abest, innocens probatus nocens, & vt talis excõmunicatus. põt se non abstinere à communione fidelium . pag. 75. num. 15.

Qui scandalizat proximum peccat, quia cooperatur ad ruinam spiritualem ipsius: sic qui in ruina spirituali proximum cõseruat. pag. 223. nu. 11.

Schedula.

Schedula relicta, & firmata manu testatoris, si non fuit lecta, & publicata ab ipso testatore, non tenet, etiam ad pias causas. p. 78. nu. 26.

Scrupulum.

Appellare scrupulum id quod est manifeste malum, periculosum est. pag. 137. num. 25.

Sensus.

Quod sensibus patet, remittendum non est arbitrio alterius, quia sensus habent perfectam cognitionem. pag. 257. n. 13.

Simonia, & Simoniacus.

Simoniam non committit qui emit cedulam habitus D. Iacobi. p. 25. n. 1.

Et licet emat cedulam, vt ascribatur in illa militia, quæ sub voto est, tamen non emit eam quatenus sub voto est, & sic nõ committit simoniam, cum emat aliquid temporale, quod sub voto est . pag. 26. num. 4.

Simoniam committit, qui emit cedulam D. Iacobi prout dicit respectum ad vota, & sic non potest nec vẽdi, nec emi prout dicit talem respectum. pag. 27. n. 11. & 15.

Simoniam committit, qui accipit aliquid pro patronatu. p. 27. n. 17.

Simoniam non committit, qui ceram benedictam, vel calicem consecratum vendit. p. 27. nu. 13.

In simonia materia est attendendus finis proximus, & non remotus. pag. 27. num. 3. & 13.

Et ideo pro patronatu nihil licet accipere quia finis proximus est quid spirituale. p. 27. n. 13.

Simoniã cõmittũt secũdũ opinionem aliquorum Canonici, qui choro intersunt principaliter pro lucro temporali, & confessarij, qui confessiones audiunt cum fine vltimo lucrandi, & qui beneficium confert famulo, vt famulatum præstet . pag. 28. num. 14.

In simonia finis actus est distinctus à fine obiecti. p. 28. nu. 15.

Et finis proximus intentionis est vltimus exequutionis. p. 28. n. 16.

Simoniam non committit qui pro laboribus assumptis ad consequendam cedulam D. Iacobi aliquid recipit, si excedit labores, & qui eam obtinet, intendit donare. pag. 28. n. 17.

Simoniam committit qui permutat beneficium sine authoritate superioris. pag. 30. num. 1.

Simonia non committitur quando permutatio beneficiorum fit authoritate superioris. pag. 3. nu. 1.

Extra-

Digitized by Google

Extrauagãs Cum detestabile *&c. est intelligenda de simonia reali, non de conuẽtionali. pag. 33. nu. 16.*

Prouisio facta per simoniam conuentionalẽ nulla est, ex can. ea quæ p. q. 3. & ex Bulla Pÿ V. super reformatione pœnitentiariæ. p. ead. nu. 17.

Simoniacus non potest percipere fructus à beneficio per simoniam obtento. pag. ead. n. eod.

Qui simoniacè beneficium obtinuit bona fide, & per triennium tale beneficium possedet etiam bona fide, potest bona conscientia beneficium illud retinere in posterum sine noua dispensatione, ex regula de triennali. pag. 34. n. 40.

Qui fragmentum Eucharistiæ, vel guttã olei sancti pretio vendit, simoniam committit. p. 81. n. 10.

Simoniacus nõ tenetur beneficia prius obtẽta resignare, sed potest tuta cõsciẽtia retinere, & eorum fructus exigere vsque ad sententiam declaratoriam culpæ. pag. 283. nu. 37.

Simoniaci non sunt absoluendi, nisi resignẽt beneficia per simoniam obtenta, & fructus inde perceptos, non vero alia ritè obtenta. pag. 289. n. 53.

Spes.

Actus spei per se non opponitur peccato, vt sic, sed desperationi, & ideo cùm spe potest esse simul peccatum. p. 145. nu. 6.

Actus spei dicit tantum desiderium efficax gloriæ, & consequenter etiam desiderium mediorum ad gloriam. p. 155. n. 7.

Sponsalia. Sponsus

Sponsalia de futuro per copulam formalem subsequentem transeunt in legitimum matrimonium, hoc tamen intellige si copula formalis subsequatur, nam si subsequantur oscula, tactus, & etiam defloratio sine seminatione in vase legitimo &c. sponsalia non transeunt in legitimum matrimonium: quod verum non est si copula antecesserit; hæc tamen doctrina vera est vbi concilium Tridentinum non est receptum, at vbi receptum est verificatur de matrimonijs contractis sub conditione. p. 74. n. 13. 14.

Qui post sponsalia de futuro accedit cum animo fornicario ad sponsam, sponsalia non transeunt in absolutum matrimonium; & si contrahit absolute cũ alia, hoc secundum tenet. p. 74. n. 14.

Subditus. Vide Superior.

Subditus absens non tenetur ad leges suæ patriæ. pag. 10. nu. 6.

Quando subditus certò scit superiorem dubitare, an res præcepta excedat suam potestatem, non tenetur obedire. p. 211. n. 8.

Subditus quidquid potest licitè, tenetur exequi accedente præcepto superioris habentis potestatem absolutam, non vero probabilem præcipiendi. p. 212. n. 15.

Subditi operatio practica habet eandem honestatem, quam habet operatio practica superioris in præcipiendo. p. 215. n. 6.

Subditus tenetur obedire superiori docto, & prudenti si sciat superiorem non dubitare de materia quam præcipit. At tenetur examinare præceptum latum à superiore indocto, & imprudenti etiam si sciat talẽ superiorem non dubitare de materia præcepta, si subditus dubitat an sit licita. pag. 216. n. 6.

Subditus tenetur examinare præceptum latum à superiore indocto, & imprudenti, quando dubitat an sit contra præceptum naturale, vel diuinum, vel supremi superioris. pag. 217. nu. 2.

Subditus, & superior habent præceptum non operandi cum dubio practico. p. ead. n. eod.

Subditus qui in operando sequitur opinionẽ superioris existimantis probabiliter operationem illam esse peccaminosam, peccat. pag. 220. n. 6.

Subdito licitum est sequi probabilem opinionem contra opinionem superioris. pag. 221. num. 1.

Subditus non tenetur soluere gabellas opinabiliter iustas. pag. 229. n. 1.

Subditus non tenetur soluere gabellas dubie iustas. pag. ead. n. 3.

Subditus non tenetur se conformare iudicio superioris quando agitur de interesse ipsius subditi. p. 231. n. 7. & 9.

Subditus qui scit rationes probabiles superioris imponendi gabellas, si habeat etiam rationes pro se probabiles, non tenetur ipsas soluere: Sic etiam dicendum est si

Digitized by Google

si formaliter dubitat. secus vero dicendũ est si habeat rationem pro superiore, & nullam pro se.p.ead.n.8.

Subditus tenetur parere præceptis dubijs superiorum, sed non in materia vectigalium, cum hæc regulariter sint iniusta, nõ verò alia præcepta.p.268.n.9.

Nemo fit subditus alteri quoad inquisitionem, nisi ratione originis, domicilij, & delicti, secus verò dicendum est in ordine ad obligationem legis.p.ead.n.10.

Subditus potest vendere vltra taxam principis quando hæc nõ est iusta.p.298.n.11.

Superior.

Superior non tenetur reddere rationem subditis de præcepto imposito.p.211.n.5.

Vide Subditus. Præceptum

Quando superior dubitat, & præcipit, operatur cum dubio practico, & si superiori cum tali dubio præcipienti subditus non obediat, non operatur cum dubio practico. pag.112.num.11.

Superior qui operatur cum dubio practico, non sequitur partem tutiorem.p.ea.n.12.

Quando dubitamus an materia præcepta sit licita; dubitamus etiam de potestate superioris an se extendat ad talem materiam.pag.216.n.1.

Superioris auctoritas non potest facere quod res, q̃ illicita est in se, sit licita.p.ead.n.co.

Superior non potest punire subditum sequentem opinionẽ probabilem cõtra opinionem ipsiusmet superioris.p.219.nu.1.

Superior religionis potest præcipere subdito vt non sequatur opinionem probabilem, & de facto Generales Franciscanorum in suis definitorijs, capitularibus iubent prouincialibus ne sequantur opinionem Nauarri in dando licentiam monialibus vt exeant è clausura ratione infirmitatis periculosæ, & insanabilis in ipsa clausura.pag.228.n.3.

Superior non potest præcipere sub pœna excõmunicationis, vt quis reuelet propriũ delictum occultum absolute: potest tamen disiunctiue, nempe aut reuelet, aut incidat in excommunicationem, non quia se non reuelauit, sed quia facinus commisit.p.276.nu.20.

Suspensio Suspensus.

Suspensio duplex, ab officio s. & à beneficio.

Suspensus ab officio, illicitè, & si valide exercet suum officium ante sententiam: suspensus vero à beneficio facit fructus suos, & exercere potest omnia iura vsque ad sententiam declaratoriam iudicis.p.287.n.48.

Confessarius suspensus, sed nõ nominatim denunciatus, si absoluit, valide absoluit. p.288.nu.49.

Collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto valet.pag.ead.n.50.

Qui tempore suspensionis, vel interdicti beneficium obtinuit, ablata suspensione potest illud retinere.p.ead.n.eod.

T

Testator, Testamentum.

Lex præcipiens solemnitates in testamentis, testamentum annullat, etiam si præsumptio cesset.p.75.n.16.

Testamẽtum nullum in foro fori ex defectu solemnitatum est etiam nullum in foro conscientiæ.p.76.n.17.

Ius positiuum potest inhabilitare ad simpliciter, & ad taliter testandum.p.ea.n.eod.

Testamẽtum non subscriptum à testibus est nullum ex defectu volũtatis testatoris, qua inhabilitatur à Iure ad taliter testandum.p.ead.n.18.

Vide Hæres.

Si testator faciat primum testamentum, & ipsum solemnizet, & postea velit reuocare primum, & incipit facere secũdũ, quem non perficiat, morte præuentus, hæreditas debetur hæredi primi testamenti. p.77.n.21.

Testamentum imperfectum ratione solemnitatum valet ad pias causas.p.ea.n.22.

Testamentum dicitur deficere in solemnitatibus à Iure ciuili requisitis, si non adsint septem testes, vel si omnes non sint masculi, & puberes, vel si non omnes sint rogati, vel si nõ omnes sint subscripti: vel tale testamentum non sit subscriptũ manu testatoris si sciat scribere, vel sine hæredis institutione; vel si Notarius non sit rogatus, vel si testator non teneat testamentum scriptum in manu sua; & illud declaret esse suum, vel si testamentum nõ sit scriptum, & sigillatum à testibus in præsentia testatoris.p.ead.n.eod.

Testamentum dicitur ad pias causas quando

Digitized by Google

do hæres inſtitutus eſt Eccleſia, Monaſterium.pauperes,& ſimilia pag.77.n.23.
In teſtamento ad pias cauſas requiruntur duo,vel tres teſtes,vt valeat in foro fori; in foro verò conſcientiæ non requiruntur teſtes.p.78.n.25.
Teſtamentum imperfectum reſpectu voluntatis teſtatoris non valet etiam ad pias cauſas.p.78.n.26.
Quando teſtator leganit libertatem vni ex ſeruis ſuis,eligendo à ſuo hærede,ſi hic eligat,& ſeruus electus ſit illi ingretus, libertatem non amittit.pag.195.nu.3.
Vide Inuentarium.
Teſtamentum conditũ ſine ſolemnitatibus eſt nullum, etſi non peccet teſtator. pag. 281.num.33.
Teſtes.
Teſtis tenetur deponere contra delinquentem emendatum,ſi à iudice legitimè interrogetur, & delictum ſit contra bonum publicum.pag.40.n.12.
Qui habet teſtes deponentes voluntatem teſtatoris,ſi oppoſitum facit, dici nõ poteſt quod ſit in bona fide.p.77.n.20.
V
Venari Venàtor.Vide Piſcari.Ius.
Lex prohibens venationem non prohibet acquiſitionem ferarum,ſed vſum venationis.p.305.nu.2.
Qui venatur in locis locatis, facit contra legem prohibentem,non verò contra iuſtitiam.pag.ead.nu.3.
Ius venandi non dicitur notabiliter leſum propter vnam,aut alteram feram ſubtractam,etſi notabilis materia ſit in ordine ad iuſtitiam commutatiuam.p.306.n.5.
Qui venatur in locis conductis, non venatur iuridicè, & tanquam poteſtatem habens,& ideo taliter venari non eſt pretio æſtimabile.p.307.n.7.
Voluntas.Voluntarium.
Voluntas principis præſupponitur talis qualis eſt intentio iuris.p.34.n.9.
Aliud eſt quod aliquid ſit à voluntate, aliud quod ſit voluntarium.p.32.n.13.
Volũtarium dicitur id in quod cadit actus voluntatis,& quod eſt in noſtra volũtate vt fiat,vel nõ fiat.p.105.n.5.Vnde ipsũ vel le voluntarium aliquãdo dicitur.ibid.
Voluntas efficax ſe reconciliandi cum Deo implicite includit auerſionem ab omni peccato.pag.154.nu.5.
Actus voluntatis internus ſemper perſeuerat vſq; dum non interrũpitur per actum oppoſitum ſignatè,vel exercitè.p.178.n.3.
Voluntas actualis in eſſendo deſtruit voluntatem virtualẽ in operando.p.232.n.5.
Votum.
Qui vouit,& dubitat de intentione ſe obligandi,intentio ſupponitur adfuiſſe, & ſic tenetur ad votum.p.15.nu.3.
Votum non ita trãsfert res mere temporales ad ſtatum ſpiritualitatis, vt ſimoniacus ſit qui ipſas emit aut vendit.p.25.n.3.
Vota eſſentialia inducunt perfectam religionem.p.26.n.4.
Qui vouit recitare orationem Angelicam ſingulis diebus,ſi habet animum non dicendi per annum integrum non eſt in ſtatu peccati mortalis.p.82.n.12.
Qui dubitat an omiſerit votũ, tenetur facere diligentiam,& poſt diligentiã ſi adhuc remanet dubius, non tenetur ad votum.pag.101.n.7.
Vouere eſt de cõſilio, executio voti eſt de præcepto.pag.107.nu.11.
Qui dubitat de materia voti, & arbitrio prudentis exit de dubio, tenetur ad votum.pag.225.nu.4.
Materia voti religioſorum ſunt etiã actus ipſorum liberi,ſi ad ipſos accedit præceptum ſuperioris.pag.228.n.3.
Vide Pœnitens.Peregrinus.
Vſura.
Vſura malitia eſt ex parte mutuãtis,& non mutuatarij cum petitio vſuræ ſit iniuſta. p.22.n.7.
Vſura promittitur,non ſoluitur tempore mutui,& mutuatarius ſic promittit pati iniuſtitiam.p.22.n.9.
Vſuræ debentur rõne moræ in mutuo, ſi mutuans erat paratus emere tẽpore moræ,& emptores qui emerunt tunc temporis, lucrati ſunt; ſecus ſi non erat paratus emere,vel emptores lucrati non ſunt.n.7.
Bona p vſurã acquiſita,& ſignanter quæ proprius dominus,ſẽper ſunt reſtituenda Eccleſiæ,vel pauperibus.p.28.nu.34.
Vxor.
Vxori licitum eſt petere debitum à viro qui emiſit votum caſtitatis.p.22.n.11.
Non poteſt vxorem ducere,qui propriam cognouit filiaſtram,ſicut nec filiaſtra ipſe poteſt nubere.279.n.26.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google